

Ad Librum
HUGONIS GROTII,
Quem
de SATISFACTIONE CHRISTI
adversus
FAUSTUM SOCINUM
SENENSEM
scripsit,

RESPONSIO
JOHANNIS CRELLII FRANCI
Ecclesiæ Racoviensis Ministri.

Accesserunt duæ Epistolæ Grotii ad Crellium, quarum priore
Crellio pro hac responsione gratias agit:
nec non Grotii ipsius Tractatus
de Satisfactione Christi.



I R E N O P O L I
Post annum Domini 1656.

Ad Librum

HUGONIS GROTIJ

Opus

DE SATISFACTIOE CHRISTI

adversus

FAUSTUM SOCINUM
SENESEM


scriptum

RESPONSIUM

JOHANNIS GRELLII FRANCHI

Episcopi Amandunensis

Accusantibus quos Episcopus Grotius ad Cellium, deinde
Grotius pro hac responsione gratias agit:
ut non Grotius ipse Testatur
de Satisfactione Christi.



LIBRARY

THE UNIVERSITY OF TORONTO

CHRISTIANO LECTORI

*Gratiam & pacem à Deo Patre & Domino nostro
Iesu Christo.*



Tsi nihil magis in votis fuit, Christianæ Lector! quam procul omni certamine in Sacrarum literarum studiis ætatem exigere, & in sensibus earum eruendis operam omnem consumere: tamen veritatis divinæ, qua nihil nobis esse debet antiquius, amor, & eorum voluntas, quorum apud me maxima est auctoritas, effecit, ut cum viro clarissimo Hugone Grotio, qui libro adversus Faustum Socinum scripto, illam imprudens oppugnat, congregiendum mihi putarunt; ne ea silentio à nobis prodita, cum insigni gloriæ divinæ, & humanæ salutis detrimento, in falsitatis suspicionem & contemptum ob id ipsum veniret; præsertim cum tam potens ingenio, eruditione, orationis nitore, famaue celebris adversarius ei esset constitutus. Equidem non ignorabam virium mearum tenuitatem, cum provinciam istam susciperem: sed non dubitabam etiam, Deum precibus assiduis advocatum, pro causa sua pugnaturum laturum opem: idque tanto magis, quanto ego essem inbecillior, is cum quo mihi res esset, ab ingenii & doctrinæ copiis instructior. Incitavit me illud quoque non parum, ut Grotio respondendum existimarem, quod jam antea perspexissem, ipsum de doctrina, quam Ecclesiæ nostræ sequuntur, pessime persuasum esse, & ea de nobis alibi scripsisse, quæ nos facile in omnium odium, & una Sanctissimam hanc quam defendimus, veritatem adducere possent. Etenim inter ea, quæ in nos ac Socinum admodum inclementer dixit, eo libello, quem pietatem Ord. Holl. inscripsit, ista etiam sunt: *Cum hæresis sit venenum Ecclesiæ, &c. quidem præsentissimum: sed tamen hærescos aliqui sunt gradus, ut sit hæc illa nocentior, pejorem aliam non reperiri hæresi Socini, ad cujus etiam mentionem pii omnes exhorreant; & tantum interesse inter Papistas & Socinistas, (ita enim nos appellat) quantum inter tyrannidem & effrenem licentiam.* Grave quidem crimen nostrum, si vera sunt ista; sed grave etiam Grotii, si falsa. Adducit Grotius ad nocentissimæ hæreseos crimen probandum, aliquod DD. Apostolorum Johannis & Pauli loca, partim de Christi divinitate, partim de natura ipsius, naturalive conditione, partim denique de ipsius, ut Paulino utar verbo, exinanitione loquentia: quasi nos ista in dubium vocemus, & non potius falsum, qui verbis illis affingitur, sensum, quem in quibusdam ex iis locis celebres nonnulli inter adversarios nostros viri repudiarunt. Deinde, etiamsi rem illam, quæ in istis Scripturæ locis continetur, errore lapsi, non satis essemus assequuti, quod hætenus à nemine ostensum est, nec ostendi posse pro certo habemus; nondum tamen tam atrox crimen probatum esset: cum nihilominus ea de Christi divinitate sentiamus, quæ si quis corde credat, ore confiteatur, eorumque vim factis, pro virili exprimere conetur, eum salvum fore Sacræ Literæ Clarissimis verbis pronunciant. Huic autem qui hæreseos crimen, & quidem pestilentissimæ impin-

gi,

gi, qui effrænis licentiæ nota inuri jure potest? Affirmat Paulus: *Si confessus fueris ore tuo dominum [esse] Jesum, & credideris in corde tuo, quod Deus eum resuscitavit ex mortuis, servaberis* Rom. 10. 9. At nos per Dei gratiam ore confitemur Jesum esse Dominum; & quod ore confitemur, corde credimus, nempe quod Deus eum resuscitavit à mortuis, eaque ratione ad supremum dominum evexerit: novimus enim id quod idem Apostolus ait: *Ad hoc Christum mortuum esse, resurrexisse, & revixisse, ut & mortuis & vivis dominaretur* Rom. 14. 9, *eum propter obedientiam usque ad mortem crucis Deo præstitam, ab ipso in summam sublimitatem evectum, & donatum ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus sit Iesus Christus ad gloriam Dei Patris* Philip. 2. 9 & seqq. Quibus in verbis perspicue explicat Apostolus, qua ratione Christum lingua atque ore confiteri debeamus Dominum, ea nempe, quæ cedat in Dei Patris gloriam, qui ad tantam sublimitatem ipsum evexit: quam rationem Petrus quoque clarissimis verbis, in prima sua, quæ Act. 2. 36 extat, concione expressit, dum ita inquit: *Certo ergo sciat omnis domus Israël, quod & Dominum & Christum ipsum Deus fecit hunc Iesum, quem vos crucifixistis* 1 Cor. 8. 6. XII. 5, 6. Scilicet Dominum per quem omnia, Christum agnoscere nos vult Apostolus Ephes. 4. 5, 6, ab uno illo Deo, ex quo omnia, quem Patrem esse pronunciat, diversum. Eandem, quod ad nostrum institutum attinet, sententiam, quam in illo ad Rom. loco, primum à nobis adducto, expressam vidimus, aliis verbis idem extulit Apostolus, ad Corinthios ita scribens 1 Cor. 12. 3: *Nemo potest dicere Dominum [esse] Iesum, nisi in Spiritu Sancto, & D. Joannes 1 Joh. 5. 1. Conf. cap. 2. 22. 4. 2, 3, dum ait: omnis qui credit, quod Iesus sit Christus, ex Deo natus est.* Quo quidem loco Symbolum proponit hominis Christiani, quem quivis, qui ex Deo se natum esse gaudet, tanquam fratrem suum, ex eodem cælesti patre genitum, amore prosequi debeat. Vid. fin. cap. 4. Nemo autem ignorat, Christum Johanni nil significare aliud, quam Regem illum divino populo, olim promissum, Deo unctum, ac regia illa potestate donatum; quem nos agnoscere ex dictis satis constare potest, eumque tantum, ut omnia illi subjecta esse gloriemur, Deo solo, qui ei omnia subjecit excepto Eph. 1. 21, 22. 1 Cor. 15. 27, 28. Idem voluit Johannes, cum alibi pronunciavit 1 Joh. 4. 15: *Quisquis confitetur, quod Iesus sit Filius, Deus in ipso manet; & ipse in Deo; cum fidem nostram; quæ mundum vicerit, describens ait cap. 5. 5: Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, quod Iesus sit filius Dei?* Pro eodem ponens Christum, & Dei filium, perfectissimam hujus nominis vim ac significationem sequutus: quod nos collatione aliorum complurium Sacræ Scripturæ locorum ^a initio disputationis nostræ planum fecimus. Nam cum Deus ille summus, Pater Domini nostri Jesu Christi, ^b ob imperium potentiamque summam dicatur Deus; is qui ei ratione imperii est similis, imo æqualis, ita tamen, ut imperium ab ipso acceperit, filius ipsius ^c κατ' ἐξοχὴν rectissime dicitur. Judices olim ac magistratus, cum quibus se Christus ipse ita confert, ut ma-

^a Vid. Tract. de vi mortis Christi in salutis negotio pag. 2. sub notis l. m. n. o. ^b Vid. cap. 10. disputat. hujus partic. penult. ^c per excellentiam.

jori se jure Dei filium esse demonstret, quam illi Dii fuerint appellati, ob imperii cum Deo similitudinem, Joh. 10. 34. & seqq. ut Dii, ita etiam filii Dei, quia id imperium ab ipso acceperant, nominabantur Psal. 82. 1, 6: qua tamen in re tantum cedunt Christo, regi regum, ac Domino Dominorum Apoc. 19. 16, quantum subditi, regibus suis, imo quantum terrena potestas cœlesti, humana divinæ. Hac autem filii Dei appellatione crebrius utitur de Christo Spiritus Sanctus, quam Dei voce, ut simul Christi cum Deo altissimo similitudinem, supremamque adeo dignitatem; & ab eodem altissimo Deo differentiam exprimat. Dei nomen solam dignitatem exprimit: differentiam inter ipsum & Deum altissimum constituit nullam: at cum filium Dei audimus, eum intelligimus, qui imperii ratione Deo quidem summo sit similis, sed eodem etiam inferior, quia filius. Deus enim ille altissimus à nemine habet ut Deus sit, ut imperet omnibus: Filius ob id ipsum, quia filius, Patri id refert acceptum. Quod si quis plenius cognoscere velit causas, ob quas Christus Dei Filius dicatur, & quibus veluti gradibus ad summam hujus nominis dignitatem ac fastigium perductus fuerit, consulat ea Scripturæ loca, quæ causas istas luculenter explicant, quæ quidem sunt ista: Luc. 1. 53. Johan. 10. 36. Psal. 2. 7, qui locus explanatur Actor. 13. 32, 33. Rom. 1. 4. Hebr. 1. 4, 5. v. 5, 6. Hæc cum de Christo credamus, omnia illi præstamus officia, quæ ei Sacræ Literæ præstanda esse docent. In ipsum enim credimus, ac spem nostram collocamus, perque ipsum in Deum 1 Petr. 1. 21. Id vel ex eo patet, quod nomen ipsius invocemus: cum sciamus, eum & nosse, quæ petimus, Johan. 21. 17, quia norit omnia Apoc. 2. 23. corda, renes scrutetur, 1 Cor. 4. 2, occulta tenebrarum & cordis consilia in lucem aliquando pro ducturus; & posse omnia, quæ flagitamus, præstare; cum Matth. 28. 18, omnem in cœlo ac terra potestatum sit adeptus, & Johan. 3. 35, in ipsius manu omnia pater collocarit, ipsamque adeo, qua nihil est majus, (cap. 17. 2. Vid. etiam 5. 12, 25, 26, 27. vi. 39, 40, 44, 54. x. 58,) immortalem vitam; velle denique præstare omnia cap. 14. 13, 14, cum id promiserit; cum nos tantopere diligit, ut Rom. 5. 6, 8, animam suam pro nobis adhuc impiis posuerit Joh. 15. 13. qua charitate nulla est major. Cur ergo, cum dives sit in omnes, qui nomen ipsius invocant, Rom. 10. 12, eum non invocaremus? at quomodo, ut ibid. v. 14, ait Apostolus, invocare possemus eum, in quem non crederemus? quare cum in Christum credamus, cum nomen ipsius, vi sententiæ nostræ, quam de ipso profitemur, invocemus, salutem nobis certo ex divina benignitate polliceri possumus. Ait enim idem Apostolus ibid. v. 11: *Omnis qui credit in ipso non confundetur* ibid. v. 13, *omnis qui invoverit nomen Domini, salvus erit.* Ob idem Christi in omnia dominium Philip. 2. 9, 10, ob nomen, inquam, super omne nomen ipsi datum, monente Apostolo, genua ei flectimus, regi divino ac cœlesti, non vulgarem ac civilem, sed divinum exhibentes cultum, cum Psalm. 45. 12. Confer Psalm. 97. 8. Hebr. 1. 6 adoramus; & Johan. 5. 22, 23, ita honoramus

ut patrem: quia pater neminem judicat, sed omne judicium dedit filio, idque ideo, ibid. 27, quia filius hominis est, ob idem imperium dicto ipsius Hebr. 5. 9, obedientes esse, & mandata ejus pro viribus, ipsius ope adjuti, exsequi studemus: cum sciamus, eum falso Luc. 6. 46 appellare Christum Dominum suum, qui non faciat id quod ille præcipit, & quod ore confitetur, opere negare. Quandoquidem 1 Joh. 2. 3, 4. 111. 6, Christum is non novit, qui mandata ipsius non observat, 3 Joh. 11. 1 Joh. 4. 7, 8. Tit. 1. 16, uti nec Deum: adeoque nec vitam æternam, cujus Joh. 17. 3 adipiscendæ ratio in hujus utriusque cognitione consistit, adipiscetur. Nihil enim in Christo valet, 1 Cor. 7. 19, nisi observatio mandatorum Dei, nil nisi Gal. 5. 5 fides per charitatem efficax, nil cap. 6. 15 nisi nova creatura. Quare cum hæc sit de Christo fides ac confessio nostra, nihil est, quod pessimæ ac nocentissimæ hæreseos, aut effrenis licentiæ crimen metuamus; cum Sacrarum Literarum, hoc est ipsius Dei ac Christi voce, ab eo absolvamur.

Quod ad sententiam eam attinet, de qua in hoc libro disputatur, etsi ejus quoque causa à plerisque ad inferos relegemur: injuria tamen id fieri, testis erit sententiæ illius nostræ explicatio, quam disputationi huic præmisimus. Profecto vel id solum tam iniquis aliorum ea in parte judiciis obstare deberet, quod morti Christi salutem nobis partam adscribimus. Satisfactionem Christi non agnoscere dicimur: nos vero ^a agnoscimus Deo dignam, & Sacris Literis consentaneam: Deo indignam, & à Scripturæ sententia vehementer abhorrentem merito repudiamus. Catholicam ea de re sententiam, tot patrum auctoritate munitam, antiquitatis nomine venerandam rejicere perhibemur. Satis illa nobis sententia Catholica est; quæ Christi, quæ Apostolorum est. Hi sunt illi Ecclesiæ patres, hi doctores ac magistri, omni exceptione majores: ab his quicquid profectum est, auctoritate satis munitum, satis antiquum est. Adversus hos nihil universi orbis valet consensus. Quod si testimonia patrum, quæ longo ordine recenset Grotius, inspicias, ^b comperies illum esse primum, qui à nostra sententia discedat, qui idem à Grotio. Is vero est Origines, qui Diabolo vult Christi sanguinem, redemptionis nostræ pretium persolutum, quod Augustinum quoque & Ambrosium, patrum Latinorum lumina, statuisse, Socinus jam monuit. Ab hac vero sententia quis hodie non abhorret? quod si tantum veterum Ecclesiæ doctorum auctoritate ac consensui tribuendum est, cur non eam Grotius de Deo summo ejusque filio sententiam amplectitur, quæ antiquissimorum patrum fuit, & trecentos circiter annos in Ecclesia duravit? neque enim persuadere mihi possum, ignorare Grotium, in ipsorum Læctione adeo versatum, eos haudquaquam credidisse, patrem & filium personas esse in eadem numero substantia existentes, adeoque filium quoque eundem cum patre altissimum esse Deum: sed solum patrem esse illum qui est super omnia Deum, creatorem universi, filium autem, ut Justinus utar verbis, ^c alium esse Deum præter universi creatorem, & olim etiam ministrasse ac subditum fuisse illi cœlesti ac supermundano, qui est super

^a Vid. cap. 6. disput. partic. 44. & Confer cum cap. 1. partic. 1. ^b Vide locum quartum à Grotio citatum, ex lib. 2. in Epist. ad Rom. 6. 2. ^c Dial. cum Tryph. Judæo, non uno loco.

omnia, Deo. Demonstrarunt id nostri variis in locis satis luculenter, testimoniis ex antiquissimorum patrum scriptis, quæ ad manus nostras pervenerunt, productis. Et de quibusdam ex illis, ut Tertulliano & Origine, multi ex adversariis id non diffitentur: quidam etiam de aliis. De Spiritu Sancto quid senserint, vel unus docere potest Hilarius, qui, ut ^a Erasmus observavit, in duodecim, quos de Trinitate scripsit, libris, Spiritum Sanctum nusquam Deum, nusquam adorandum dixit, sed cum id de Patre & Filio pronunciaret, de Spiritu Sancto nil dixit aliud, quam eum promerendum; & inter cætera ^b locum illum Matth. 28, qui pro Trinitate præcipuus habetur, *Baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ita explicuit, *id est in confessione & auctoris, & unigeniti, & doni*. Aliter nempe illi, quam hodie solent omnes, de Trinitate senserunt, veritati Apostolicæ hac in parte propriores. Dissenserint ergo illi à nobis: dissenserunt iidem etiam à Grotio, & tot consequentium seculorum doctoribus omnibus: discesserunt illi aliquantum à doctrinæ Apostolicæ puritate: qui mox consequuti sunt, discesserunt longius. Non est ergo quod quisquam illorum auctoritate in religionis negotio nitatur. Ex fonte ipso hauriendæ sunt aquæ puræ, non ex rivulis, qui simul ac à fonte recesserunt, aliquid traxerunt sordium, alii plus, alii minus. Qua de re liberius etiam ii loquuntur, qui iis cæteroqui plus tribuunt. Audi virum clarissimum Josephum Scaligerum, ^c qui inter alia, quæ ad illud Apostoli 1 Cor. 15. 20: *Qui baptizantur pro mortuis*, annotavit, accusat ignorantiam veterum Christianorum omnium, & antiquissimorum Patrum errorem, qui duraverit ad Augustini usque ætatem & infra, de receptaculo quodam animarum subterraneo, ubi usque ad iudicii diem vel requie fruuntur, vel ærumnas patiantur, exceptis martyrum animabus; unde ritus quosdam superstitiosos, iis temporibus usitatos, quibus animæ illæ juvari posse credebantur, ortos ait. Quibus interjicit: *Quid alias ineptias Patrum majorum gentium dicam, quæ non doctorum Ecclesiæ, sed ne cuiuspiam de vulgo Christianitatis esse deberent?* & inferius: *alios vetustissimos Christianorum errores qui volet scire, adeat Tertullianum de Idololatria, item de oratione, & Corybantiismos, & alios errores Latinæ & Græcæ Ecclesiæ ab illis maximam partem manasse fatebitur*. Nempe, ut ultima hæc Scaligeri verba indicant, præparabatur jam tum via Antichristo, qui non multo post successurus erat, & errorum, quos erat adstructurus, fundamenta paulatim sternebantur; imo, quod mireris, jam tum, cum Apostoli veritatis magistri superessent. Scribit enim ad Thessalonicenses 2 Thess. 2. 7, 8 Apostolus: *mysterium iniquitatis* (quod quid sit ex cæteris verbis omnes intelligunt) *jam operatur* (vel in opere est) *tantum is, qui cohibet, donec è medio tollatur, & tunc revelabitur ille iniquus sive exlex*. Et Johannes 1 Joh. 4. 3 scribit, Spiritum illius Antichristi, qui venire debuerit, jam tum fuisse in mundo: de quo tamen spiritu alii magis, alii minus participabant, aliis Ecclesiæ partibus adhuc incorruptis. Errorum enim cursui Apostolorum aliorumque virorum magnorum auctoritas obstabat, quibus amotis, velut aggere erupto, errores varii Eccle-

^a Vid. Erasmi Præfat. in Hilar. ^b Hilar. lib. 2. de Trin. sub ipsum initium. ^c Vide notas ipsius in quædam S. Scripturæ loca Genevæ editas, & Græco Nov. Testam. contextui præfixas.

fiam inundarunt. Testatur id Egesippus, vir Apostolicis temporibus finitimus, ut lib. 2. histor. Eccles. cap. 22. Eusebius scribit, qui verba ejus hac de re lib. 3. 32, alibi refert. Nam cum ad Trajani tempora pervenisset, & mortem Simeonis Hierosolymitani Episcopi narrasset, ita inquit: *Ad ea usque tempora virgo pura & incorrupta mansit Ecclesia, iis qui sanum prædicationis canonem corrumpere conati sunt, si tum aliqui fuerunt, in obscura quadam caligine, ad id usque temporis delitescantibus. Postquam autem sacer Apostolorum chorus differentem sortitus est finem, & generatio illa præterit, quæ divinam sapientiam ipsis auribus audire meruerat, tunc impii erroris conspiratio, per seductionem eorum, qui alienam doctrinam tradebant, initium cepit, qui etiam, quoniam nemo amplius superstes erat ex Apostolis, jam nudo vertice contra veritatis prædicationem, falsi nominis scientiam ex adverso prædicare conati sunt. Quod si Ecclesia ad illud usque tempus virgo pura & incorrupta fuit, necesse est doctrinæ corruptionem, quæ fuit consequuta, late per Ecclesiæ corpus serpsisse. Nam alias jam ante illa tempora gravissimos in Ecclesiam errores invehi cœptos, tum ex Christi ipsius prædictionibus Matth. 4. 4, 5, 11, 12, 24, tum ex Johannis 1 Joh. 2. 18. & seqq. 4. 1. & seqq. 2 Johan. v. 7, 10, inprimis, & Judæ Jud. v. 4, 18. Confer locum totum cum 2 Petr. 2, & 3, testimoniis constat: quorum hic affirmat, jam subingressos esse falsos in Ecclesiam doctores, de quibus jam antea loquuti fuerint Apostoli. Prædixit autem Paulus Act. 20. 29, 30, quoque mox subsequuturam doctrinæ corruptionem, dum ita præmonuit Ecclesiæ Ephesinæ seniores, ut & sibi Ecclesiæ diligenter prospicerent: *Ego novi hoc, quod ingredientur post discessum meum lupi graves in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abstrahant discipulos post seipsos. Unde etiam Timotheum 2 Tim. 4. 2, 3, 4, ita obtestatus est: Prædica illum sermonem, instat tempestive, intempestive: argue, reprehende, exhortare in omni longanimitate & doctrina. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non ferent, sed secundum cupiditates proprias sibi ipsis coacervabunt doctores, prurientes auditu: & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Jam tum imminenti malo vult occurri Apostolus. Quid ergo mirum, si doctores Ecclesiæ, qui sunt consequuti, cum Ecclesiæ corpus jam tot laboraret morbis, ipsi quoque aliquid traxerunt vitii? Itaque illud tutissimum est, Sacris Literis presse insistere, & exinde de omnibus Christianæ religionis mysteriis judicium ferre, nec de earum sententia ex veterum Christianorum, qui post Apostolos vixerunt, quorum etiam paucissimi literis aliquid mandarunt, quod ad ætatem nostram pervenerit, consensu statuere. Hanc viam sese insistere illi professi sunt, qui veritatem proximis temporibus ex tenebris in lucem proferre cœperunt: quibus ea involvi denuo facile potest, si eorum auctoritati nimium fidas, à quibus errores Latinæ & Græcæ Ecclesiæ maximam partem manasse, Scaligerum dicentem audivimus. Nos regium istud ad veritatem iter per Dei gratiam ingressi, & in hac disputatione sequuti sumus, ad quam te, Christiane Lector, nunc deducimus, ubi paucula adhuc te monuerimus.**

Primum est de editionis tarditate. Scias igitur, Christiane Lector, prope

prope biennium jam extitisse Grotii librum in publico, cum respondendi laborem in me recepi: quod antea non feceram, partim quod alios ad eam rem magis idoneos eo munere defungi cuperem; partim quod tantum otii à cæteris meis laboribus impetrare me posse vix sperarem, quantum ad hanc scriptionem requireretur; partim denique quod interveniens Grotii calamitas alacritatem ad respondendum adimeret. Verum cum nihilominus vindicias postularet veritas à Grotio oppugnata, opus hoc divino fretus auxilio sum aggressus, sed quod ob eos, quos dixi, labores meos tardius progredi fuit necesse. Erat enim tunc ea muneris mei ratio, ut paucæ mihi per septimanam horæ, quas huic labori liceret impendere, restarent. Postquam vero eum ad finem perduxì, non pauca intervenerunt, quæ recognitionem libri distulerunt, & ipsa temporum iniquitas publicæque calamitates, turbatis operis nostris typographicis, editionis consilium impediverunt. Nunc aliquid nactus opportunitatis, librum, quantum licuit, recognoscere cœpi, & prælo statim subjeci, pressurus etiam diutius, si vel permisissent ii, quorum voluntate labor hic fuit susceptus, vel metendum non fuisset, ne diuturnior mora iis, quia Ecclesiarum nostrarum sententiam Grotii libro confossam crediderunt, animos adderet.

Alterum est, quod hic reticendum non putavi, est, de quæstionibus ad Politicam aut Juris civilis disciplinam spectantibus, ad quas cum accederem, non eram nescius, mihi cum eo rem esse, cujus ista facultas esset propria, quæ mihi aliena: sed vis atque evidentia veritatis effecit, ut eas quoque divino confisus auxilio aggrederer, ne si forte illam partem disputationis reliquissem intactam, ea, quæ Grotius attulit, pro invictis haberentur. Quod si ex Jurisconsultorum formulis non semper loquimur, dabit nobis æquus Lector veniam, & potius vim mirabitur veritatis, quæ mihi adversus Clarissimum Jurisconsultum disputanti arma suppeditaverit, ad eum convincendum idonea. Quod si placuisset Deo ad hæc usque tempora servare Socinum, qui studio Juris civilis, cujus scientia ei prope hæreditaria extitit, ab adolescentia fuerat innutritus, habuisses & hanc, & reliquas omnes disputationis hujus partes accuratius ac plenius tractatas. Audivimus enim ex iis, qui familiariter ipso sunt usi, eum, quamquam modestissime de se & sentiret & loqueretur, significasse tamen, si, ut tum jactabatur, excellens sibi obtingeret adversarius, qui librum de Jesu Christo Salvatore adoriretur, tum demum se totum hoc argumentum uberime explicaturum. Sed quando cum Deus multo ante rebus humanis exemit, quæ è divite Spiritus divini, quo fuit donatus, & ingenii vena pleno hausisses ore, à nobis parcius deprompta æqui boni te consulere par est. Istud denique monendum putavimus, numeros paginarum libri Grotii, quos tamen magna ex parte ob editionis diversitatem sustulimus, ad editionem primam, & quæ ei conformis est, secundam, qua in verbis ipsius describendis primum usi sumus, referendos esse.

Quod reliquum est, ipsum Dominum Jesum Christum, ad dextram majestatis in excelsis confidentem, fidelem illum animarum nostrarum
pasto-

Præfatio ad Christianum Lectorem.

pastorem ardentibus suspiriis oro, ut laborem hunc nostrum ad suam & Patris sui gloriam, ad Ecclesiæ suæ ædificationem, ad tuum aliorumque omnium emolumentum convertat, te Spiritu sapientiæ donet, ut veritatem, quam defendimus, cernas, Spiritu roboris, ut eandem profiteri non verearis: te sanguine suo repurget ad serviendum Deo viventi; atque ita, ubi in luce ambulaveris, ut Deus est in luce, te penitus ab omni peccato abluat. Vale, optime Lector, & nos per fidem in Jesum Christum ad immortalitatem aspirantes, qua potes ratione, vicissim juva. Racoviæ Anno à Christo nato 1623.

JOANNES CRELLIUS FRANCUS
Ecclesiæ Racov. Minister.

Quia nos eas Capitum inscriptiones ubique posuimus, quas Grotius constituerat, ideo, ut Lectori constet, quid nos in singulis Capitibus præcipue doceamus, eorum argumenta velut in tabella hic spectanda proponemus.

- Cap. I. *Sententia de satisfactione Christi per pænarum solutionem examinatur, refutatis iis, quæ ad eam stabiliendam à Grotio adducuntur: sententia vera de ratione, quæ remissio peccatorum ex morte Christi proficiscatur, defenditur.*
- II. *Ostenditur, Deum in remittendis peccatis considerandum esse ut partem offensam liberrimam, de jure proprio, quod ad pænas de nobis repetendas habebat, cedentem.*
- III. *Probatur, sanctionem illam Legis, quæ omnes, qui peccassent, nulla fidei aut resipiscentiæ habita ratione, morti subjiciuntur, sub Novo Fœdere à Deo non relaxatam tantum, sed abrogatam esse.*
- IV. *Ostenditur, Christum salva justitia puniri non potuisse.*
- V. *Docetur, non fuisse sufficientem causam, quæ Deum moveret, ut, cum nos ipsos punire noller, Christum pæna subiceret.*
- VI. *Demonstratur, Deum noluisse à Christo satisfactionem per pænarum solutionem exigere, eamque cum remissione peccatorum non posse consistere. Additur nonnihil de ea satisfaciendi vi, quæ actioni Christi tribuitur.*
- VII. *De reconciliatione nostri cum Deo agitur, & Deum tunc, cum Christum pro nobis in mortem traderet, nobis actu ipso iratum non fuisse, & sic nec morte Christi placatum, ostenditur.*
- VIII. *Ex redemptione nostra per mortem Christi facta satisfactionis dogma non stabiliri docetur, simul etiam de Mediatoris voce, & de pænarum ex persona dignitate æstimatione nonnihil agitur.*
- IX. *Explicatur, quid sit Christum pro nobis esse mortuum.*
- X. *Agitur de explicatione peccatorum interventu mortis Christi facta, seu de sacrificio & sacerdotio Christi, ejusque in parienda nobis peccatorum remissione efficacia.*

RESPON-

R E S P O N S I O

AD LIBRUM

HUGONIS GROTII,

*Quem de*SATISFACTIONE
CHRISTI,*Adversus*FAUSTUM SOCINUM
SENEENSEM SCRIPSIT.

Quandoquidem GROTIUS, dum suam de satisfactione Christi sententiam adstruit, eam, quam Ecclesiæ nostræ una cum Socino de vi mortis Christi in salutis nostræ negotio defendunt, oppugnat; operæ pretium visum est, eam in ipso initio tibi, lector erudite, proponere, ut ea cognita, facilius de ea judicare, & an sit à GROTIO uspiam labefactata nec ne, commodius dispicere queas.

De vi Mortis Christi in salutis nostræ negotio.

ALIS ergo est ea de re sententia nostra: CHRITUM SERVATOREM, qui Heb. 8. 6. IX. 15. XII. 24. *Novi fœderis mediator, & cap. 7. 22. sponsor est, ideo mortuum esse, ut Novum istud fœdus, promissaque divina in eo comprehensa, quorum potissimum est remissio peccatorum & vita æterna, confirmaret ac sanciret, & sic jus quoddam ad ea obtinenda nobis daret: deinde ut omnes homines ad conditiones huic fœderi insertas amplectendas & exsequendas adduceret: denique ut hoc pacto misericors Pontifex effectus, supremamque in omnia potestatem adeptus, peccata nostra expiaret, ac promissa fœderis, conditiones ejus servantibus, reipsa præstaret, quibus rebus tota salutis nostræ ratio absolvitur.*

Quod igitur ad primum caput attinet; cum in finem Christum esse mortuum, ut Novum fœdus, promissaque divina in eo comprehensa confirmaret ac sanciret, atque adeo, quæ sanctionis vis est, jus quoddam ad ea obtinenda nobis daret, illa S. Literarum testimonia docent, in quibus sanguis Christi, sanguis fœderis Hebr. 10. 29, fœderis, inquam, novi Matth. 26. 28. Marc. 14. 24, & æterni dicitur

Hebr. 13. 20, & ea in re, cum illo sanguine, quo fœdus antiquum sancitum fuit, confertur cap. 9. 15 usque ad 20. XII. 24. Eandem ob causam sanguis, cum quo Christus venit, testis appellatur 1 Joh. 5. 6. 8, & ipse Jesus Christus Apoc. 1. 5. III. 14 testis fidelis & verax; & dedisse semetipsum redemptionis pretium pro omnibus, testimonium (intellige divinæ erga omnes benevolentia) temporibus propriis 1 Tim. 2. 6, & testatus sub Pontio Pilato bonam confessionem scribitur ibid. cap. 6. 13.

Præstitit autem id mors Christi multis modis, idque partim per seipsam tantum; partim una cum iis, aut per ea, quæ illius fuerunt, vi divini decreti, effecta, quæ priorem etiam mortis Christi vim veluti animarunt, & robur ei indiderunt.

Primum enim, cum mors Christi apertissime testetur, Jesum esse Christum Dei filium 1 Johan. 5. 5. 6. 8. 9, seu Regem Israël olim à Deo promissum Matth. 26. 63 & seqq. xxvii. 37. 40. 42. 43. Luc. 22. 67 & seqq. xxiii. 2. Joh. 18. 33 & seqq. xix. 12. 19. Quod quia de se constanter asseverabat, à suis hostibus damnatus, & in crucem Matth. 27. 36. Joh. 19. 19 & seqq. testante inscriptione ei affixa, est actus, nec potuit præsentissimo tam atrocis & ignominiosæ
A mortis

mortis periculo ac metu quicquam ab hac asseveratione dimoveri; an non simul de veritate tum universæ Christi doctrinæ, tum promissorum in ea propositorum clare testatur? siquidem nemo credere potest, Jesum esse Christum Dei filium, quin simul totam ipsius doctrinam divinam esse credat. Unde hac Christianæ fidei ac professionis summa, & discipulorum Christi nota in Sacris literis constituitur Joh. 20. 31. Act. 8. 37. 1 Joh. 2. 22. IV. 2, 3, 15. v. 1, 5. adde Matt. 16. 16. Johan. 1. 50. VI. 69. 9. 22, 35, 36, 37. 11. 27. Act. 2. 36. Rom. 10. 9. 1 Cor. 12. 3. Nominationem autem testimonium hoc, quo asseritur, Jesum esse Christum Dei filium, eo pertinet, ut certo constet, Deum nobis dedisse vitam æternam, 1 Joh. 5. 11. Confer cum vers. 5, 6, 8, 9, 10, & hanc vitam in filio ejus esse: quia hoc totius doctrinæ Christi, quæ testimonio isto asseritur, caput est. Vita vero illa nobis, qui gravissime peccaveramus, data, perfectam peccatorum remissionem, quæ N. fœderis maxime propria est, necessario in se includit cap. 4. 9, 10. 1 Cor. 15. 54, 55, 56.

Deinde, per mortem Christi, consequuta resurrectione & in cœlos ascensione, via nobis in ipsa cœli adyta initiata est ac munita, Hebr. 10. 20. vid. etiam cap. 6. 19, 20. & ipsius, fidei Hebr. 12. 2 ac salutis cap. 2. 10. Act. 3. 15. nostræ, ducis exemplo est ostensum, viam illam adeo duram, afflictionibus variis obsitam, cap. 14. 22. Rom. 8. 17. 2 Tim. 2. 11, 12. 2 Cor. 4. 17, 18. quam ille nos ingredi iussit, licet ad interitum extremamque infelicitatem ducere videatur, certum tamen ad vitam ac felicitatem sempiternam iter esse: cum dux ac magister noster eam ingressus ad resurrectionem ac supremam gloriam hoc pacto pervenerit Philip. 2. 9, 10, 11. d. l. Hebr. 2. 9, 10: 12. 2. Apoc. 2. 26, 27. 3. 21.

Adde quod hac ratione Servatori huic ac Pontifici nostro sensus miseriarum, quæ nobis ad cœlum contendentibus ob ipsius nomen incumbunt, fuerit ingeneratus: unde mali nostri non ignarus tentatis novit succurrere; Hebr. 2. 17, 18. 4. 15, 16. Confer 5. 2, 7, 8. & ad peccata nostra expianda tanto vehementius incitatur, ut * inferius dicemus, id autem spem promissorum divinorum, quæ ex ipsius manibus nobis sunt expectanda, mirum in modum confirmat.

Ex his alia iterum mortis Christi vis nascitur ad Novi Fœderis promissa, atque inprimis ad remissionem peccatorum confirmandam pertinens. Nam cum Deus filium unigenitum & proprium in mortem adeo truculentam & ignominiosam tradiderit, ut tum universam ipsius doctrinam comprobaret, tum salutis viam dedicatam exemplo ducis nostri cernerent, & ejus, in cujus manu salus nostra esset posita, adeo propensum erga nos affectum perspicientes, doctrinam illam amplexi salutis æternæ viam ingrederemur, atque hoc pacto ad ipsum Deum adduceremur; maximam ipsius erga nos adhuc impios & inimicos charitatem extitisse necesse est Joh. 3. 16. Rom. 5. 8. 8. 31, 32. 1 Joh. 4. 10. At si inimicos suos tantopere dilexit Deus, ut nos filii sui charissimi morte sibi conciliaret Rom. 5. 9, 10. & ex inimicis amicos redderet: qui fieri potest, ut nos sibi jam conciliatos

* Vid. inf. in tertio mortis Christi fine.

& ex hostibus amicos redditos, per eundem filium viventem à pœna liberare atque in æternum servare nolit? siquidem illud durissimum fuit, hoc ab omni molestiæ specie sejunctum, & cum summa Dei gloria conjunctum est. Si, inquam, proprio filio non pepercit Deus, sed eum pro nobis omnibus tradidit: quomodo non etiam cum eo omnia nobis donabit? Rom. 8. 32. Similis de ipso Christo, ut paulo post apparebit, argumentatio est. Siquidem non minor ipsius, quam Patris, erga nos apparuit charitas, cum seipsum morti tam diræ nostræ causa objecit Joh. 15. 13. 2 Cor. 5. 14, 15. Gal. 2. 20. Eph. 5. 2, 25.

Quod ad ea separatim attinet, quæ mortem ita fuerunt consequuta, ut ejus, vi divini decreti, essent effecta, quæ quidem sunt resuscitatio, qua immortalitatem etiam ipsius complectimur, & divina potentia; primum utraque apertissime demonstrat veritatem eorum omnium, quæ Christus Dei nomine nobis annunciat. Nec enim Deus, qui mendacii hostis est infensissimus, seductorem, qui sacratissimo ipsius nomine in re tanti momenti fuisset abusus, in vitam revocasset, & multo minus immortalitate donasset, atque ad dextram suam in cœlis collocasset. Deinde resuscitatio speciatim ostendit, posse homines mortales resurgere, & immortales evadere; imo omnes, qui Christi sunt, propter arctissimam cum ipso tanquam capite suo conjunctionem, certo resurrecturos & beata immortalitate potituros. 1 Cor. 15. 13. 16: 20. & seqq. 2 Cor. 4. 14. 1 Thess. 4. 14. 1 Petr. 1. 3, 4. Divina etiam ipsius potentia, qua ob præstitam Deo ad mortem usque crucis obedientiam ab ipso donatus est, Philip. 2. 9, 10, 11. Hebr. 2. 9, 10. xii. 2. certitudinem promissæ nobis salutis evidentissime demonstrat. Cum enim potentia illa tanta sit, ut ea possit sibi omnia subijcere, Philip. 3. 21. 1 Cor. 15. 25 & seqq. Apoc. 1. 18, nos è mortis claustris eripere, corporaque nostra humilia conformia reddere corpori suo glorioso, sitque ipsi eum in finem data, ut omnibus, quos ejus curæ commisit pater, vitam æternam largiatur, Johan. 6. 39, 40. 44. 54. 57. cap. 17. 2. quemadmodum in explicando postremo mortis Christi fine dicemus; qui fieri potest, ut vitam illam, quam ipsemet se daturum suis promisit, locis dd. Joh. 6. & cap. 10. 28, sibi confidentibus atque obtemperantibus re ipsa non præstet, pro quibus adhuc impiis mortem tam acerbam & infamem sustinuit, & quos fratres suos vocare non erubescit? Hebr. 2. 11. Matt. 12. 49, 50. Nec enim seipsum negare, 2 Tim. 2. 13 fidem suam deferre, & Dei Patris, suamque ipsius summam gloriam, quæ in nobis immortalitate donandis effulgebit, 2 Thess. 1. 10 aspernari potest. Vim hanc resurrectionis ac gloriæ Christi, qua ipsum Deus coronavit, in promissis divinis confirmandis, eleganter expressit Petrus, dum ait: 1 Petr. 1. 12. *per ipsum (Christum) creditis in Deum, qui excitavit illum à mortuis, & gloriam illi dedit, ut fides vestra & spes esset in Deum.*

Ex his consequitur, mortem Christi Deum, cujus voluntate ad confirmandum, atque adeo ad sanciendum fœdus novum ea fuit adhibita, ad fœderis istius promissa nobis præstanda quodammodo obligare, & nobis jus quoddam ad ea, præstitis fœderis conditionibus, obtinenda dare. Quare sanguis Christi eo in parte

in parte non tantum spem istorum promissorum nobis ingenerat, sed etiam causa quædam est, cur ea nobis à promissore sint reipsa præstanda. Qua de re in progressu * disputationis dicetur explicatius.

Ex eodem mortis Christi effectu magna ex parte consequutum est, ut Judæi à Legis jugo & execratione liberarentur Galat. 3. 13, & deleteretur id, quod adversus ipsos erat chirographum Col. 2. 14, quo placitis seu decretis, h. e. Legi, imprimis ceremoniali, obstringebantur, quo veluti pariete intergerino sublato Galat. 3. 13, 14, aditus gentibus ad Remp. Israël, fœdus, promissionesque divinas fuit apertus. Novo enim fœdere, in quo omnibus hominibus æquè salus æterna per fidem obtinenda offertur, sancto, antiquatum est Vetus, sublata Legis severitas & execratio, abolitum gentium discrimen, abrogatæ ceremoniæ, quarum inter conditiones Novi Fœderis nulla mentio. Indidem etiam magna ex parte pendet conciliatio omnium, quæ in terra, & quæ in cœlis Coloss. 1. 20, h. e. hominum & angelorum inter se. Hactenus de primo mortis Christi fine.

Alterum finem esse diximus, ut omnes homines ad conditiones Novo Fœderi insertas amplectendas & exsequendas adducerentur. Conditiones autem istæ comprehenduntur fidei nomine Johan. 3. 15, 16, 18, 36 & alibi sæpius. quæ tum spem divinorum promissorum Hebr. x. 1, 6, tum obedientiam mandatorum complectitur, quæ posterior, quia spiritus & perfectio quædam est fidei Jacob. 2. 22, 26, nonnunquam sola pro ea ponitur. Confer inter se 1 Cor. 7. 19. Galat. 5. 5. vi. 15, & conditio Novi fœderis constituitur d. l. 1 Cor. 7. 19. Jerem. 31. 33. Hebr. 8. 10: v. 9. Matt. 5. toto vii. 21, 24, & seqq. 1 Petr. 1. 2. 1 Johan. 1. 7. Eum vero in finem Christum esse mortuum, non pauca Sacrarum Literarum loca docent; ut Johan. 12. 32. 2 Cor. 5. 15. Galat. 1. 4. Eph. 5. 25, 26, 27. Tit. 2. 14. 1 Petr. 1. 18. 11. 24, 25: 111. 18. Heb. 9. 14. Et spem quidem promissorum divinorum quomodo in nobis excitet mors Christi, in primo ejus fine dictum est. Ad obedientiam autem mandatorum Dei nos excitat, primum eo ipso, quod religionem Christianam & salutis æternæ viam confirmat, & certam salutis spem nobis ingenerat, quam qui habet, is purificat seipsum, sicut Deus purus est 1 Johan. 3. 3. 2 Cor. 7. 1. Deinde quia admiranda illa Dei ac Christi erga nos adhuc impios charitas, morte Christi demonstrata, nos ad ipsum vicissim diligendum impellit. At nostra in Deum Christumque charitas in observatione mandatorum ejus consistit 1 Johan. 5. 13. Johan. 14. 15, 21, 23, 24. Præterea nos movet exemplo pulcherriimarum ac difficilimarum virtutum, quas in duce ac magistro nostro nobis spectandas exhibuit: & primo quidem maximæ in Deum fiduciæ Matt. 27. 43, 46. Luc. 23. 46, quæ in summis cruciatibus mediaque morte eluxit; deinde ingentis charitatis tum in Deum Johan. 14. 31, tum in nos adhuc impios ac Dei hostes Johan. 15. 13. 1 Johan. 3. 16, ipsosque adeo parricidas suos Luc. 23. 34. Esai. 53 ult. præterea admirandæ mansuetudinis ibid. vers. 7. Actor. 8. 32, patientiæ 1 Petr. 2. 21, 22, 29, humilitatis Matth. 20. 28. Philip. 2. 5 & seqq. ad quarum

* Vid. cap. 1. partic. 26, 31. 85, 88.

imitationem tanto magis incendimur, quod earum fructum in ipso manifeste conspiciamus, quemadmodum supra vidimus. Denique à peccatis nos absterret mors Christi, dum Dei adversus ea odium, & in contumaces severitatem ostendit, ut suo loco explicabitur. *

Hactenus de duobus prioribus mortis Christi finibus actum est: succedit postremus, qui est, ut Christus hoc pacto misericors Pontifex effectus, supremamque in omnia potestatem adeptus, peccata nostra expiaret, tentatis opem prompte ferret; & promissa fœderis, conditiones ejus servantibus, reipsa exhiberet. Nam ut de posteriori prius dicamus, eum in finem Christus est mortuus Rom. 14. 9, ut imperium in vivos & mortuos adipisceretur. At hæc potestas ideo ipsi à Patre data est, ut credentibus remissionem peccatorum vitamque æternam largiatur Johan. 17. 2. Actor. 5. 31, & ea omnia nobis suppeditet, quæ ad tantum bonum consequendum sunt necessaria Eph. 1. 22, 28. iv. 10 & seqq. Fuit nempe mors Christi conditio quædam, ipsi à Deo imposita, qua interveniente, ut illi gloria, ita nobis remissio peccatorum & salus æterna parta est. Sic enim Esaias de Christo scribit Esai. 53. 10, 11: *Si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longævum* (h. e. per fidem ex se generabit filios, qui in æternum sunt victuri) & *voluntas Domini* (quæ est, ut nihil ex eo, quod ipsi Pater dedit, perdat Joh. 6. 39, 40; sed resuscitatum ultimo die vita æterna donet) *prosperare perficietur in manu ejus: propter laborem anima ejus videbit & satiabitur, & cognitione sui multos justificabit servus meus justus, & eorum peccata auferet.* quæ verba posteriora sunt priorum repetitio & explicatio quædam. Hinc ipse Servator Luc. 24. 46, 47 vid. etiam vers. 26. & 1 Petr. 1. 11: *Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & à mortuis resurgere, & predicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum.* Quod de Christi Pontificatu, quo in cœlis æternum fungitur Heb. 6. ult. vii. 24 & seqq. viii. 1 & seqq. ix. 12, 24 & seqq. diximus, clare docet Divinus Auctor ad Hebr. dum ait: *Debuit per omnia* (h. e. etiam in afflictionibus & morte) *fratribus similis fieri, ut misericors fieret & fidelis Pontifex in iis quæ ad Deum, ad expiandum peccata populi. In quo enim passus est ipse cum tentaretur, potest* (h. e. prompte solet) *tentatis auxiliari.* Unde inferius monet: cap. 4. 15: 16. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, sed tentatum per omnia secundum similitudinem absque peccato. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam accipiamus, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium.* Itaque jure exclames cum Paulo Rom. 8. 34, 35: *Quis est qui condemnet* (electos Dei?) *Christus [est] qui mortuus est: magis vero qui etiam resuscitatus est, qui etiam est in dextra Dei, qui etiam intercedit pro nobis. Quis nos separabit à dilectione Christi? & quæ sequuntur. Sed hæc ex ipsa disputatione melius intelliguntur.*

* Vid. cap. 1. disput. partic. 57.

RESPONSIO

Ad CAPUT I. quod ita inscripfit Grotius:

Ostenditur controversiæ status, & vera sententia Scripturæ verbis explicatur.

AD hunc modum explicata nostra de Christi morte sententia, ad Grotii sententiam Partic. I. examinandam accedamus, quam his verbis concipit: *Deus motus sua bonitate, ut nobis insigniter beneficeret, sed obstantibus peccatis, quæ poenam merebantur, constituit, ut Christus volens, ex sua erga homines charitate, cruciatus gravissimos & mortem cruentam atque ignominiosam ferendo, poenas penderet pro peccatis nostris, ut salva justitiæ Divinæ demonstratione, nos, intercedente vera fide, à poena mortis æterna liberaremur.*

Hæc verba, si dextre accipiantur, admitti à nobis possunt universa. Nam primum vox poenarum non incommode, quamquam improprie, ad passionem ac mortem Christi, salva sententia nostra, potest transferri, ut mox docebimus. Deinde si justitia divina, cujus in Grotii verbis fit mentio, accipiat vel pro fide ac constantia Dei in servandis promissis, vel pro justificatione nostra, à Deo profecta, quæ utraque hujus vocis significatio in Sacris Literis non est inusitata; fatemur Christum mortuum ad justitiæ divinæ demonstrationem. Hæc autem duo sunt in Grotii verbis, quæ sententiæ nostræ videntur repugnare. Verum Grotius, ut apparet, poenarum vocem accipit proprie. Poena vero proprie dicta describitur à Jurisconsulto, * Vindicta noxæ; consentientibus Græcis, qui ἐκδίκησιν αἰματηρίαν^o definiunt. Hanc nos Christum (quem Deus infinito præmio ad mortem nostra causa sustinendam hortatus est, eoque re ipsa postmodum exhibito, omnes ejus cruciatus abunde compensavit, Esai. 53. 10, 11. Hebr. 2. 9, 10, 11. & XII. 2. Phil. 2. 9, 10, 11) sustinuisse negamus: improprie dictam, fatemur. Id enim, quod Christus perpeffus est, cum vera poena tantam habet cognationem, ut ea vox, & phrasæ in suppliciis proprie dictis usitata, eleganter ad passionem ipsius traduci possint. Convenientia primum est in materia poenæ, quæ est afflictio aut nocumentum; deinde in causa impulsiva procatartica, hoc est, peccatis; tandem in effectu & fine, qui est, ut reatus peccatorum admissorum tollatur, & à peccatis homines abstrahantur; quanquam in modo aliqua est differentia. Deest autem potissimum forma, quæ est vindictæ ratio. Quod si tamen Grotius ad formam poenæ sufficere putat, relationem nocumenti ad peccatum, & ad bonum commune, atque adeo poenam definit, Nocumentum peccati causa cuiquam inflictum, interveniens bono communi, & reatui tollendo; in forma rei, de qua agitur, adeoque in principali quæstione nobis cum ipso conveniet, nec, nisi forte de voce, controversia nobis ab eo hac in parte movebitur. Rem enim fatemur: vocem poenæ proprie huc per-

* Ulpian. Dig. de verb. signif. L. 131.

tinere non concedimus; & in eum sensum semper verba nostra volumus accipi, cum Christum poenas pependisse simpliciter negamus.

Quod ad justitiam divinam attinet, quia eam intelligit Grotius, ut infra docebit manifestius, cujus inter alia officium sit, poenas exigere, quem illius effectum in morte Christi vult re ipsa ostensum; hoc sensu acceptam eam definitionis Grotianæ particulam, qua divinæ justitiæ demonstratio mortis Christi finis esse inuitur, negamus. Alias justitiam illam, quæ suum cuique tribuit, morte Christi demonstratam, nos quoque statuimus: cum fides in servandis promissis, justitiæ hujus pars sit magna; hanc vero morte Christi demonstratam asserimus. Quod si hoc etiam ad justitiam Dei *retributivam* pertinet, ut quidem Grotius contendit, curare bonum commune, & rectum ordinem custodire, quod fit, cum homines à sceleribus ad pietatem, ipsamque salutem perducuntur; hæc quoque ratione istam Dei justitiam Christi morte insigniter esse demonstratam, nostra sententia manifeste probat. Plura hac de re suo loco dicuntur.

Illud autem hic inprimis observandum videtur, quod Grotius in hac satisfactionis Christi descriptione illud non attigerit, quod Socinus potissimum sibi oppugnandum sumserat, nempe Christum morte sua justitiæ divinæ pro peccatis nostris plenissime satis fecisse, hoc est, poenas ejusmodi sustinuisse, quæ vi sua delictis omnibus omnium hominum essent æquales. Vide inter alia Socini loca, quibus id potissimum sibi propositum esse testatur, lib. 3. cap. 4 & 6. Hæc enim communis est de satisfactione Christi sententia, quam Covetus, cum quo Socino res fuit, defendendam sibi sumsit, ut ex ipsius verbis, quibus sententiam suam complexus est, apparet. Grotius autem hoc tantum asserit, Christum poenas pro peccatis nostris pependisse. At poenæ possunt delictis esse longe minores, ac salva justitia admitti, etiam à rectore, cum ordo communis & disciplinæ conservatio majores non postulat, & cæteri, quorum interest nocentem puniri, consentiunt: Quare sententia Grotii id non exprimit, quod sibi Socinus vere sumserat refutandum, nec eodem plane modo satisfactionis vocem, quo Socinus, accipit. Quamquam haud imus inficias, Socinum in disputatione sua hinc inde non pauca afferre, quæ ad eam sententiam, quæ his Grotii verbis videtur expressa, refutandam pertinent: tum quia hac subversa, illa etiam, quæ communior est, corruit; tum quia hæc quoque sententia veram mortis Christi vim obscurat.

Præterea illud in explicatione sententiæ Grotianæ merito desideramus, quod inter causas efficientes rei de qua agit, non posuerit iram divinam, quam infra cap. 5 urget, nec ullum Scripturæ locum, in quo ea mortis Christi causa commemoretur, attulerit. At hæc potissimum fuerat afferenda, & sacris testimoniis munienda: quia hæc est causa propria poenæ: (est enim, ut asserit ipse Grotius, ira puniendi affectus) poena vero est forma, adeoque rei de qua agitur præcipua pars, in qua cardo controversiæ, quam hoc loco Grotius constituit, versatur.

situr. Altum nempe sacrarum literarum hac de re silentium eam hoc loco coegit suppressere. At qui fit, quod sacræ literæ iram Dei in hoc negotio ne semel quidem commemorarint, ingentem autem Dei erga nos amorem, qui mortis Christi causa fuerit, non semel clarissimis verbis expresserint? Charitas autem Dei tanta iram istam, quæ mortis Christi causa fuerit, & Deum ad repetendas peccatorum nostrorum pœnas impulerit, prorsus evertit. Cui enim, quæso, Deus fuit iratus? an Christo filio suo unigenito, innocentissimo & sanctissimo, idque etiam tum, cum aggredere id opus, quod fuit hostia & oblatio Deo in odorem suavitatis Eph. 5. 2. Joh. 10. 17. Hebr. 2. 9, & ob quod ab ipso potissimum dilectus, ac gloria coronatus est? An hominibus? at eos ingenti amore complectebatur, & ut ii non tantum impunitatem, sed etiam æternam felicitatem consequerentur, unicum ac charissimum filium suum morti acerbissimæ tradebat Johan. 3. 16. Non fuit ergo ira divina mortis Christi causa, adeoque nec mors Christi pœna proprie dicta. Sed videamus, quomodo Grotius sententiam suam per causarum genera deducat, & Sacræ Scripturæ testimoniis comprobet.

Primo igitur efficientem causam rei, de qua agit, statuit Deum Grotius Partic. 2. Porro cum res hæc ex sententia ipsius sit satisfactio pro peccatis nostris, morte Christi præstita, negamus ejus rei causam efficientem esse Deum: nec loci, quos Grotius affert, id ullo modo evincunt. Nam quod ad primum attinet Joh. 3. 16: *Deus filium suum unigenitum dedit, ut omnis qui credit in eum non pereat*; nulla ibi satisfactionis mentio, sed tantum traditionis Christi in mortem, nostræ impunitatis ac salutis æternæ causa. Vocem enim *dedit* nil aliud significare quam *dedit in mortem*, infra hoc ipso capite ostendit Grotius. Verba etiam quæ adduntur: *ut omnis qui credit in eum non pereat* &c, sententiæ Grotii nequaquam suffragari, inferius cum de mortis Christi sine agatur, docebimus. Præter hæc autem duo nihil est in hoc testimonio, quod ad suam sententiam defendendam, pertrahere possit Grotius.

Nec vero etiam secundus locus, qui extat Rom. 8. 32: *Deus Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum*, ullo modo Deum causam esse efficientem istius satisfactionis probat. Nam quod primum dicitur, Deum *non pepercisse proprio filio*, id, ut quis animadvertit, ita rectissime accipitur, ac si dictum esset, Deum, licet magna esset causa, cur Filium proprium afflictionibus tantis & morti adeo diræ haudquaquam objiceret, afflixisse tamen, & morti acerbissimæ subjecisse: qua ratione olim filio suo unico non pepercit Abrahamus Gen. 22. 12, 16, quem non punire, sed simpliciter affligere atque occidere voluit. Deinde quod dicitur, Deum *pro nobis tradidisse* Filium suum, id, ut cap. 9 patebit, nil aliud est, quam quod Deus eum propter nos, seu salutis nostræ causa in mortem tradiderit. Neutrum autem satisfactionem ullam evincit. Imo cum Paulus hoc Dei factum, quod proprio filio non pepercerit, sed pro nobis omnibus eum tradiderit, afferat ut argumentum divinæ erga nos charitatis ac beneficentiæ; fieri non potest, ut

in iisdem verbis de satisfactione Deo præstita loquatur; quod ipsum etiam de priori loco Joh. 3. 16 dictum volumus.

Tertium & quartum testimonium Esai. 53. 6: 2 Cor. 5. 21, itidem non favere Grotio, infra cum de forma dicemus, demonstrabitur.

Quod ad causam priorem attinet Partic. 3, quæ Deum moverit, nempe ipsius charitatem seu *φιλανθρωπία*, ea quidem fatemur Deum impulsam, ad Christum nostræ salutis causa in mortem tradendum, quod solum loci à Grotio adducti Joh. 3. 16. Rom. 5. 8 evincunt, non autem ad satisfactionem pro peccatis nostris à Christo exigendam. Imo charitas illa Dei, quæ summam ipsius erga nos beneficentiam complectitur, satisfactionem istam prorsus evertit, ut jam indicavimus, & suo loco fusius ostendemus.

Quod ad posteriorem causam attinet Partic. 4, quæ Deum moverit, nempe peccata nostra pœnam commerentia, ea itidem non ad satisfactionem à Christo exigendam, sed ad Christum morti tradendum impulit Deum. Verba Rom. 4. 25 à Grotio citata contrarium non evincunt.

Quod vero Grotius Partic. 5 hoc loco asserit, phrasin *propter peccata* perpeffionibus junctam, semper causam impulsivam notare, nec unquam aliter sumi, contra quam Socinus opinetur, qui & impulsivam & finalem ea phrasi designari statuit; id locus ab ipso met Grotio hic allatus dubium reddit. Nam cum in eo loco Christus propter peccata nostra dicatur traditus; hac phrasi causam finalem indicari, sequentia verba, *resuscitatus propter justificationem nostram*, innuere videntur, in quibus causam finalem significari nemo non agnoscit. Nam quod Grotius infra ad finem hujus capitis ait: vocem *propter* in utroque loci hujus membro non similiter sumi, & in posteriore finem, in priore impulsivam causam notare; rationem asserens, quod finis bonum sit, peccata vero malum: non videtur id, quod asserit, satis probasse. Nec enim, si phrasis hæc *propter peccata* finem notet, necesse erit, ipsa peccata esse finem, atque adeo bonum. Nam satis est, si id sit finis ac bonum, quod ad peccata respectum habeat, nempe abolitio peccatorum, quæ his verbis tacite comprehendatur: quemadmodum 1 Cor. 7. 2, cum dicitur, *propter stupra unusquisque habeat suam uxorem*; nemo non videt, verbis *propter stupra* causam finalem conjugii denotari, licet stupra mala sint, & conjugii finis esse nequeant. Apertum enim est, ita ea verba esse capienda, ac si scriptum extaret, *propter supra vitanda*. Nihil igitur obstat hæc Grotii ratio, quominus illa verba *propter peccata* Rom. 4 sic accipiantur, *propter peccata abolenda*, atque ad eum modum finem notent. Nec vero officit, quod hic voces *propter peccata* perpeffionibus jungantur; nisi velis perpeffiones abolendorum peccatorum causa suscipi non posse, quod nec Grotius dicere potest, qui finem pœnarum statuit morum correctionem, & nos falsum in hoc ipso mortis Christi negotio, supra, cum de ejus fine actum est, docuimus. Hoc vero concessio, nulla est causa, cur perpeffiones, phrasi *propter peccata* junctæ, vim notandi finem adimant, quam similes phrasæ

phrases recipiunt, ut præter locum 1 Cor. 7 jam adductum, docet etiam ille Gal. 3. 19.

Idem ex parte dicimus de altera phrasi *pro peccatis* Partic. 6, quæ Græcis est *ὑπὲρ* aut *ἀντὶ ἁμαρτιῶν*, quam finem notare, docere potest locus Hebr. 10. 26. *Sponte peccantibus nobis post acceptam cognitionem veritatis, non amplius pro peccatis relinquitur hostia.* Perinde enim accipienda esse verba hæc posteriora, ac si scriptum esset, non restare amplius hostiam expiandis peccatis, eorumve reatui ac poenæ auferendæ, indicat oppositio. Nam statim sequitur: *sed* (scil: *relinquitur*) *terribilis quedam expectatio iudicii & ignis amulatio, qui devoraturus est adversarios.* Idem agnoverunt Beza & Castellio in illis verbis Rom. 8. 3, *& pro peccato condemnavit peccatum &c.* Castellio enim in margine versionis suæ ita notavit ad verba *pro peccato: ad delendum peccatum.* Beza vero: *ut ipsam peccatum aboleret.* Quin etiam hic, refutans eos, qui vocem *peccati* in iisdem verbis de hostia pro peccato intelligunt, ait: *aut ego prorsus fallor, aut præpositio ἀντὶ nulla ratione potest hanc interpretationem admittere.* Postulat enim istorum sententia, ut præpositio ἀντὶ pro de causâ efficiente accipiatur, quam Beza hic pro *ὑπὲρ* positam scribit, & finem vult notare. Eandem vim causam finalem denotandi in verbis *pro peccatis* agnovit Musculus in loco, quem Grotius citavit, 1 Cor. 15. 3 ubi inter alia notat: *Expressisse hac particula Apostolum rationem mortis Christi & redemptionis utilitatem &c., & rationem dicti reddens, mox subjungit: Cum enim dicit, Christum mortuum esse pro peccatis nostris, significat mortem illius ad hoc fuisse divinitus destinatum, ut à condemnatione mortis æternæ, cui propter peccata nostra eramus obnoxii, veluti redemptionis pretio liberaremur* &c.* Idem agnovit Adamus Sæboud, homo quidem Pontificius, sed, ut ex ejus Commentariolo in Epistolas Apostolicas apparet, vir doctus, qui ad verba illa *ὑπὲρ τῆς ἁμαρτίας* pro peneplacito Phil. 2. 13 notat: sensum Latinorum interpretum, qui ea verba de causâ impulsivâ capiant, valde quidem convenire rei de qua agatur, sed ei admodum repugnare præpositionem *ὑπὲρ*, quæ fere soleat servire fini ac intentioni; atque ad id illustrandum adducit verba Pauli Gal. 1. 4 à Grotio etiam hic citata: *tradidit semetipsum pro peccatis nostris, quæ ita explicat: id est ad abolenda peccata.* additque quod Latini dicant, vocavit me pro sua humanitate, Græcos efferre per aliam præpositionem quam *ὑπὲρ*: & interpretes Græcos Chrysostomum, Theophylactum, & Oecumenium à communi sensu, quem Latini sequantur in loco Phil. 2. 13 retentos sive abductos fuisse præpositione *ὑπὲρ*. ac tandem concludit, si quis sequi velit Latinos, eum dicere posse, Apostolum ab usum præpositione, quod ipsi non sit infrequens. Quæ ideo fusius recensuimus, ut non tantum hujus phraseos *pro peccatis* significatio pateret, sed illud quoque constaret, quid in genere de vi particulæ *ὑπὲρ* sit sentiendum. Quo spectat etiam Victorini Strigelii testimonium, qui cum eadem illa Pauli ad Phil. 2 verba ita reddidisset: *ut aliqua fiant Deo grata, rationem dicti addit: Significatur enim præpositione ὑπὲρ causâ finalis, non, ut alii*

* Edit. Lovanii An. 1556 apud Ant. Mariam Bergag.

enarrarunt, efficiens. Itaque horum virorum sententia verba illa *ὑπὲρ τῆς ἁμαρτίας* similia sunt illis Col. 1. 10. *ἐν παντί ἀρέσκειν*, ut per omnia placeatis, nempe Domino. Quanquam ita etiam queunt accipi: ut beneplacitum suum ad effectum perducatur, quod item finem significat, licet ipsum beneplacitum sit causâ efficiens impulsivâ. Sed ut ad phrasin *pro peccatis* redeamus, ea finem notari posse docet etiam Vatabli de simili phrasi testimonium. Ita enim ad vers. 1. cap. 3. Habac. notat: *Oratio Habacuc pro ignorantibus, id est, quam habuit, ne Deus imputaret suis popularibus ignorantias.* Quod si dixerit Grotius, in quibusdam ex his locis, verba *pro peccatis* non jungi perpersionibus: se autem id tantum negare, ea verba perpersionibus junctâ finem designare; respondemus primum id, quod supra diximus, de phrasi *propter peccata* agentes: si alibi eam vim habere deprehendantur, nullam esse causam, cur etiam tum habere non possint, cum perpersionibus junguntur iis, de quibus inter omnes constat, quod peccatorum tollendorum causâ fuerint susceptæ, quales sunt perpersiones Christi, quarum occasione de vi verborum istorum disputatur. Deinde si ratio Grotii, quam infra ad sententiam suam comprobendam affert, firma est, nempe quod peccata neque finis cui, neque finis cuius esse possint; sequitur, nec in ullo locorum à nobis adductorum, nec in similibus uspiam, verba *pro peccatis* causam finalem denotare, sive perpersionibus jungantur, sive minus. In nullo enim istorum locorum ipsa peccata finis rationem habere possunt, sed id tantum, quod ad peccata respicit, & circa ea vertitur, quemadmodum una cum aliis viris doctis Socinus voluit: quam sententiam suam indicavit de Serva: lib. 2. cap. 7. pag. 110. sed apertius in prælectionibus Theolog. cap. 20. pag. 121, 122. ubi cum asseruisset, verba *pro peccatis* de causâ finali debere intelligi, ait: *Cum igitur scriptum legimus, Christum pro peccatis nostris passum & mortuum fuisse, intelligendum quidem est, id propterea factum esse, ut inde effectus aliquis nostra peccata respiciens consequeretur &c. nempe ut nos à peccatis retraheremur; utque nobis fides fieret, peccata nostra, si ipsi Christo obediremus, nobis divina benignitate remissum iri; ac denique ut remissionem peccatorum istam reipsa, ejusque fructum sentire & consequi possemus.* Simile quippiam accidit in aliis phrasibus, in quibus locus est particulæ *ὑπὲρ*, ut in illis Apostoli verbis Rom. 15. 8, ubi dicitur, Jesum Christum ministrum fuisse circumcissionis *ὑπὲρ ἀληθείας θεῆς*, pro veritate Dei, nempe patefacienda, & reipsa comprobanda; quod statim explicatur, dum additur: *ad confirmandas promissiones patrum.* Quam sententiam omnes, ni fallor, interpretes agnoverunt, adeoque finalem causam verbis *pro veritate Dei* designari crediderunt, licet ipsa Dei veritas causâ efficiens fuerit, ob quam Christus minister circumcissionis extitit, hoc est, circumcisis seu Judæis Evangelium ministravit, causâ vero finalis fuerit comprobatio divinæ veritatis, quæ satis videbatur expressâ, nominata Dei veritate, ad quam comprobatio illa tota respexit.

Quod vero Grotius Partic. 7 contra Socinum asserit, *ὑπὲρ* & ἀντὶ non minus causam impulsivâ quam finalem significare, itemque particulam *pro* apud

apud Latinos: id possemus salva sententia nostra de morte Christi transmittere; præsertim cum nos una cum Socino fateamur, peccata nostra causam mortis Christi impulsivam fuisse, cujus rei obtinendæ gratia Grotius hæc disputat; neque concessio eo, quod de hac particula in genere scribit Grotius, omnino consequatur, verba *pro peccatis* in nostro negotio causam impulsivam denotare. Veruntamen si recte attendatur Socini hac de re sententia, quam cum aliis viris doctis ei communem esse ostendimus, non videmus, eam repudiandam esse. Id enim voluit Socinus, particulam *ὑπὲρ*, aut Latinam *pro*, atque adeo etiam *ὑπὲρ*, quando *pro ὑπὲρ* collocatur, non significare revera unde aliquid proficiatur, id quod est causæ efficientis, sed *quoniam* respiciat, & in quem veluti scopum mens agentis intendat ac collimet; quod dum fit, finis actionis vi hujus particulæ semper significatur, quamquam nunc apertius, nunc minus aperte. Apertius, cum finis sive *cujus*, sive *cui* particulæ *ὑπὲρ* expresse subjicitur, quod in multis fit sacrarum literarum locis; Johan. 6. 51. cap. 11. 4. 2 Cor. 1. 6. 11. 19. 11. 1. 8. 2 Thess. 1. 5. Rom. 8. 31. Heb. 6. ult. 9. 24. 11. 17, nec id diffitetur Grotius. Minus aperte, cum non quidem ipse finis particulæ huic subjungitur, sed illud, ad quod finis iste respicit, & circa quod vertitur, ita ut mens in finem intenta, ad illud quoque respicere ac veluti collimare cogatur; licet id per se ad aliud aliquod causarum genus atque adeo ad causam impulsivam nonnunquam referendum sit. Verum id respectu significationis particulæ *ὑπὲρ* ex accidenti est. Hanc fuisse Socini mentem, ex ipsius verbis facile intelligitur, quæ paulo superius adduximus, de phrasi *pro peccatis* differentes. Ex iis autem, quæ nunc diximus, patet causa, cur *ὑπὲρ* cum vocula *ὑπὲρ*, quæ materiam circa quam, seu objectum proprie notat, tam crebro commutetur: nempe quia mens agentis etiam objectum respicit, & in id intendit, ac finis actionis ad illud aliquo modo refertur. Itaque particula *ὑπὲρ*, quando *pro ὑπὲρ* usurpatur, deflectit quidem à propria significatione, sed non longe: quia tamen deflectit, ideo à doctis Latine non *pro*, sed, ut *ὑπὲρ*, de verti solet; potestque statui, Socinum de iis locis, ubi sic usurpatur, non esse loquutum, sed de iis tantum, ubi *ὑπὲρ* Latine reddenda est *pro* aut *propter*, quemadmodum colligi potest ex loco, quem Grotius notavit, lib. 2. cap. 7. Huc vero possunt referri nonnulli ex iis locis, quos Grotius adduxit, ut probaret, *ὑπὲρ* causam impulsivam significare, qui quidem extant 2 Cor. 7. 4. 1. 2. 11. 5. quibus alia non pauca in eadem Epistola sunt similia, ubi de gloriatione *ὑπὲρ* *τινός* aut *τινῶν* agitur. Notavit id Beza non semel, ideoque una cum aliis recentioribus interpretibus *ὑπὲρ* in ejusmodi locis non vertit *pro*, sed *de*: quod etiam vetus interpres fecit cap. 7. 14. 1. 3, 4. licet alibi *pro* habeat. Hæc significatio frequentius reperitur in hac Epistola, quam alibi. Vide cap. 1. 6 spes nostra firma *ὑπὲρ ὑμῶν* de vobis. & vers. 8. *ὑπὲρ τῆς θλίψεως* de afflictione cap. 8. 2. *ἐπὶ ὑπὲρ τίτῳ* sive de Tito scil. quaeritur. Exemplum quoque apertum habes Rom. 9. 27. Huc etiam referendus est locus Judic. v. 15. à Grotio citatus, qui eo minus ad rem facit, quia ibi est *ὑπὲρ*, quod propriam suam vim ibi retinet, & obje-

ctum notat. Itaque vetus interpres, ad stipulante partim verbis, partim sententia, Beza & Castellione, ita reddidit verba: *arguere omnes impios eorum. de omnibus factis impietatis eorum*. Ea certe usitata est ac propria significatio phraeos *ἐλάνχεν* aut *ἐξελάνχεν* *ὑπὲρ* *τινός*; ut inter alia videre est Joh. 8. 46: xvi. 8, 9, 10.

Neque vero sententiæ Socini à nobis explicatæ repugnant, aut Grotium quicquam juvant ea loca, in quibus *ὑπὲρ* commutationem quandam significat, quo pertinet inprimis ille 2 Corinth. 5. 20. *ὑπὲρ χριστοῦ*, quod Grotius infra tum hoc tum 7. cap. vertit *nomine Christi*. Nam ubi commutatio fit, finis sive per se, sive per accidens, est compensatio quædam, quæ nunc vera est, nunc veræ loco, ac velut imaginaria. Compensatio autem ad illud respicit, cujus loco alterum reponitur. Atque huc pertinent ista: gratias agere aut reddere pro beneficiis, aut pro iis, in quos beneficia sunt collata; laudare pro misericordia; ulcisci pro injuriis, & his similia 1 Cor. 1. 4. 2 Cor. 1. 11. Rom. 15. 9. Neque enim ideo particula *pro* hic adhibetur, quia alterum sit causa impulsiva alterius, sed quia quædam inter ea fiat commutatio, ut in aliis multis, ubi res pro redari aut poni dicitur.

Verba 2 Cor. 12. 10. angustia *ὑπὲρ χριστοῦ*, quæ pro sua sententia Grotius inter alia citavit, rectissime de fine intelliguntur; ut sensus sit: angustia, quas ob Christi gloriam, seu regni ipsius promovendi gratia perfero. Ubi Christus est *finis cui*, ut loquuntur.

Rationem Grotii, qua probare conatur, voces *pro peccatis* perpeffionibus Christi junctas finem notare non posse, quia peccata nec sint finis cui, nec cujus, supra refutavimus.

Instat adhuc Grotius: Partic. 8. *Quis unquam dixit pharmacum sumi propter mortem, id est mortis à vertende causa? sed propter morbum sumi ideo dicitur, quod morbus nos eo adigat.*

Sed nulla ratio vetat, quominus dicas, pharmacum sumi propter mortem, id est mortis avertendæ causa: quemadmodum & propter morbum, id est morbi depellendæ causa. Medicis sane vulgo usitatum est, hoc sensu efferre particulam *pro*: ut cum dicunt, remedia parari aut sumi pro podagra, pro calculo, pro peste, pro febre, aliisque morbis, hoc est, illorum depellendorum gratia.

De loco Esai. 53. 5 quem hic producit Grotius Partic. 9 ad ostendendum peccata nostra impulsivam esse mortis Christi causam, nihil opus est dicere: cum Socinus lib. 2. cap. 7 eodem argumento, quo hic utitur Grotius, ex particula Hebræa Min ducto, probarit, verba *propter peccata* isto in loco non finalem, sed efficientem seu antecedentem mortis Christi causam denotare, quæ hic nulla est alia quam impulsiva procatartica.

Locus Rom. 6. 10. *Christus mortuus est peccato*, huc proprie non spectat, nec ita reddendus est, ut vult Grotius, Partic. 10. *mortuus est ob peccatum*. Mortuus enim hic dicitur Christus peccato semel, quod afflictionibus & morte, quæ hoc loco peccati nomine figurate intelliguntur, semel sit defunctus, & ex iis hoc pacto plane exemptus ac liberatus, ita ut in eum nihil amplius juris habeant. Nam comparatio hic instituitur inter nos & Christum, ut, quemadmodum ille semel peccato est mortuus, & ex ejus impe-

rio penitus exemptus : ita & nos censeamus, peccato, nempe proprie sic dicto, nos esse mortuos, hoc est, ex ejus imperio penitus exemptos ; & quemadmodum nunc Christus vivit Deo, hoc est, vitam degit Deo dignam ac gloriosam, seu vitam immortalem : ita & nos vivamus Deo, hoc est, vitam agamus Deo dignam ac gloriosam, seu sancte ac pie vivamus. Considerentur ea, quæ apud Apostolum antecedunt ac consequuntur. Similis est locus 1 Petr. 4. 1, 2, qua de re jam monuerat Socinus lib. 2. cap. 22.

Pergit Grotius Partic. 11 : *Cum causa impulsiva multiplex esse possit, hoc loco meritoria accipienda est. Agitur enim de pœna, ut mox ostendemus. Peccata autem pœna causa non sunt aliter quam per modum meriti.*

Quia hanc assertionem suam eo fulcit Grotius, quod mors Christi sit pœna; quomodo id probet, suo loco videbimus. Interim fatemur, peccata nostra, posito Dei de salute nobis danda, & ejus spe firma in hoc seculo nobis inferenda decreto, eatenus etiam fuisse impulsivam mortis Christi causam, quatenus pœnam merebantur, pœnam, inquam, nobis ipsis infligendam, eamque æternam. Eatenus enim decreti istius divini effectum impediabant. Ne vero impedirent, morte Christi poterat effici, atque adeo effectum est. Verum ut melius pateat, quo pacto peccata nostra fuerint impulsiva mortis Christi causa, paulo altius repetenda est eorum vis, quam habent ad decretam nobis à Deo salutem salutisque spem eripiendam. Ea est, quod peccata nostra tum Deo, tum Christo, per quem salutis nostræ negotium administrare atque ad finem perducere Deus gravibus de causis decrevit, vehementer displicent, ideoque ipsius iram, &, quæ hanc consequi solet, pœnam provocant, non temporariam solum, sed & æternam, quæ salutem nostram prorsus evertit. Id porro cum à nobis consideratur, æstimantibus peccatorum nostrorum magnitudinem ac multitudinem, gravissimas supremi sanctissimique Numinis offensas, jus ac potestatem, quam ad nos puniendos habet; spem salutis firmam concipere, & inter tot mala, quæ vel impendent, vel incumbunt, ipsamque adeo mortem, quæ divinæ iræ ac interitus æterni metum nobis incutiunt, constanter retinere non possumus. Hæc vis peccati nobis adeo noxia ut tollatur, partim quidem ipsa peccata sunt è nobis tollenda; siquidem qui in iis perseverant Deo placere ac salutem adipisci nullo queunt pacto; partim etiam evidentibus argumentis demonstrandum, nec præterita nostra scelera, gravissima licet atque innumera, si ab illis desistamus, nec lapsus nostros, qui pietatis nostræ cursui forsan interveniant, nobis imputatum iri, & jus quoddam nobis dandum, quo nos adversus Dei judicia tueamur; efficiendum denique ut fructus decretæ nobis remissionis ac salutis ad nos redeat. Hoc vero totum morte Christi interveniente effectum esse, tum ex iis colligi potest, quæ ab initio de vi mortis Christi disseruimus, tum ex iis intelligitur, quæ dicemus inferius, de remissione peccatorum, quam alterum mortis Christi finem constituit Grotius, agentes. Hæc ratio, qua peccata nostra fuerint mortis Christi causa impulsiva, charitati divinæ erga nos, quam in hoc negotio passim inculcant Sacra

Literæ, est convenientissima; ea vero, quam hic intelligit Grotius, iram ac severitatem Dei adversum eos ipsos, quorum felicitati mortem Christi destinavit, argueret, quam Sacra Literæ in hoc negotio nuspiam commemorant. Quare etiamsi tandem concederetur id, quod hoc loco urget Grotius: non posse ostendi, voces istas, *ob peccata*, vel *propter peccata*, præsertim ubi perpeffionibus junguntur, aliter sumi usquam in Sacris literis, quam in hoc, quo ipse vult, meriti significatu: non tamen sequetur, idem hoc loco fieri; cum materia subjecta id non patiatur: ista vero significatio, quam Grotius in Sacris Literis vult esse perpetuam, ex subjecta materia, non vero simpliciter ex vi verborum *propter peccata*, etiam perpeffionibus junctorum, pendeat: cum ea vel finem, vel causam antecedentem simpliciter significant: quæ vero sit illius causæ species, ex re ipsa sit colligendum. Sic cum Moses ait Deut. 9. 18: *Prostratus coram Domino, ut antea, quadraginta dies, & quadraginta noctes, nec panem comedi, nec aquam bibi, propter omne peccatum vestrum, quod perpetraveratis &c.* Non est intelligendum, peccata populi istud meruisse, aut Mosen, ut pœnam aliquam pro iis sustineret, sese prostravisse, ac per tantum temporis spatium jejunasse: sed tantum, Mose peccatis populi impulsus fuisse, ut ista faceret; cum videret, Deum ob eorum peccata tantopere iratum, ut eos etiam perdere vellet, quemadmodum ibidem additur vers. 19 & 25, quam Dei iram Moses, coram ipso prostratus, à populo avertit.

Subjungit Grotius Partic. 12: *Non evincit contrarium locus ille 1 Reg. 14. 16: Tradet Deus Israël propter peccata Jeroboami. Nam peccata Jeroboami illo loco significant genus ipsam peccati; idololatriam scilicet, cujus populo autor fuerat Jeroboamus: idque manifeste explicant sequentia: quibus peccavit & quibus peccare fecit Israël. Hac enim verior est interpretatio, quam illa à Socino allata; qui peccavit & peccare fecit Israël. Peccata ergo illa, quorum autor erat Jeroboamus, imitator populus, traditionis istam pœnam merebatur.*

At nuspiam Socinus negavit, peccata illa, quorum auctor erat Jeroboamus, imitator populus, traditionis istam pœnam meruisse. Socinus enim ideo verba hæc adduxerat, ut ostenderet, voces *propter peccata* perpeffionibus junctas, non significare satisfactionem pro peccatis divinæ justitiæ præstitam, sed tantum, *peccatorum causa*: quemadmodum cuivis locum inspicienti patet, qui extat lib. 2. cap. 7. Hoc autem, quod asserit Socinus, verum esse potest, etiamsi peccata sint causæ meritoriae afflictionis ejus, de qua sermo est; præsertim si consideres, quid satisfactionis nomine Socinus intelligat, qua de re supra. Potest enim quispiam merito puniri, nec tamen interea plene satisfacere. Quod etiam hoc ipso loco factum est. Nam populus Israëliticus pro peccatis alienis afflictione sua nequaquam potuit satisfacere, cum nec pro suis vere satisfecerit. Nec vero multum referret, etiamsi verior esset Grotii interpretatio. Satis enim est, eam quoque versionem, quam assert Socinus, sustineri posse; quod ne Grotius quidem negaverit; nam & verbis ipsis, & loci circumstantiis est consentanea, nec quicquam à veritate alienum continet:

tinet: unde factum, ut non modo vetus interpres, sed etiam alii quidam viri Hebrææ linguæ peritissimi eam sint sequuti. Sed nulla ratione probat Grotius, suam illam interpretationem esse veriore, & peccata Jeroboami significare genus ipsum peccati. Imo ex cap. seq. vers. 30. Ubi decreti hujus divini, quod attinet ad domum Jeroboami, narratur exsequutio, & manifesta est ad verba cap. 14 relatio, diversum videtur apparere. Cum enim ibi eadem verba habeantur, propter peccata Jeroboami, qui, vel ut Grotius vult, quibus peccavit &c. Et res ipsa satis indicet, de peccatis ab ipso Jeroboami perpetratis, quorum imitatores fuerant ipsius posterius, atque una populus, esse sermonem, censendum est idem cap. 14 fieri.

Merito imitatores alieni peccati pœnas dare, non tantum ob sua, verum etiam ob aliena peccata, non coactus, ut Grotius loquitur Partic. 13, fatetur Socinus, sed libens agnoscit, idque nihil contra ipsum facere cap. 4 docebitur.

Pergit Grotius Partic. 14: *Locus Psal. 39. 12, quem Socinus citat, manifeste contra ipsum facit: Aut enim: In increpationibus propter iniquitatem corripuisti aliquem, & liquefieri fecisti ut tineam desiderium ejus, hoc est, si quem velis punire quantum meretur peccatum, profecto ei homini ipsa vita vitalis non erit. Hac enim ratione Deum vult permovere ad miserationem: ut alibi, Si iniquitates observaveris (hoc est, rigide earum pœnas exegeris) quis stabit, aut sustinebit? Psal. 130. 3.*

Sed quomodo hic locus adversus Socinum manifeste facit? an forte ostendit, propter iniquitatem increpare, significare satisfactionem divinæ justitiæ præstitam? haudquaquam. At istud tantum est, quod Socinus eo loco fieri negat. Quod vero Grotius ita Davidis verba capit, ac si dictum esset: *si quem punire velis quantum meretur peccatum*, id nulla ratione nititur. Est enim hic dictum generale, quo non tantum pœnæ delictis pares comprehenduntur, sed & alia castigationum genera, quibus homines erudit Deus, ut ab iniquitate discant recedere; atque adeo hæc ipsa Davidis castigatio, quam ut Deus à se velit transferre, hic rogat, rationem afferens ab illius gravitate ductam, ut ita ad miserationem permoveat Deum. *A conflictu*, inquit, *manus tuæ ego defeci*, vers. 11, idque aliquo pacto comprobatur, dictum istud generale subjicit: *In increpationibus propter iniquitatem &c.* Quasi dicat: non mirum est me ob gravitatem hujus mali, quod mihi inflixisti, deficere. Nam cum tu hominem corripis ob iniquitatem, ut discat ab ea recedere, quicquid in ipso est desiderabile (vel ipsum ejus desiderium atque cupiditas) liquefit ut tinea. At cum David roget Deum, ut hanc castigationem à se auferat, eo ipso docet, se nondum punitum esse, quantum peccatis suis erat meritis. Alias ipsa Dei justitia id omnino requisivisset, ut punire desineret. Ratio, quam pro se adducit Grotius, non magis ipsius quam nostram sententiam confirmat. Ostensum enim est, quomodo David, nostra etiam explicatione retenta, Deum ad miserationem impellere potuerit.

Cum conclusisset Grotius Partic. 15, phrasin ob peccata causam denotare impulsivam, & quidem me-

ritoriam, addit: *Nam quod Socinus alicubi hoc queris effugium, ut dicat satis esse ad hujus phrasios veritatem, ut qualiscunque occasio indicetur, id primum ipsius positioni repugnat, qua dictionem pro dixerat nunquam ad impulsivam, semper vero ad finalem causam referri, cum occasio causa finalis sit nullo modo: si autem causa dici meretur, ad impulsivam referri debeat. Deinde vero talem expositionem vocum pro peccatis & propter peccata, tum Scriptura, tum sermonis communis usus plane repudiat.*

At nusquam ita loquutus est Socinus, ad veritatem harum phrasium satis esse, ut qualiscunque occasio indicetur: sed tantum, non oportere statuere, Christum divinæ justitiæ pro peccatis nostris satisfecisse, cum voces istæ apud scriptores sacros nihil aliud significant, quam peccatorum causa vel occasione, lib. 2. cap. 7. Deinde vox occasione non est ex Socini mente referenda ad phrasin pro peccatis, sed tantum ad illam, propter peccata. Nec enim inusitatum est eruditis, ut, cum de duabus aut pluribus rebus conjunctim agunt, plura de utrisque, aut omnibus simul pronunciare videantur, quæ tamen omnia simul ad singulas res, de quibus loquuntur, nolint pertrahi. Socinus certe, cum de verbis pro peccatis separatim agit, nusquam, quod sciam, occasionis voce utitur. Quare nulla est pugna inter Socini dicta. De usu phrasium istarum jam supra diximus.

Addit Partic. 16: *Intelligi hinc potest, quam non recte Socinus neget, præter Dei & Christi voluntatem, causam antecedentem mortis Christi posse reperiri.*

At Socinus non simpliciter causam antecedentem mortis Christi præter Dei & Christi voluntatem negat, sed legitimam tantum, quam vocem Grotius apud Socinum legit, & infra ipse addidit cap. 5. pag. 87, eundem Socini locum lib. 3. cap. 10 citans, quem hic in margine notavit. Intellexit nempe Socinus causam antecedentem ejusmodi, ob quam Christus mori jure teneretur: unde eam cap. præced. causam juridicam nominaverat. Idem sibi voluit Socinus in illis verbis, quæ fortasse maxime in hanc sententiam induxerunt Grotium, cum ait: *quamvis nulla præterea* (hoc est, præter Dei voluntatem, qui salutis nostræ causa Christum mori voluit, quam ipsius etiam Christi voluntas est sequuta) *antecedens causa esset, cur ille mortem perferre deberet.* Nam verbis his postremis: *cur ille mortem perferre deberet*, expressit vim vocis legitimæ, qua antea fuerat usus, cum hic epilogus quidam superiorum contineatur. Unde liquet, nihil fuisse, quod laboraret Grotius, ut probaret, fuisse causam aliquam antecedentem mortis Christi præter Dei ac Christi voluntatem, & Socino locum Pauli Galat. 2. 21 opponeret, cum id ipsum Socinus etiam agnoscat. Verum quia occasione loci Paulini Socinum castigat, videamus quæ scribat.

Verba Apostoli sunt: *Si per legem justitia; ergo Christus duxerit est mortuus.* Subjicit Grotius Partic. 17. *Ubi vox duxerit, Socino agnoscente significat sine causa: sed addi debuit, sine causa antecedente: qua originaria & maxime frequens hujus vocis est significatio, quod ex ipsius vocis derivatione, & locorum quo-*

quorundam Scripturæ collatione probat. At primum nihil opus erat, ut Socinus adderet vocem *antecedentis*, cum id ad dissolvendam Acontii rationem, quam eo loco examinat, nihil faceret, nec de eo esset quæstio. Controversia inter Acontium & Socinum, quod ad hanc vocem attinet, in eo consistit, quod Acontius vocem *δωρεάν* reddit *sine necessitate*, Socinus simpliciter *sine causa*. Deinde si quis recte attendat, animadverteret, Socinum ea voce antecedentem causam revera intelligere, licet ea ad finem respiciat. Neque enim vocem *δωρεάν* ita accipit, ac si dictum esset, nullum futurum fuisse finem, cujus gratia Christus moreretur: sed, nullam sufficientem futuram fuisse causam, quæ requireret, ut Christus in eum finem moreretur, in quem revera mortuus est, si ex Lege petenda esset justitia. Statuit namque Socinus, Paulum pro concessio hic sumere, Christum, ut novam justitiæ consequendæ rationem assereret, fuisse mortuum. Causa vero illa, quam Socinus intelligit, est absentia hujus finis, hoc est, defectus viæ illius, qua justitiam consequi possemus. Quæ causa nisi antecessisset, temere Deus Christum inorti tradidisset. At ea causa tollitur, si per Legem possumus ac debemus justitiam consequi: siquidem Lex ante Christum jam exstitit. Quapropter jure petuit dicere Apostolus: *si per legem justitia, Christus sine causa mortuus est*, hoc est, sine causa factum est, ut Christus novam consequendæ justitiæ rationem non modo traderet, sed etiam ejus asserendæ gratia tam diram mortem perferret. Addo tamen, vocem *δωρεάν*, & Latinam *gratis*, cum in strictiori & magis propria significatione usurpantur, non tantum antecedenti causæ, sed etiam fini, atque adeo eventui certi generis opponi. Nam cum ait Paulus 2 Corinth. XI. 7 *se δωρεάν* Dei Evangelium prædicasse Corinthiis; non tantum significat, se nulla mercede ante accepta illis Evangelium ministrasse, sed nec eum finem prædicasse, ut mercedem ab illis acciperet, nec postea unquam stipendium laboris compensandi causa vel requisivisse, vel accepisse. Eadem significatione usurpatur in illis Christi verbis Matth. 10. 8, ubi ait discipulis: *gratis accepistis, gratis date*. De eventu etiam accipitur vox Hebræa *Chinnam*, quæ, ut vel ex Grotii dictis constat, voci *δωρεάν* exacte respondet, in loco à Socino allato Ezech. 10. 6, qua ratione etiam Latine dicimus, aliquem serviisse cuiuspiam gratis, quia mercedem pro servitio non acceperit, licet tandem mercedis gratia servierit. Hac significatione usurpatur ea vox Jerem. 22. 13, ubi ita scribitur: *Væ edificanti domum suam non cum justitia, & scenacula sua non cum judicio, qui utitur servitio proximi sui gratis* (in Hebræo est *Chinnam*) *& opus suum* (hoc est mercedem laboris sui) *ei non reddit*. Ubi quid aliud est *gratus*, seu *Chinnam*, quam *absque mercede*, quemadmodum præter rem ipsam Vatablus ibidem monet, & sequentia Prophetæ verba satis aperte indicant? Quare ratio ab etymologia ducta firma non est, multo minus Socino adversatur, qui causam antecedentem loco ad Gal. significari, nequaquam it inficias.

Pergit Grotius Partic. 18: *Locus Pauli, de quo*

agimus, aliam quam antecedentem causam intelligi non patitur. Nam quam causam Socinus comminiscitur, nimirum ut fides fieret vitam emendantibus remissionis peccatorum, hæc causa finalis ad prædicationem, & ad resurrectionem, non autem ad mortem pertinet.

Antecedentem causam hic agnoscere Socinum, dictum est. Non comminisci autem Socinum causam ullam, cum asserit, Christum ideo mortuum, ut vitam emendantibus remissionis peccatorum fides fierit, patet ex iis, quæ supra de fine mortis Christi diximus, ex quibus intelligitur, eam causam non tantum ad prædicationem & resurrectionem, sed etiam ad mortem Christi distincte sumptam, quemadmodum eam hoc loco accipit Grotius, pertinere, qua de re infra denuo erit agendum.

Pergit Grotius Partic. 19: *Quod cum videret Socinus, mortis nomine hic Christum intelligi voluit, & prædicationem quoque ac resurrectionem includi: tum distorte, tum contra Pauli mentem.*

Hic rectius fecisset Grotius, si addidisset vocem *totum*, quæ est apud Socinum, ait enim: *totum Christum* hic intelligi. Ex ea namque voce manifestius apparuisset, non Christi personam, sed ea omnia à Socino intelligi, quæcunque salutis nostræ causa vel is fecit, vel in eo facta conspeximus, quemadmodum ipse se explicuit. Sed quomodo hoc fit distorte? an distorte fit, cum per opus Christi, quod inter omnia, quæ salutis nostræ causa fecit, est maxime arduum, & potissimum ipsius erga nos charitatis argumentum, cætera quoque intelliguntur, quæ ad eundem finem referuntur, & cum opere isto singulari ratione sunt connexa? At ejusmodi opus est mors Christi, quæ cum prædicatione ipsius connexa est, ut sigillum cum suo diplomate, cum sit ejus testimonium ac comprobatio; cum resurrectione vero, ut causa cum suo effectu. Ideo iis in locis, ubi mortis Christi, nulla re alia adjecta, tribuitur vis ingenerandi nobis fidem, aut nos à peccatis abducendi, prædicatio, in qua spe promissorum divinatorum ad emendationem vitæ vocamur, tacite includi solet; imò & resurrectio, quæ morti in fide nobis ingeneranda, nobisque ab impietate abducendis, robur maximum largitur. Unde Paulus 2 Corinth. 5. 14, 15 de causa agens, quæ nos ad Christianam religionem ac pietatem amplectendam permovere debeat, cum primo solius mortis fecisset mentionem, postea seipsum veluti explicans, resurrectionis mentionem adjicit; cum quo loco conferendus est alter ei similis Rom. 7. 4. Quin etiam in iis locis nominata morte resurrectio tacite est comprehendenda, in quibus remissio peccatorum seu justificatio morti simpliciter adscribitur. Siquidem, nisi Christus resurrexisset, & dextra Dei fuisset exaltatus dux & Servator, tanto bono non fuisset potituri, ut constat ex 1 Corinth. 15. 14, 15, & Rom. 4. ult. Actor. 31. Simili ratione, nominata resurrectione prædicatio Christi sæpe tacite involvitur. Quomodo enim per eam fides & spes nobis ingeneraretur, quod Sacræ Literæ non uno loco docent, & Grotius agnoscit, seclusa Christi prædicatione, in qua nobis quoque resurrectio vitæ promittitur? Quod si hoc recte fit in resurrectione, qui distorte fiat in morte? Melius res intelligetur, ubi causæ fuerint expli-

explicata, ob quas mortis Christi tam crebra fiat mentio tum, cum de remissione peccatorum est sermo. Sed probat Grotius id distorte, vel saltem contra Pauli mentem fieri.

Ratio Grotii est: Partic. 20. *Negans enim Paulus Christum sine causa mortuum, indicat causam aliquam esse propriam, quæ ad mortem Christi pertineret.*

Sed id, quod in principio, petit Grotius. Hoc enim ipsum nunc revera quaeritur, utrum intelligatur à Paulo causa mortis Christi propria, an vero prædicationi etiam & resurrectioni communis.

Probat dictum Grotius: Partic. 21. *Nam alioqui potuit ob certam causam prædicasse, & ob certam causam præmio esse affectus (nam juxta Socinum huc duntaxat refertur resurrectio) & non tamen esse mortuus.*

Sed quæ ratio consequentiæ? potuit Christus ob certam causam prædicasse, itemque præmio esse affectus, nec tamen esse mortuus: ergo apud Paulum causa intelligitur mortis propria. An enim id, quod fieri poterat, nempe ipsa rei natura inspecta, protinus etiam factum est: aut ad id solum Paulus necesse habuit respicere? An non poterat istorum omnium una communis esse causa, ad quam Paulus respiceret? Finis de quo solo Socinum hic loqui putat Grotius, prædicationi, mortis, & resurrectioni communis fuit justificatio nostra. Unde necesse est, causam etiam antecedentem, quam supra explicuimus, istorum omnium eandem fuisse, hoc est, ea re fuisse motum Deum, ut per Christum nobis viam promulgaret, qua iusti evaderemus, eumque truci mortis traderet, actandem resuscitaret, quod non extaret ratio, qua iustitiam consequi possemus ac deberemus. Quod autem interjicit Grotius, ex Socini mente huc tantum referri resurrectionem Christi, ut is præmio afficeretur, in eo fallitur. Nam ipsa etiam per se considerata, tum confirmatio est doctrinæ Christi universæ, tum exemplum, quo manifeste nobis ostenditur, hominem mortalem, licet crudelissime trucidetur, posse tamen reviviscere, eaque via ad supremam gloriam penetrare; adeo ut non tantum ad præmium ipsum pietatis, sed etiam ad viam, per quam generatim omnes ad hoc præmium deducimur, ostendendam spectet. Quod si Christus immortalem vitam ac supremam potestatem sine morte ac resurrectione fuisset adeptus, (hoc enim est illud præmium, de quo loquitur Grotius, quod sua natura non postulat, ut mors antecedit) non esset ita firma resurrectionis nostræ spes, nec essemus metu mortis penitus liberati, quem in finem Christus est mortuus Hebr. 2. 15. Unde jam liquet, Grotium aliquo modo quaestionis terminos mutasse, dum loco resurrectionis, quam Socinus mortis nomine apud Paulum vult comprehendere, reponit præmium, quod mortem necessario non præsupponit, secus quam in resurrectione accidit. Vidit nempe Grotius, de resurrectione id dici non posse, quod de præmio hic asserit, potuisse scilicet Christum certam ob causam resurgere, & tamen non mori. Id enim contradictionem involvit.

Altera Grotii ratio est: Partic. 22. *Præterea mortem Christi à Paulo peculiariter respici, satis ostendit id*

quod præcedit: qui tradidit seipsum pro me. Ista enim traditio mortem ubique designat in scripturis.

Si per vocem *peculiariter* intelligitur *solum*, nego id ex verbis Apostoli consequi. Id tantum sequitur, ad mortem aperte, & ob causam superius explicatam, potissimum respici, cætera tacite comprehendere: quo sensu etiam dici potest, eam *peculiariter* respici. Verum id nihil adversus Socinum. Cætera quæ subjungit Grotius, non egent responsione: cum ex iis, quæ dicta sunt, satis intelligi possint.

Quod ad causam efficientem alteram attinet, Partic. 23. Quæ est Christus, & quidem volens, itemque ad causam impulsivam, quæ est ipsius *φιλανθρωπία*: de iis idem dicimus, quod de cæteris, quas hæcenus vidimus, nempe eas mortis Christi, salutis nostræ gratia susceptæ, non satisfactionis causas esse. Si quid est in locis à Grotio citatis, quod ipsius sententiæ favere videatur, id alibi in hac disputatione nostra examinabitur.

Quæ dicit Partic. 24. fuisse materiam satisfactionis, ea nos pro ipsa re, cujus causæ partim jam sunt allatæ partim inferius asserentur, habemus.

Istud autem non est admittendum, quod hic asserit Grotius, Partic. 25 de materia loquens, Christum, cum à Deo se derelictum exclamavit, præcipue respexisse perpeffiones illas animi longe gravissimas, quas Evangelistæ vocibus *τρίστινον λυπῆσθαι*, *ἐκπαύεσθαι ἐν θανάτῳ*, *gravissime angere*, *vel animo concidere ἀδύνατον*, significant. Christus enim, cum à Deo se derelictum exclamavit, respexit procul dubio ad illos dolores & cruciatus, quos tum perpetiebatur, cum ea verba proferret, dolores, inquam, crucis, qui per se corporis erant, à corpore vero ad animum, ut fit, redundabant: quibus addi possunt contumeliosæ voces & insultationes hostium, calamitatem ipsi acerbissime exprobrantium. Sed de tanta tristitia, anxietate, & consternatione animi, quæ verbis istis Græcis ab Evangelistis exprimitur, nihil legimus ab eo tempore, quo ex horto Gethsemane fuit abductus. Imo postquam ei apparuit angelus, Luc. 22. 48, qui ipsum confirmaret, statuendum est, istam animi perturbationem cessasse. Hic enim fuit ille calix, qui ut à se transiret, Patrem tam sollicitè rogarat Christus, non vero mors, ut plerique crediderunt: quarum precum effectus statim est sequutus, cum angelus ipsum confirmaturus apparuit; unde factum, ut Christus animo jam confirmato ac imperterrito ea, quæ sequuta sunt, mala exceperit, nec quicquam post id tempus vel dixerit vel fecerit, quod pavorem & consternationem istam animi argueret, licet dolores & cruciatus acerrimos sustineret. Ista vero consternatio & animi anxietas in Dominum Jesum cecidit, non ut poenas tanto majores pro sceleribus nostris lueret, sed ne nos, si forte itidem in periculis trepidemus, ac mortis metu percellamur, ideo nos Deo minus gratos arbitremur, & de ipsius auxilio, quo tum indigemus maxime, aut de constantia ac patientia præmio dubitemus. Pertinuit hæc res etiam eo, ut Christus terrorem mortis expertus, tanto promptius nobis in eodem periculo constitutis, & metu percussis opem ferret. Qua de re citavimus supra locos

Epist.

Epist. Hebr. 2. 17, 18. cap. 4. 15, 16. confer cum cap. 5. 4, 8.

Post allegatos non paucos Scripturæ locos, quos de satisfactionis materia loqui putat Grotius, ita subjicit: Partic. 26: *Notetur hic obiter, non tantum locis nunc allegatis, aliisque similibus, qui de remissione peccatorum, aut solum aut potissimum agunt, mentionem fieri mortis, crucis, sanguinis, sed passim profiteri Apostolos, se nihil nosse, nihil docere nisi Christum, & quidem crucifixum* 1 Cor. 1. 23, & cap. 2. 2. *Ideoque ipsum Evangelium ab ipsis vocari sermonem crucis* 1 Cor. 1. 18. *Adde quod Christus sanctissimum Cœna sue ritum instituit, non proprie ad vitam aut resurrectionis, sed ad mortis fusique sanguinis memoriam* 1 Cor. 11. 26. *Quæ toties repetita manifeste ostendunt proprium aliquem & peculiarem effectum huic morti & sanguini tribuendum. Quod Socinus facere non potest.*

Hic primo notandum est, non paucos ex locis allegatis, qui de remissione peccatorum vel solum vel potissimum agere videntur Grotio, de ea non loqui, aut non nisi consequenter, aut denique de morte Christi non agere. Quidam enim loci de conversione nostri ad Deum agunt, cujus, ex Dei decreto, consequens demum est peccatorum remissio. Quo referendus est locus Col. 1. 21, 22, ubi per mortem dicimur reconciliati, seu ex inimicis in operibus malis, Dei amici effecti; & iste Act. 20. 28: *Deus acquisivit Ecclesiam sanguine proprio*, imo & ille Rom. 5. 9, poni enim ibi videtur, justificatio pro reconciliatione seu conversione, effectus nempe pro causa; seu, quod eodem recidit, pro statu hominis ejusmodi, in quo qui sit, is à Deo tanquam justus, ex decreto ipsius, tractetur. Verba Eph. 2. 13 agunt de pace inter Judæos & gentes constituta. Col. 1. 20 agitur de pace facta inter omnia, quæ in cœlo & quæ in terra, hoc est, inter angelos & homines. Hebr. 9. 12 non sanguini Christi, sed ingressui ipsius in sancta per sanguinem facto, æterna redemptio proxime adscribitur. Vers. 22 de sanguine, non Christi, sed victimarum legalium agitur. In locis Hebr. 12. 24 & 1 Petr. 1. 2, non satis recte Grotius loco Asperisionis, quod est in textu, reposuit Purificationem. Perit enim allusio, quæ in istis verbis fit, ad asperisionem sanguinis, quo antiquum fœdus fuit sancitum, de quo Exod. 24. 8. Hebr. 9. 18. Sed de his locis prope omnibus alibi agetur fusius.

Præterea quod dicit Grotius, passim professos esse Apostolos, se nihil nosse, nihil docere, nisi Christum, & quidem crucifixum, id inter Corinthios se fecisse, semel scripsit Apostolus 1 Cor. 2. 2. Sed demus Grotio, passim id professos Apostolos: quid inde? Non enim id vult Apostolus, ut Grotio fortasse visum est, nihil se scire, nisi Christum, & quidem eatenus consideratum, quatenus fuit crucifixus, adeoque solam Christi mortem se prædicare. Quomodo enim alias Evangelium suum, quod iisdem Corinthiis se tradidisse ait, in quo illi starent, & per quod servandi essent, repetens, non tantum mortem, sed etiam resurrectionem commemoraret, imo doctrinam de resurrectione Christi, Evangelii, quod ipsis notum facit, nomine potissimum intelligeret, ut constat ex initio cap. 15 hujus Epist. Quomodo resurrectione Christi fidem & salutem no-

stram niti ibidem ostenderet vs. 11 & seqq.? Quomodo alibi verbum fidei, quod ipse cum aliis prædicet, explicans dicere potuisset: *si confessus fueris ore tuo Dominum (esse) Jesum, & credideris in corde tuo, quod Deus ipsum excitavit à mortuis, servaberis?* Rom. 10. 9. Quomodo dici potuisset, Apostolos resurrectionis testes esse constitutos Act. 1. 22? Non est ergo is verborum Pauli sensus, quem arbitratus est Grotius; sed hoc dicere voluit Apostolus: se Corinthiis prædicasse solum Christum, eumque non alium, quam qui ignominiosissimam crucis mortem sustinuerit; adde etiam, hoc inter prima atque potissima fuisse, quæ ipsis proposuerit, ut apparet ex cap. 15. 3, id quod ostendit, eum non jactasse magnifica verba, nec carnalem ostentasse sapientiam; quod istic sibi probandum sumserat. Nam mors tam ignominiosa ducis atque auctoris religionis ejus, quam prædicabat, isti verborum magnificentiæ & carnali sapientiæ maxime adversabatur; cum ea Judæis esset scandalum, Græcis stulticia. Sic cap. 1. 23 hoc tantum vult Apostolus, se de Christo prædicare, idque cum primis, quod sit crucifixus, licet id aliis sit scandalum, aliis stultitia. Et hæc pars prædicationis Apostolicæ dicitur sermo crucis ibid. 18, quamvis per tropum quendam usitatum possit totius Novi Fœderis, cujus proprietatem maxime attingit crux Christi, prædicatio intelligi, quod ex sequentibus fiet clarius. Alias vidimus Rom. 10 verbum fidei, quod prædicarunt Apostoli, potissimum inculcare resurrectionem & dominium Christi. Unde alibi scriptura prædicationis Apostolicæ summam paucis complectens ait: Apostolos magna virtute dedisse testimonium resurrectionis Domini Jesu Act. 4. 33.

Sed ut ad argumentum Grotii, ex tam crebra mentione mortis Christi, cum de remissione peccatorum agitur, petitem respondeamus: si per *proprium & peculiarem effectum* intelligit effectum ejusmodi, ad quem nihil prorsus conferant cætera, quæ Christus salutis nostræ causa vel fecit, vel adeptus est; etsi nos cum Socino talem effectum morti Christi possumus tribuere, atque adeo tribuimus: tamen id omnino faciendum esse, ex tam crebra mentione mortis in hoc negotio non sequitur. Satis enim est mortem Christi inter cætera, quæ ad remissionem peccatorum nobis parandam pertinent, aliqua ratione eminere, & majorem quendam ex rei natura cum ea nexum habere; quo pacto si effectum hunc proprium ac peculiarem velis dicere, libenter assentimur. Diximus autem jam superius, eatenus eminere mortem Christi, quatenus opus hoc fuit inter ea, quæ salutis nostræ causa vel fecit vel consequutus est, molestiæ plenissimum, adeoque maxime arduum, & ex quo summa Dei ac Christi erga genus humanum, adhuc impium & ipsi inimicum, charitas apparuit. Jam vero primum quis nescit, in communi loquendi consuetudine, inter alia, quæ eundem in finem vel fiunt vel facta sunt, illud potissimum solere commemorari, & communem effectum ei simpliciter, nulla cæterorum facta mentione, adscribi, quod est maxime arduum, laboris ac molestiæ plenissimum, & si forte alieni commodi causa fuerit susceptum, amorem illius, qui id sus-

id suscepit, adversus alterum, cujus commodum agebatur, inprimis arguit; etiamsi per accidens tantum ad bonum istud, quod ei tribuitur, parandum pertinuerit, & sua vi non modo nihil ad id contulerit, sed etiam impediendi vim habuerit; contra quam in morte Christi accidit, quæ magnam habuit ad remissionem peccatorum nobis parandam robur. Sic dicimus, quempiam sanguini suo sibi vel alteri cuiquam parasse libertatem, & servitutis jugum à cervicibus depulisse, pro Reipub. salute oculos verbi gratia sanguinem, vitam denique impendisse, aut animam profudisse: licet non ideo revera id fuerit consequutus, quia ista perdiderit, sed quod hostes forte profigarit, cujus rei occasione rerum tam pretiosarum jacturam fuerit passus, plus etiam profecturus, si absque istiusmodi detrimento eodem vicisset; tantum abest, ut sive ad libertatem acquirendam, sive ad salutem Reipub. parandam quicquam ea res attulerit momenti. Quod si nihilo minus & usitati sunt & elegantes isti loquendi modi: quanto magis illi, in quibus id, cui effectus tribuitur, ad eum contulit plurimum? Deinde cum mors Christi sit argumentum omnium evidentissimum maximæ & plane ineffabilis Dei ac Christi erga nos adhuc impios charitatis; nihil ea est aptius ad remissionem peccatorum in Fœdere Novo promissam, demonstrandam ac faciendam, adeoque ad jus quoddam nobis concedendum, quo eam repetere à Deo ac Christo, si ad eum conversi fuerimus, queamus. Est enim remissio peccatorum proprius charitatis effectus, quemadmodum pœnæ consilium iræ est atque odii cujusdam; & si charitas sit tanta, quantam in Deo ac Christo fuisse mors ejus arguit, non potest non effectum hunc, posita ea conditione, quam à nobis requisivit Deus, ex se parere. Conditio autem ea est, ut iræ atque odii divini adversum nos causas, quæ peccata nostra sunt, in posterum amoveamus. Itaque cum de remissione peccatorum agitur, admodum opportuna est mortis Christi mentio: quemadmodum cum de resurrectione nostra aut gloria futura, opportunior est (nisi forte sermonis elegantia diversum suadeat,) mentio resurrectionis & gloriosæ exaltationis Christi, qua divina ipsius potentia continetur. Nam quemadmodum remissio peccatorum stricte ac proprie sumta voluntatis beneficæ revera effectus est, potentiæ non nisi per accidens, aut consequenter: ita resurrectio ac gloria non voluntatis tantum ac benignitatis, sed & potentiæ est, & hujus quidem proxime. Potentiæ vero illius exemplum in resurrectione & exaltatione Christi conspiciamus, eamque ipsi quoque datam intelligimus Ephes. 1. 19 & seqq. cap. 2. 5, 6. Phil. 3. 21, quem locum confer cum 1 Cor. 15. 25 & seqq. Ea de causa cum remissio peccatorum sumitur pro liberatione à pœnis, quæ actu ipso compleatur, & in nobis è morte potissimum eruendis, atque ita immortalitate donandis cernatur 1 Cor. 15. 52, (mortui enim resurgent incorruptibiles;) resurrectioni potius & exaltatione Christi adscribitur, quam morti, ut videbimus infra hoc capite: quia hæc vitæ ac potentiæ Christi est.

Sed ut res tota fiat clarior, & disputationi huic prope universæ aliquid inde accedat lucis; animad-

vertendum est, id quod vi fœderis alicujus contingit cuiquam, posse etiam rectè adscribi ei, quo fœdus id sancitur. Nam id quo fœdus sancitur, eum, cujus jussu ac nomine id fit, obligat ad id præstandum, quod ab eo promissum est, & fœdere comprehensum; & sic non tantum ratum esse jam apud ipsum fœdus demonstrat, sed etiam ut ratum in posterum sit, efficit. Quapropter cum id causa quædam sit, ob quam is præstare promissa sua debeat, ei promissionum effectus rectè adscribitur; præsertim si alias quoque vim singularem ad promissa illa paranda habeat. Jam vero vi fœderis novi nos habemus remissionem peccatorum, quæ in eo apertissime promittitur, & fœderis hujus est maxime propria: sanctio autem hujus fœderis in morte Christi expresse collocari à Sacris Scriptoribus, & id quidem aptissime, solet. Quare eidem etiam rectè atque apte remissio peccatorum, tanquam causæ efficienti mediæ tribuitur; præsertim cum per se vim insignem ad eam nobis parandam, & ad effectum perducendam habeat. Causa vero, cur sanctio hujus fœderis omnium aptissime morti Christi tribuatur, inter alias hæc est, quod cætera etiam fœdera cæso animali aliquo, unde ipsa quoque feriri ac percuti dicebantur, sanciri & sanguine ejus confirmari solerent, & ipsum Fœdus Antiquum, Novi umbra, sanguine fuerit initiatum ac stabilitum; ad quem ritum non semel, ubi remissio peccatorum sanguini Christi adscribitur, respicitur, ut patet vel ex locis à Grotio citatis Matth. 26. 28. Luc. 22. 20. Hebr. 12. 24. 1 Petr. 1. 2, adde Hebr. 9. 15, 17 & seqq. Quare cum sanguis Christi, Novi Fœderis doctrinam confirmet, potuit vel propter hanc ipsam allusionem morti Christi potius, quam alii cuiquam rei, quæ ad ejusdem quidem Fœderis confirmationem pertineat, tamen cum morte ac sanguine illo animalium non satis apte conferri possit, adscribi fœderis sanctio: præsertim cum mors inter alia omnia, quæ istum in finem facta sunt, opus fuerit durissimum ac molestiæ plenissimum, qualia libenter præ aliis eundem in finem spectantibus commemorari solere docuimus.

Sed præter hanc aliæ adhuc sunt causæ, eæque magni momenti, ob quas sanctio Novi Fœderis morti Christi tam crebro tribuitur, & simul peccatorum remissio in eo comprehensa. Prima est, quam paulo ante vidimus, quod mors Christi eximiam quandam præ cæteris vim habet ad id demonstrandum, in quo propria consistit Novi Fœderis vis, qua potissimum distinguitur à Veteri, eique antecellit. Id vero est, remissio eorum peccatorum, quæ vi Legis expiari non poterant, sed morte omnino erant luenda, id nempe ipsum, de quo quærimus cur tam crebro morti Christi tribuatur. Diximus autem hanc promissionem Novi Fœderis esse maxime propriam, in qua præcipuum ejus à Veteri discrimen, & præ illo excellentia consistat; quia etiamsi in eo quoque magnum sit inter Legem & Evangelium, inter Antiquum & Novum Fœdus discrimen, quod in Lege ipsa, in qua futurorum bonorum umbra tantum erat, non imago Hebr. 10. 1, nulla vitæ immortalis aut resurrectionis aperta extitit promissio; Christus autem vitam & incorruptibilitatem

in lucem produxit per Euangelium, morte abolita 2 Tim. 1. 10; tamen, quia in verbis Legis, mystico sensu acceptis, extitit quædam futuræ vitæ pollicitatio, ad eos spectans, qui Legem perfecte servassent; nulla vero remissionis peccatorum graviorum, quæ quidem in præsens tempus valeret, & eos ipsos, qui sub Veteri Fœdere vivebant, à pœna mortis, quæ istis peccatis fuerat constituta, liberare posset: ideo in hac potius quam in illa, propria novi fœderis promissio, & sic discrimen à Veteri constituitur, præsertim cum non literalis seu historicus, sed reconditus verborum Legis spectatur sensus. Legis vox illa censetur: *qui fecerit ea homo, vivet in eis*, quam citat Paulus Rom. 10. 5 ex Levit. 18. 5, licet Apostolus vitam ibi intelligat æternam atque immortalem, sensu mystico, ut & cap. 7 ejusdem Epist. 11. 10. Sic justiciam seu justificationem Legis, distincte ac, ut Scholastici loquuntur, præcise sumtam, pro ipso tantum consequenti atque effectu observationis legalis, cum justificatione Evangelica confundit, tum alibi, tum vero apertissime Rom. 8. 4, imo etiam dicto loco cap. 10, ubi eam à justitia fidei, non ratione naturæ & essentia, sed ratione modi, quo eam liceat adipisci, distinguit, quod etiam facit alibi. Contra etiam per execrationem Legis, transgressoribus ejus propositam, mortem æternam intelligit Gal. 3, quæ historico Legis sensu erat mors violenta, vitæ felici & longævæ opposita, ut docet Grotius infra cap. 10. Vitæ igitur æternæ erat quædam in Lege, quamquam recondita promissio, Legem universam servantibus proposita, sed non remissionis peccatorum, quibus mortis pœna erat constituta. Id enim Legis naturam, quæ est, perfectam obedientiam omnino exigere, & ea posita demum vitam largiri, prorsus evertisset. Sacrificia quidem Legalia adumbrabant sacrificia Evangelica, & sic quoque expiatio expiationem, remissio remissionem: sed corpus ipsum hujus umbræ, aut imago, ad Novi Fœderis tempus proprie pertinet: quod si antea cupiam contigit, id extra fœdus à Deo propositum. Hinc videmus, in Fœderis Novi descriptione, quæ extat Jerem. 31. Hebr. 8 & 10, in qua ostenditur præstantia illius præ Veteri, tum in explicatione summæ totius Evangelii, sive per ipsum Christum, sive per Apostolos prædicandi Esai. 61. 1. Luc. 4. 18 & xxiv. 47, & beneficiorum à Christo Novi Fœderis sponse atque exsecutore sperandorum Actor. 5. 31. x. 43. xiii. 38, 39, in quo postremo loco Euangelium apertissime præfertur Legi; his, inquam, in locis, ubi maxime videbatur convenire, nullam videmus fieri expressam mentionem vitæ æternæ, quæ tamen alias præstantissima est omnium Dei promissionum, & sic quoque earum, quæ Novo Fœdere continentur; sed tantum remissionis peccatorum: quanquam hæc illam tacite in se comprehendit; indicaturque hac ratione, Deum in Novo Fœdere, non tantum vitam æternam promississe, quod sub Veteri quoque fecerat mystice; sed illis etiam, quod istis non promiserat, dare velle, qui gravissime peccassent, quique non modo jus nullum, sed ne prætextum quidem ad regnum cœlorum sibi vindicandum haberent: quem habituri essent ii, qui Legem integram servassent. Quod eleganter ex-

pressit Christus Matth. xi. 12 cum ait: *à diebus Johannis Baptiste huc usque regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: hoc est, etiam illi, qui nullum juris prætextum habent, illud invadunt, quemadmodum raptores solent, qui aliena violenter occupant, nempe quia Johannes, Novi Fœderis initium, tanquam legati fœderis præcursor, faciens, remissionem omnibus pœnitentiam agentibus Dei nomine promittebat, & ad regnum cœlorum, quod instabat, aditum patefaciebat Malach. 3. 1. Marc. 1. 4, 5. Luc. 3. Matth. 3. 2, &c. Idem fecit Christus, qui aperte professus est, se non venisse vocatum justos, sed peccatores ad pœnitentiam; se venisse quæsitum & servatum id quod perierat, seu peccatores Matth. 9. 13. xvi. 11. 11 & seqq. Luc. 19. 10, confer cum 11. 7 & seqq. Ut Paulus quoque affirmat 1 Tim. 1. 15, medici nempe instar, quo non indigent sani sed ægri. Itaque prima ejus vox ad peccatores revera pertinuit: *impletum est tempus, & appropinquavit regnum cœlorum: pœnitentiam agite, & credite Evangelio*, dicto loco Matth. 9. 12. Marc. 1. 14. Idem statim, muneris sui rationem Nazarethæ explicans, testatus est Luc. 4. 18 & seqq. ut alia hujus rei testimonia nunc præteream. Vid Matth. xi. 5, 28. Hæc ergo muneris Jesu Christi, & sic Novi quoque Fœderis, cujus mediator est, præcipua est proprietas, quam Paulus urget, dum toties inculcat, nos non per Legem aut Legis opera, quæ perfectam & per totam vitam continuatam mandatorum divinatorum obedientiam, & ea ratione parem in omnibus pietatem postulant, justificari, sed per fidem, quæ in eum quoque potest cadere, qui vel millies mortem ex Legis decreto esset meritus, quæque non in omnibus parem prorsus mandatorum divinatorum requirit obedientiam: sed tantam, quantam in quovis firma promissorum divinatorum spes producere, habita ratione imbecillitatis humanæ, potest. Potest autem in omnibus efficere, atque adeo reipsa semper efficit tantam, ut quis à consuetudine peccandi atque habitu quovis vitioso, quin etiam ab ejusmodi actibus, qui in hominem Dei vere timentem non cadunt, sit immunis, contra vero, si non semper, postquam Christum recte cognovit, saltem plerumque præceptis ipsius pareat; breviter, non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulet Rom. 8. 1 & seqq. Gal. 5. 16 usque ad finem cap. Quæ obedientia cur fidei nomine comprehendatur, à Socino lib. 4. cap. 9 fuse est explicatum. Quare, ut ad rem nostram redeamus, cum in remissione peccatorum propria Novi Fœderis vis consistat, cum fœdus id esset faciendum, & Veteri, quod execrationem transgressoribus omnibus minabatur, abrogato stabiendum, ea promissio inprimis erat confirmanda & facienda, quod morte Christi potissimum effectum esse vidimus. Indicavit id Divinus Auctor Hebr. 9. 15, ubi ait: *propterea Testamenti* (seu Fœderis) *novi mediator est* (Christus) *ut morte interveniente ad redemptionem earum, quæ sub priori Testamento* [fuerant,] *transgressionem, promissionem accipiant vocati æternæ hereditatis*. De quo loco alibi nobis in hac disputatione agendum erit. Ex his intelligi jam potest id, de quo supra egimus, cur Paulus dixerit Gal. 2. ult: *Si per legem justitia, Christus depauperetur*, seu sine causa mortuus est,

est, quia nec Novo Fœdere, nec hac ejus confirmatione, quæ tanto Dei ac Christi constitit impendio, fuisset opus.

Cum hac, quam modo explicuimus, causa, conjungenda est illa mortis Christi vis, quam supra de tertio ejus fine agentes, verbis divini scriptoris ad Hebr. ad finem cap. 2 & 4 extantibus explicuimus, quibus indicatur, hanc eam habuisse efficaciam, ut in Christo Pontifice nostro illum excitaret affectum, qui in sacerdotibus requiratur, ut tanto promptius, infirmitatis suæ memores, aliorum infirmitates expient. Qua de re vide ejusdem Epist. cap. 5. 2, 3, & cum his confer yf. 7 & 8, in quibus id, quod superius de sacerdotibus generatim, atque inprimis de Aaronicis dictum fuerat, ad Christum per similitudinem quandam accommodatur. Ordine enim retrogrado D. scriptor, quod yf. 4 de sacerdotibus illis dictum, Christo competere ostendit yf. 5, 6; quod yf. 2, & 3, idem yf. 7, 8: quod denique 1 versic. id inprimis yf. 9. & 10 ad Christum refert aut accommodat. Jam vero quemadmodum charitas Christi ad N. Fœderis sanctionem, & remissionem peccatorum nobis parandam vim habet magnam, ita non minorem, imo etiam aliqua ratione majorem, hic effectus, qui charitatis illius quoddam veluti complementum est, & quem D. Auctor Christo tanquam sacerdoti tribuit, quo ad expianda nostra peccata excitetur.

Sed alia adhuc causa est, ob quam morti Christi potius, quam alii cuiquam rei. sanctio Fœderis Novi adscribatur, quam itidem in tertio mortis Christi fine explicando attigimus, nempe quod mors Christi conditio fuit, ad eam potestatem atque imperium, ex quo peccatorum nostrorum pendet remissio, adipiscendum necessaria; qua præstita imperium istud vi decreti divini omnino debuit consequi. Nulla enim præterea restabat conditio ipsi implenda, qua præstita demum potestatem eam deberet adipisci, & sic promissa fœderis nobis re ipsa exhibere. Quapropter cum mortuus fuit Christus, vim suam, quoad Deum, fœdus istud habuit, & ratum firmumque fuit, ac nihil restitit aliud, quam ut ad effectum in nobis per Christum perduceretur. Atqui sanctionem ei potissimum rei tribuere convenit, quæ fœderi vim tribuit eam, ut effectum jam suum habere omnino debeat, & revocari amplius nequeat. Siquidem sanctionis vis est, ratam firmamque rem efficere. Ante mortem id dici nondum potuit; quia adhuc restabat hæc conditio Christo implenda, sine qua fœdus non erat habiturum vim suam atque effectum. Decreverat enim Deus partim ad gloriam suam amplificandam Joh. 13. 31, 32. xiv. 13. xvii. 2. Ephes. 1. 5, 6. Phil. 2. 11, ob quam facit omnia Prov. 16. 4, partim ad spem nostram fulciendam 1 Petr. 1. 21, Christum ad summam potestatem evehere, & non nisi hoc pacto salutem nostram perficere. Ad hanc vero ob ejusdem decretum, ut diximus, sine morte pervenire Christus non poterat, post mortem omnino debebat. Itaque quicquid adhuc reliquum fuit ad Fœdus Novum vel confirmandum vel executioni mandandum pertinet, id totum morti Christi tanquam causæ mediæ, & effectum necessario habituræ, imputari debet. Atque hæc præcipua videtur esse causa, cur Divinus Auctor Hebr. 9. yf. 15 & seqq. de sanctione Novi

Fœderis, per Christi mortem facta loquens, similitudine fuerit usus à morte testatoris ducta, quo vivente testamentum nondum est ratum, post mortem robur habet yf. 16, 17, confer cum anteced. & seqq.

Restat adhuc una causa, ob quam sanctio Novi Fœderis morti tam libenter adscribatur, quam quidem supra etiam de vi mortis Christi agentes attigimus, sed nunc paululum arbitramur enucleandam. Ea est, quod per mortem Christi salutis æternæ via in Nove Fœdere primum præscripta, exemplo ejus insigniter fuerit comprobata, & sic nobis, ut Spiritus Sanctus loquitur Hebr. 10. 20, initiata & dedicata. Dico autem, non in ipsa tantum morte, nulla consecutæ gloriæ ratione habita, sed *per mortem*: quia ad salutis viam vere demonstrandam, tum ipsiusmet viæ stricte sumtæ, tum termini, ad quem ducat, requiritur ostensio, quamquam illius primum. Via vero salutis, in Novo Fœdere nobis ostensa, est, quod per multas afflictiones oporteat nos ingredi in regnum cælorum Act. 14. 22, quod alibi passim docent Sacræ Literæ. Quapropter decuit Deum, ex quo universa salutis nostræ pendet ratio, ut, cum multos filios ad gloriam vellet adducere Hebr. 2. 10 adducere, inquam, per afflictiones, ducem quoque salutis eorum per afflictiones consummaret, seu ad gloriam deduceret: ut ita primogenitus inter multos fratres, qui communem cum illis Patrem habet Róm. 8. 29. Joh. 20. 17. dicti loco Hebr. 2. 11 & seqq. ex quo totius, non secus atque illi, pendet, cæteris exemplo esset, ex quo discere possent, qua sibi via esset ad cœlestem hæreditatem contendendum, aut quonam via tam dura tamque aspera, per quam sibi eundum esset, duceret, conspectoque in duce ac præcurfore suo, tam læto itineris asperrimi fine, animarentur, & ad eum alacriter ac sine mortis horrore sequendum excitarentur Hebr. 6, ultimo, confer cum præcedentibus. Quod si dux fidei ac salutis nostræ per inferni, ut ita dicam, claustra non perripisset ad cælum, per mortem ad vitam, per ignominiam ad supremam gloriam, per diros cruciatos ac tormenta ad maxima sempiternaque gaudia; non facile credidissemus, istac ad summam æternamque felicitatem iter esse, qua ad extremam infelicitatem & interitum sempiternum, rei natura inspecta, itur. Nunc vero nulla causa est, cur non eadem via, per vestigia sanguine ipsius notata incedentes, eodem perveniendi capiamus fiduciam, quo ducem nostrum videmus penetrasse. Atque huc etiam inter alia respexisse videtur D. Auctor Hebr. 10, ad quem locum supra intendimus digitum, de initiatione ac sanctione viæ ad cælum ducentis loquens. Nam cum yf. 19 dixisset, nos habere fiduciam, seu mavis, libertatem ingrediendi in sancta (hoc est in cælum, quod Pontificis nostri est sacrarium) per sanguinem Christi, subjicit: *ea via quam nobis dedicavit recentem & vivam per velum, h. e. carnem suam*. Recentem appellat d. l. Hebr. 6. ult. quia diversa erat à veteri seu legali, ac nuper admodum trita, & veluti recentibus adhuc præcurforis ac Pontificis nostri vestigiis pressa signataque, ita ut notabilis esset sequentibus & observatu facilis: vivam autem seu vivificam, quia non, ut sub Lege contingebat Levit. 18. 17, confer cum yf. 2. Num. 18. 7, mortem afferret iter hoc tentantibus & Pontificem sequentibus, sed vitam, quam ipse quoque

Pontifex noster hac via consequutus est; licet ea alias ad mortem afferendam esset comparata, nec, quod ad vitam duceret, sub Lege constaret. Quia vero via hæc, quæ nobis Christi morte munita est, diversa est à veteri seu legali, ideo Christus dum hanc sanxit, legalem sustulit, & eos, qui sub Lege erant, ab ejus jugo & execratione in posterum redimit. Qua de re paulo post nonnihil dicemus. Atque hæc, quam hactenus explicuimus, præcipua inter alias causa fuisse videtur, ob quam Deus Christo, si supremam nos servandi potestatem adipisci vellet, mortis violentæ conditionem imposuerit: nempe quia salutis nostræ plurimum intererat id fieri: indeque Dei erga peccatores summa enituit charitas, quibus ut tam durum salutis iter aliquatenus emolliret, & ejus asperitatem detereret, eorumque fidem hoc pacto erigeret, ne proprio quidem filio parcere voluit: nec minor Christi charitas, qui cum Legis, quam exactissime servaverat, beneficio, & quodam veluti jure, posset ab hujusmodi morte esse immunis, (erat enim mors crucis, ut Paulus demonstrat Gal. 3. 13, legalis quædam execratio, *ei vitæ, quam Lex sui observantibus promittebat, prorsus adversa,) eo tamen uti noluit, ut nobis novam & à legali diversam justitiæ ac vitæ consequendæ viam exemplo suo muniret ac confirmaret, contra vero vim Legis in ratione justiciam consequendi, aut pœna transgressoribus infligenda, nullam esse amplius ostenderet. Nam si ne is quidem, qui Legem perfectissime servaverat, ac proinde dignissimus erat, qui ejus beneficio frueretur, à morte truculenta, quam Lex transgressoribus minabatur, immunis fuit, & præmio in ea proposito potitus: multo minor ejus vis in pœna & execratione inferenda futura erat. Cum Lex non majorem ad pœnam infligendam, quam ad tribuendum præmium vim habeat, imo majorem ad hoc, quam illam habere par sit. At cum ista via, quæ à legis natura abhorret, Christus vitam beatissimam fuerit consequutus, hanc apparet certam ac in posterum ratam esse: præsertim cum id Christus jam antea fuerit clarissime testatus. Ea vero via ut patientiæ est, ita & fidei in Deum, quam sacræ literæ Novi Fœdere præcipue inculcant Hebr. 10. 34, 35, 36, 38, 39. XI. 1, 24, 25, 26, 35. XII. 2, quæ tunc inprimis cernitur, cum futurorum atque invisibilium bonorum spe mors truculentissima subeunda est. Ideoque fidei dux & consummator Jesus, pro gaudio sibi proposito sustinuit crucem, ignominia contempta, atque in dextra throni Dei consedit; ut nos ipsum respicientes, curriculum nobis propositum per patientiam decurreremus ibid. 1. Atque hæc iis addi volumus, quæ ab initio de vi mortis Christi in faciando Fœdere Novo diximus, licet in iis jam aliquo modo contineantur. Quam præterea vim mors Christi ad remissionem peccatorum nobis parandam habeat, ex iis, quæ ibi diximus, satis constare potest, ut ea hoc loco repetere non sit opus, præsertim cum fere omnia aut in iis, quæ huc usque diximus, comprehendantur, aut ex his pendeant.

Ex his omnibus satis jam apparet, cur Sacræ Literæ toties peccatorum remissionem morti Christi adscribant, & (ut hoc quoque addamus, quod ad finem

* Vide Grot. inf. cap. 10.

hujus cap. urget Grotius Partic. 27) Christum propter peccata nostra vulneratum, attritum, mortuum, aut pro peccatis mortuum asserant. Patet etiam, peculiare quosdam esse mortis Christi effectus, ad remissionem peccatorum nobis parandam pertinentes, quos Socinum ostendere non posse Grotius affirmat. Patet denique, cur Christus sanctissimum Eucharistiæ ritum non proprie ad vitæ aut resurrectionis, sed ad mortis fusi que sanguinis memoriam, vel commemorationem potius & annunciationem instituerit. Quas enim causas attulimus, ob quas morti Christi sanctio Fœderis Novi, & remissio peccatorum in eo comprehensa tribuatur, eadem etiam istius rei causæ sunt. Siquidem eatenus mortis Christi in Cœna Domini fit commemoratio, quatenus ea Fœdus Novum est sancitum, in quo remissio peccatorum nobis promittitur. Itaque ritus hic tum ejus rei, qua Fœdus hoc confirmatum est, commemoratio est ac celebratio, tum ipsius quoque fœderis professio ac symbolum, omnibus Christianis commune, idque perpetuo servandum: illius quidem primo, hujus veluti consequenter; ultimo etiam nota est communionis, quam habeamus cum iis, qui ad idem fœdus pertinent. Causam vero præcipuam, ob quam sanctio Fœderis Novi morti Christi tribuatur, esse diximus, testationem maximæ erga nos Dei ac Christi charitatis, quæ nos ad gratiarum actionem, ad quam hic ritus spectat, cum inde Eucharistia dici solet, inprimis excitare potest. Id autem, quod de ritu hoc diximus, satis clare docuit Christus in altera hujus sacræ ceremoniæ parte, in qua elegantius ad ritum faciendorum fœderum, ob sanguinis mentionem, quem in antiquo etiam adhibitum fuisse supra ostendimus, poterat alludere. Ita enim ait Matth. 26. 28: *Hic, vel, si mavis, hoc est sanguis meus, ille Novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*, ut Matthæus habet, & ex parte Marcus Marc. 14. 24, vel, ut Lucas: *hoc poculum [est] Novum Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effunditur*. Quæ eadem, ultimis tantum verbis omiſſis, habet Paulus 1 Cor. XI. 29. Consentiunt autem in eo, ni vehementer fallor, omnes, cum sanguis Christi dicitur esse Novi Testamenti, aut Novum Testamentum in eo sanguine, id velle Christum, sanguine hoc Novum Testamentum fuisse confirmatum ac sancitum: quo pacto Moſes olim, sanguine Fœdus Antiquum sanciens, dixerat: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit vobiscum Dominus* &c. Exod. 24. 8. Hebr. 9. 20. Testamentum autem seu fœdus novum appellat poculum, seu id, quod poculo peragitur, quia solennis ac perpetua, omnibusque Christianis communis sit Fœderis Novi professio ac symbolum, quo ii palam testari debeant, se ad Novum Fœdus pertinere: siquidem id prædicent & annuncient, ejusque se participes esse profiteantur, quod ei faciando fuit adhibitum, corporis nempe ac sanguinis Christi. Quo loquendi modo circumcisio dicta fuit fœdus inter Deum & Abrahamum ejusque posteros percussum Genes. 17. 9, 10, 13, quia ejus fœderis signum fuit, ut explicatur yf. 11. Sabbatum etiam fœdus perpetuum, intellige inter Deum & Israëlitas sub Lege existentes, Exod. 31. 16, licet alii aliter verba hæc interpretentur: quia

quia nimirum signum erat foederis, ut dicitur ibid. *ys.* 13, 17, & *Ezech.* 20. 20. Etiam si autem hæc testamenti appellatio non minus ad priorem, quam ad posteriorem hujus ceremoniæ partem, quod ad rem ipsam attinet, pertineat, quemadmodum omnes videntur agnoscere, qui totam Eucharistiam testamentum nominant: cur tamen soli posteriori expresse tribuatur, causa jam indicata est.

Causæ autem hæcenus commemoratæ, ob quam Christus Eucharistiam ad mortis suæ potius, quam alterius alicujus rei celebrationem instituerit, ea quoque addenda est, quod cum ritum hunc primo ac præcipue ad sui commemorationem vellet pertinere *Luc.* 22. 19. *1 Cor.* x. 24, (id enim ipsius verba satis clare docent:) opus id fuerit commemorandum, quod ipsius esset proprium, quemadmodum Socinus jam dixerat; quale non est resurrectio ipsius & exaltatio, quæ Dei sunt maxime propria. Quod ad vitæ totius sanctitatem attinet, ea licet itidem proprium sit Christi opus, commemorari tamen ideo non debuit, quia etiam si inde non exigua ad nos redeat utilitas, & confirmatio aliqua doctrinæ ipsius inde queat peti: tamen non in hunc præcipue finem fuit suscepta à Christo, aut nostri causa vel solum, vel saltem primo ac potissimum præstita. Nam etiam si nulla inde ad nos redisset utilitas, tamen ad eam præstandam Christus, quia homo erat, fuisset obstrictus. Legi enim Dei omnes natura sunt obnoxii, inprimis ii, qui sub ea sunt nati: nec poterat Christus vi illius vitam in ea promissam consequi, nisi eam universam opere complevisset. Unde illud quoque patet, ea in parte nondum id vere apparuisse Christo, quod Novi Foederis, habita ratione viæ salutis in ea præscriptæ, est maxime proprium, id quod esse diximus, per multas afflictiones, per mortem truculentam & infamen, perque eas virtutes, quæ in hujusmodi malis præcipue cernuntur, in regnum Dei ingredi. At vero ut Christus mortem subiret adeo diram & ignominiosam, à Lege non tantum non adigebatur, sed etiam ordinaria ejus vi inspecta, omnino ab ea debet esse immunis: quam cum subiit, id clarissime ostendit, quæ esset via ad vitam, Novi Foederis maxime propria, eaque certa & stabilis. Quare si Christi solius, tum ab ipso, tum à Deo fuisset habita ratio, & non potius salutis nostræ, potuisset, imo etiam debuisset is à morte hujusmodi esse immunis. Nam præter causam dictam, vel ideo convenire videbatur, ut non tantum mortem adeo truculentam effugeret, sed mortem etiam prorsus non gustaret, quod proprius esset & unigenitus Dei filius. Nam si Enoch & Eliæ contigit, ut mortem non gustarent; si ii, qui vivi in adventu Domini reperientur, absque morte ex mortalibus evadent immortales, & in beatissimas coelorum sedes transferentur *1 Cor.* 15. 21, 52. *1 Thes.* 4. 17; cur non magis id unigenito ac charissimo Dei filio contingere debebat, cujus etiam cibus fuerat Patris sui voluntatem facere *Joh.* 4. 34. Quod si nihilominus Deus charissimo huic filio suo non pepercit; si Christus jure quodam suo, ex Legis promissionibus pendente, uti noluit, sed nostri causæ voluntati Patris, qui præmio proposito ei præceptum dedit, ut animam pro nobis poneret *cap.* 10. 17, 18, sponte se subiecit: an non utriusque adversum nos charitas ea

in re maxime inspecta fuit, digna quæ per petua gratiarum actione celebretur? Quod si quædam in reliqua ejus vita intercurrerunt incommoda aut contumeliæ, in quibus iis virtutibus fuit locus, quæ sunt Novi Foederis magis propriæ; ea mortis tantum fuerunt præludia: ut taceam, quædam ex iis, quæ mors Christi præstitit, in salutis nostræ negotio maximi momenti, iis nullo pacto convenire.

Antequam hinc abeamus, nonnihil addere libet de variis allusionibus, quarum nonnullas vel in locis à Grotio adductis cernere licet, ob quas sacri scriptores libentius mortem, quam vel vitam vel resurrectionem in salutis nostræ negotio commemorant: quia earum elegantia omnis, quam eos sectari nonnunquam videmus, & argutia, non inanis illa, sed cum emphasi conjuncta, & gravibus causis nixa, periret, si mortis aut vocum idem significantium loco, vel vita vel resurrectio Christi substitueretur. Vidimus jam antea, Sacros Scriptores libenter alludere ad sanguinem Foederis Antiqui, & ejus asperisionem, qua Israëlita foederi illi quodammodo adscripti fuerunt: idque fit in aliquot locis à Grotio notatis *Matth.* 26. 28. *Luc.* 22. 20. *Hebr.* 12. 24. *1 Petr.* 1. 2, in quibus vel sanguis foederis, vel ejus asperio commemoratur. Quin etiam in omnibus iis locis ad ritum faciendorum foederum respicitur, in quibus vel de reconciliatione nostri cum Deo, vel de reconciliatione aut pacificatione inter cœlestia & terrestria *Eph.* 2. 13, 16. *Col.* 1. 20, inter Judæos item & Gentes per Christi mortem facta sermo est. Cum enim id factum est, foedus quodammodo inter partes diversas, quarum vel utraque, vel altera saltem alteri antea fuerat inimica, fuit initum ac constitutum, qua de re agitur, Deo volente, infra *cap.* 7. Alludunt etiam crebro ad sanguinem cædemque victimarum *Leg.* 1. 1, quod itidem in duobus locis à Grotio citatis accidit *Hebr.* 9. 12 & 22. d. 1. *ys.* 22: quamquam alter ad eam rem non alludit, sed ipsammet exprimit. Præterea cum nos è spiritali servitute liberatos, & Deo Christoque mancipatos dicere volunt, libenter Redemptionis, Emptionis, Acquisitionis utuntur vocibus, ad quos actus pretium intervenire ac impendium fieri solet, cui Christus ipse in mortem traditus, aut anima ipsius, aut sanguis eleganter respondet. Huc quoque respiciunt testimonia quædam à Grotio allegata *Act.* 20. 28. *Ephes.* 1. 7. *Col.* 1. 14. Alludunt interdum ad ablutiones & purgationes varias, sive in Lege olim præscriptas, sive vulgares ac profanas, purgationem nostram à sordibus spiritalibus, seu peccatis, denotare volentes: ubi sanguinis, per quem fiat ablutio, quia liquor tamen est, & aquæ aliquo pacto respondet, aptius quam vel vitæ vel resurrectionis fit mentio. Atque hoc fit in duobus locis à Grotio notatis *1 Joh.* 1. 7. *Apoc.* 1. 5, quibus adde *Apoc.* 7. 14, ubi argute admodum dealbata dicuntur vestimenta in sanguine agni. Quamquam in istis locis à Grotio adductis, sanguis Christi tacite simul cum sanguine Foederis Antiqui, & sacrificiorum expiatoriorum confertur. Interdum enim ad plura simul alluditur, ut *1 Petr.* 1. 18, ubi & ad pretium redemptionis, & ad sanguinem victimarum respicitur. Vidimus etiam supra, in eodem loco *Hebr.* 9. 16 & seqq. mortem Christi, & cum testatoris morte,

& cum sanguine fœderis antiqui conferri. Sunt & aliæ comparationes allusionisque, oppositiones item, quarum elegantia periret, substituta in mortis locum vita aut resurrectione, ut videbimus in locis Esai. 53. 5. cum quo jungendus ille 1 Petr. 2. 24. Joh. 3. 14, 16. 1 Cor. 5. 7. 2 Cor. 5. ult. Gal. 3. 13. Comparationes autem, ut viri docti notant, quin etiam oppositiones, multas pariunt figuras & catachreses.

Verum adversus quædam Socini dicta, in quibus peculiares mortis Christi effectus explicat, excipit Grotius Partic. 28. Primo inquit: *Exemplum sanctimonie tota vita Christi præbuit, magis quam mors ipsa, quæ brevi momento peracta est.*

Socinus cum mortem Christi à vita ipsius antegressa distinguit, & peculiares illius explicat effectus, non sanctimonie generatim dictæ, sed vel patientiæ, vel viæ salutis tam asperæ, & afflictionum ac crucituum plenæ, quæ nobis in Novo Fœdere præscripta est, exemplum commemorat. Quare id nihil adversus Socinum. Vidimus autem supra, opera virtutum præcipuarum difficilima, quæ exemplo maxime indigebant, in morte magis, quam in reliqua vita fuisse conspecti.

Deinde sic scribit Partic. 29: *Confirmatio autem promissionis de vita cœlesti, proprie in ipsa Christi resurrectione consistit: ad quam mors solam via habet rationem: ita ut huc respiciens Scriptura, resurrectionis mentionem facere debuerit, non mortis: certe non toties, & adjunctis notis ἀποδείκνυμι.*

Primum, etiamsi confirmatio promissionis de vita cœlesti proprie, hoc est, peculiariter & præcipue, (ita enim Grotii verba capimus, quæ alias, si mors prorsus ab hoc effectu excluderetur, non concedenda esse, ex dictis nostris constat) in ipsa Christi resurrectione consistat: tamen confirmatio remissionis peccatorum, quatenus à vita cœlesti distinguitur, proprie in morte consistit. At de hac nobis potissimum hoc loco est sermo. Ne de eo nunc quicquam dicamus, ad certitudinem promissæ nobis vitæ plurimum quoque conferre mortem Christi. Nam *velle* nobis Deum ac Christum beatam illam vitam largiri, ex morte clarius, quam ex resurrectione aut exaltatione ipsa perspicitur. At voluntas Dei ac Christi non minus necessaria ejus rei causa est, quam potentia, licet hæc sit effectui prior. Itaque si mors Christi cruenta non antecessisset, multum spei nostræ deesset, etiamsi Christum resurrexisse & exaltatum esse nobis constaret. Denique nisi Grotius *via* nomine causam quoque seu conditionem resurrectionis adipiscendæ complectatur, effectum suum vi decreti divini necessario habituram, non est ipsi concedendum, quod mors *solum via rationem* habuerit ad resurrectionem. Contrarium enim superius ostensum est.

Subnectit Grotius Partic. 30: *Socinus ipse lib. 1. cap. 3, laborans ut ostendat viam salutis sanguinis effusione confirmatam, cum veram sustulisset, quam nos defendimus, nullam aliam probabilem ejus confirmationis causam substituere potuit; neque ullum verum adferre discrimen, cur id Christi solius; non etiam martyrum aliorum morti tribui debeat.*

At nec Socino eo loco propositum fuit, explicare causam, ut Grotius loquitur, ejus confirmationis, quæ sanguine Christi facta fuerit, seu rationem ac

modum, quo id sanguis Christi effecerit: sed id tantum egit, ut doceret, Christum viam salutis confirmasse, tum aliis modis, tum sanguinis etiam effusione. Quo vero pacto id præstiterit Christi sanguis, explicuit inter alia lib. 2. cap. 2. Quomodo vero Socinus veram confirmationis istius causam sustulit, & ne probabilem quidem afferre potuit? An vera causa non est, & ne probabilis quidem, quam loco à nobis citato attulit, quod Dei ac Christi effusa erga homines adhuc impios charitas inde fuit conspecta? An vera causa non est, & ne probabilis quidem, quod is qui primus tam asperam salutis viam, quæ ad interitum ducere videbatur, nobis præscripsit, ipsemet eam ingressus, inde ad vitam sempiternam pervenit? An illa quoque vera causa non est, & ne probabilis quidem, quod is, qui viam salutis nobis præscripsit, morte tam dira tamque infami, se Christum Dei filium esse asseruit? An hoc pacto viam salutis à se hominum generi Dei nomine præscriptam non confirmavit? Taceo, quod quicquid ea virium habent ad viam salutis confirmandam, quæ mortem sunt consequuta, id jure morti tanquam causæ imputari, & emphatice adscribi queat. Quod enim, ut in Scholis loquuntur, est causa causæ, est etiam causa causati. Emphasis autem quænam hic sit, ex superioribus colligi potest, & inferius denuo explicandum erit. An vero hinc nullum verum apparet discrimen, cur confirmatio hæc Christi solius morti, nempe primo, ac ratione omnium perfectissima, non etiam martyrum aliorum morti sit attribuenda? An enim charitas illa Dei erga genus humanum adhuc impium ita ex martyrum elucet morte, quemadmodum ex morte Christi unigeniti ejus filii eluxit? An ipsi quoque martyres suum erga genus humanum, Deo inimicum, morte sua testantur amorem, quemadmodum Christus est testatus, qui jure quodam singulari poterat ab ea esse immunis, & nostri præcipue causa eam subiit? aut licet ii amorem suum tantum erga genus humanum testarentur? an id protinus tantum haberet virium ad salutis nostræ viam confirmandam, quantum habet charitas Christi, in cujus manu salus nostra universa est posita, & cujus misericordiam ad vitam æternam expectare cogimur Jud. vers. 21; cum illi ad eam nobis præstandam nullas vires habeant, sed eandem una nobiscum in illo die ex Christi manibus expectent 2 Tim. 4. 8. Hebr. xi. 39, 40. Martyres quidem asperam viam, qua se ad salutem perventuros crediderunt, ingressos videmus, sed eos inde nondum videmus ad vitam immortalem emerxisse; adeoque hanc viam ad salutem reipsa ducere, illorum exemplo nondum possumus discere: imo nisi ii ex mortis claustris aliquando eriperentur, periissent. & ad interitum hac via ivissent. Viam, inquam, in illis cernimus, terminum viæ nondum. Præterea, an perinde est, sive is, qui primus salutis viam humano generi promulgavit, & ad eam publicandam ab ipso met Deo sese missum asseveravit, mortem diram ac truculentam adeat, ut se Christum Dei filium esse confirmet, & sic doctrinam suam divinam esse probet; sive is doctrinæ illius causa moriatur, qui nec tantum tamque Deo conjunctum se dicat esse, nec se ab ipso Deo hanc doctrinam accepisse affirmet, sed tantum ab altero isto Dei Legato, ac primo salutis præ-

cone de ejus veritate se profiteatur edoctum? An non patet, veritatem testimonii hujusmodi totum pendere à veritate testimonii illius, qui primus doctrinam hanc à Deo acceptam tradidit, & à quo eam alter iste accepit; & posteriorem testem priori, testimonio hoc suo tantum subservire? Atque hoc discrimen non obscure indicant Sacrae Literae Apoc. 1. 5. 11. 14. 1 Johan. 5. 8, dum Christum quidem simpliciter appellant testem fidelem ac veracem, quin & sanguini ejus testis appellationem absolute tribuunt; sed ceteros, qui Euangelii causa mortem pertulerunt, eam ob rem non Martyres seu testes simpliciter, sed Jesu Christi Martyres sive testes vocant, ut de Stephano & Antipa legimus Actor. 22. 20. Apoc. 7. 13. Quemadmodum etiam in Euangelio prædicando Apostoli Christo testimonio suo tantum subservierunt, ut docent ipsius verba, à Socino eodem loco adducta, Actor. 1. 8. Quemadmodum igitur, licet de Apostolis, aliisque Euangelii præconibus aut Christi servis scriptum legamus Rom. xi. 14. 1 Cor. 9. 22. 1 Tim. 4. ult. Jac. 5. ult. quod alios servant; tamen eos hac in parte non putamus cum Christo comparandos, quia nec primo, nec perfectissima ratione id præstent, sed Christo hac in re aliquo usque tantum subserviant: ita nec, quod ad confirmationem viæ salutis attinet, martyres Christo sunt comparandi, cum idem hic sit discrimen, quod in servandi ratione deprehendi diximus; sed cum Christo, cui subserviunt, utraque in re sunt computandi. Non repeto nunc discrimen illud inter martyres & Christum, quod in mortis Christi consequentibus & effectis, hoc est in resurrectione & exaltatione ejus, præcipue cernitur, quatenus ea peculiariter ad doctrinam Christi confirmandam spectant; quod sane est longe maximum.

Denique addit Grotius Partic. 31: *Neque vero unquam explicare Socinus poterit, quomodo Christus sanguine suo fuso Deum nobis devinxerit (quod aliquo modo verum ipse concedit) si Deus ob fusionem sanguinis nihil promissit.*

At cum Socinus docuerit, Christum sanguine suo Fœdus Novum, quod Dei nomine nobiscum pepigerat, confirmasse, & ejusdem nomine sanxisse: an non eadem opera docuit, Christum nobis Deum ad fœderis promissa præstanda quodammodo devinxisse, ita quidem, ut (quæ ipsius Socini hæc explicantis sunt verba lib. 1. cap. 3.) sanguis ejus assidue ad „patrem clamet, ut promissorum suorum, quæ ipse „Christus nobis illius nomine annuntiavit, pro quibus confirmandis suum ipsius sanguinem fundere „non recusavit, meminisse velit. Loquitur enim „sanguis ejus meliora quam Abel, inquit Auctor „Epist. ad Hebr. 12. 24. Ubi manifeste apparet, hoc „sensu, quo nos explicavimus, dictum id fuisse ab „Apostolo. Ait enim, *Et (accessistis) Fœderis Novi „mediatorem Jesum, & sanguinem aspersum meliora „loquentem quam Abel.* Namque alludit aperte ad „sanguinis asperionem, quæ in Vetere Fœdere sanciendo à Mose facta fuerat Exod. 24. 8. Ubi Fr. Vatablus doctissime & elegantissime, ut fere solet, ita annotat: *Hic sanguis typus erat sanguinis Christi, „cujus sanguinis effusio confirmatura erat omnes Dei „promissiones.* Quod fusius postea docuit Socinus.

Neque vero ad id, ut recte dici queat, Christum sanguine suo fuso Deum ad promissa sua nobis præstanda quodammodo devinxisse, requiritur, ut Deus ob fusionem sanguinis aliquid promiserit, quemadmodum Grotius indicat; sed satis est Christum, Dei voluntate ac jussu sanguinem suum ad promissa, quæ ipsius nomine nobis annunciarat, confirmanda fuisse, & sic ipsummet Deum testatum esse, se id ratum habere, quod ejus nomine Christus nobis promississet. Obligant enim nos ac devinciunt ad promissa præstanda, tum promissiones ipsæ, tum earum signa & confirmationes, voluntate nostra adhibitæ; quæ ideo promissoris sæpe in memoriam revocari solent, cum monentur, ut promissa servant, imo etiam cum coram judice urgentur, ut ea præstent: v. g. quod dextra data promiserint, quod chirographum dederint, quod manu sua subscripserint, quod signo suo id obsignarint, & si quæ sunt hujus generis; etiamsi nec ob dextræ porrectionem, nec ob chirographum quicquam promiserint; sed tantum promissionem suam iis rebus confirmarint. Nihil autem refert, si quis per seipsum, siue per alium id fecerit. Quod enim quis per alium fecit, id ipsemet fecisse censendus est. Atque id hoc loco factum est. Nam sanguinis Christi testimonium, ipsius Dei testimonium est, quo asserit, se nobis dedisse vitam æternam, & hanc vitam in filio suo esse; ut clare testatur Johannes, loco supra allegato 1 Epist. 5. 8, 9, 10, 11. Sed præterea cum Grotius ex Socini mente ponit, Deum ob fusionem sanguinis Christi nihil promississe, vel id intelligit de causa impulsiva promissionis ipsius faciendæ; vel de causa ejusdem exsequendæ ac præstandæ, seu, ut clarius loquamur, de conditione, sub qua Deus quippiam promiserit. Si prius, verum quidem id est; sed inde non sequitur, Deum sanguinis Christi fusione non fuisse ad præstanda nobis promissa sua devinctum. Satis enim est, Deum sub hac conditione promississe id, unde salus nostra proficiscitur, qua præstita Deus ad promissum illud præstandum fuit devinctus. Si posteriori modo verba sua intelligit Grotius, falsum id est, tum ex veritatis, tum ex Socini mente. Docuit enim is lib. 2. cap. 25, ex verbis Esaie cap. 53. 10, 11. Deum promississe, Christum, si mortem subiret, non tantum ipsummet felicem evasurum, verum etiam eum adepturum potestatem, qua ipsius voluntatem de salute nostra feliciter ad exitum perduceret; hoc est, scientia sui justificaret multos, eorumque peccata tolleretur, quæ promissio primo quidem ad ipsum Christum spectat, sed consequenter, & admodum manifeste, ad nos nostramque salutem, tanquam ad suum finem. Qua de causa Socinus affirmat, Christum morte sua non tantum sibi, verum etiam suis omnibus immortalitatem peperisse; & peccata nobis remitti propter Christum, & propter obedientiam ejus: quæ aliis, à se de appellatione Servatoris Christo tributa disputatis, expresse addi vult, licet in iis tacite comprehendantur. Adde huic loco alterum eodem lib. 2. cap. 5. Atque hic alter modus est, quo Deus sanguine Christi ad promissam nobis salutem reipsa præstandam devinctus est.

Accedit ad formam satisfactionis Grotius Partic. 32, quam facit *pœnarum pro peccatis nostris persolutio-*

nem, quod descripte neget Socinus. Quomodo eam probet Grotius, videamus.

Hebraei, inquit, ut significant, quod Latini dicunt, penas pendere, nullam habent receptam magis phrasin, quam hanc Ferre peccatum, cui similis est Latinorum locutio, luere delicta, hoc est, delictorum supplicia; id quod dictis Scripturæ comprobatur, & addit: hac eadem phrasi dixit Petrus, Christum peccata nostra sursum tulisse in corpore super lignum 1 Petr. 2. 24.

Sed in hac ratiocinatione latet consequentis fallacia: Pœnas quidem pendere usitate dicitur apud Hebræos *ferre peccatum*: sed non contra, *ferre peccatum* semper significat, pœnas proprie dictas (de his enim controversia est) persolvere; qua enunciatione Grotius est opus, si ratio ipsius ex huius phraseos significatione ducta, firma esse debeat; nisi forte non tam ex vi phraseos ipsius quam ex locorum, in quibus ea de Christo usurpatur, circumstantiis velit concludere, hoc sensu eam de Christo efferri, qua de re postea. Atqui, ne illud nunc urgeam, quod est manifestum, & à Grotio conceditur inferius, *ferre peccatum* apud Hebræos nonnunquam esse Auferre peccata; istud etiam negari non potest, recte & eleganter dici posse, eum *ferre peccatum*, qui peccatorum causa grande malorum, cruciatuum, ac mortis denique sustinet onus, etiamsi nulla vera ea in re sit pœna sive vindicta, ut Socinus jam monuerat. Est enim hæc locutio, *ferre aut portare peccatum*, ut quivis animadvertit, quod ad *peccati* vocem attinet, metonymica, in qua causa pro effectu ponitur, peccatum nempe pro onere aut nocumento, quod alicui peccati causa incumbit. Ad onus vero illud non sufficiunt ipsæ afflictiones ac cruciatus, ipsa denique mors, quæ peccatorum causa cuiuspiam imponitur, etiamsi vindictæ ratio, quæ pœnam proprie dictam constituit, non accedat? An ergo is, qui hæc omnia sustinet, peccatum *ferre*, *portare*, *bajulare*, recte non dicitur? Similes certe locutiones, (quod itidem monuerat Socinus) quotidie in ore habemus. Nam cum quis alieni delicti occasione mali quippiam perpetitur, quod ipsi delinquenti potius ferendum fuerat, dicere solet, se alienum delictum sustinere, imo etiam ejus pœnas dare, licet id tandem ex eventu fuerit factum; contra quam in morte Christi accidit, quæ Dei consilio, peccatorum nostrorum causa Christo fuit imposita. Simili quapiam ratione usurpatur illa Hebræorum phrasis Num. 14. 33: ubi dicitur: *filiis vestris pascet in deserto quadraginta annos, & portabunt fornicationem vestram, donec consumantur corpora vestra in deserto*. Neque enim hoc vult Deus, se filios Israëlitarum vere puniturum (nihil enim tale ex toto loco colligi potest, nec ullo pacto est verisimile) sed eos occasione delicti parentum suorum damnum non leve sensuros; quia illis totos quadraginta annos in deserto una cum patribus suis sit commorandum, & per tam longum tempus terra illa bona cendum, quam alias brevi fuissent ingressuri. Eandem significationem alibi etiam reperiri videbimus infra. Neque vero phrasis Latinorum *luere delicta* ea in re, de qua quæritur, Hebrææ prorsus est similis. Nam *luere*, quod est solvere, compensationem & vindictam magis significat: *ferendi* aut *portandi* verbum ad onus, quod pœnæ ma-

teria est, & in afflictionibus etiam iis reperitur, quæ pœnæ non sunt, magis respicit. Quanquam Cicero * phrasin *pœnam luere*, quæ apertius adhuc pœnam proprie dictam significare videtur, ad perpeffiones, quæ veræ pœnæ non sunt, transfert, dum ait: *Silent leges inter arma, nec se expectari jubent, cum ei qui expectare velit, ante injusta pœna luenda sit, quam justa rependa*: ubi pœnam injustam luere, est injuriam perpeti.

Istud etiam hic monendum est, non recte Grotium Partic. 33 probare, *victimas expiatorias* dici portare iniquitatem offerentium, ex loco Levit. 10. 17. Nam non de victimis, sed de sacerdotibus ibi dicitur, quod *ferre* debeant iniquitatem congregationis, ut præter rem ipsam satis monet tum vetus interpres, tum alii recentiores; estque ibi *portare iniquitatem*, eandem asportare, auferre, quemadmodum reddiderunt Tigurini, seu remissam declarare, ut ibidem notavit Vatablus; adeo ut hic locus argumentationem Grotii, ex hac phrasi ductam, enervet. Idem huius phraseos sensus esse posset, etiamsi de victimis ibi usurparetur; & licet tandem ferendi aut portandi verbum perpeffionem ibi significaret, non tamen protinus concludendum esset. *victimas* proprie puniri solitas. Satis enim esset ad phraseos illius vim, quod victimæ mortem occasione peccatorum tulerint. Quam enim pœnam aut vindictam de humanis delictis sumsit Deus, cum hircus, aut aliquod animal peccatore salvo maceretur? Non recte etiam Grotius ad id, quod de victimis dixerat, illustrandum aut comprobandum addidit: *quia sanguis*, nempe victimarum expiatoriarum, *est pro anima humana*. Ubi verba *pro anima* Grotius significant *vice anima*. At Hebræus textus nil habet aliud quam: *ego dedi eum* (sanguinem) *ad expiandum super animabus vestris*: *quia sanguis ipse in anima expiabit*, hoc est, animam expiabit, ut reddiderunt Tigurini, & à reatu liberabit. Sed de hoc loco cap. 10 iterum dicendum erit.

Verbis Petri recitatis addit Grotius Partic. 34: *Poterat dixisse ἤνεγκε, sed quia simul significare voluit ascensum in crucem, dixit ἀνήνεγκε*, hoc est, *tulit sursum eundo*: quod de dicta phrasi nihil imminuit, sed ei addit aliquid. Itaque Syrus transtulit: *portavit & ascendere fecit*.

Imo vero, si Petrus illis verbis voluisset exprimere pœnarum pro peccatis nostris perpeffionem, dixisset potius *πῶς ἀμαρτίας ἡμῶν ἤνεγκεν ἐπὶ τῷ ξύλῳ*, *peccata nostra tulit in ligno*, quam *ἀνήνεγκεν ἐπὶ τῷ ξύλῳ* *sustulit*, seu mavis, *sursum tulit in lignum*. Quamquam enim nec priora illa verba protinus significarent pœnæ proprie dictæ perpeffionem, ut ex hæcenus dictis constare potest, & postea melius intelligitur: haud paulo tamen forent aptiora ad id designandum, in quo pœna inprimis foret constituenda, & quod Sacre Litere peccati nomine in hoc negotio potissimum solent denotare. Id vero est mors illa acerbæ & ignominiosæ, quam Christus non sursum in lignum tulit, sed in ipso ligno pertulit ac sustinuit. Verba *ἀνήνεγκεν ἀμαρτίας*, quibus usus est Petrus, tantum abest, ut pœnam veram significant, ut per se ipsa ne cruciatuum quidem perpeffionum necessario denotent. Nam & hircus ille ἀποπορεύσθαι

* pro Milone.

Levit.

Levit. 16. 21, 22, seu emissarius in anniversario Legis sacrificio, quem Christi ea in re, de qua agimus, typum fuisse nemo ignorat, dicebatur super se omnia populi peccata, capiti suo à Sacerdote antea imposita, in desertum ferre seu portare, nec tamen ullas poenas aut cruciatus, præsertim eundo in desertum, & sic totius populi peccata eo super se portando, perferebat: sed tantum significabatur, non minus ablata fuisse omnia populi peccata, quam si ea hircus sibi imposita in desertum asportasset. Simili ratione à Petro dicitur, Christum peccata nostra in corpore suo sustulisse in lignum, quia, cum crucis mortem adiit; & corpus suum ligno suffigendum tradidit, non quidem, ut hircus ille, ablationem peccatorum tantummodo adumbravit, sed ea efficaciter abstulit, hoc est, id fecit, unde perfecta peccatorum nostrorum ablatio consequitur, non secus ac si ea corpori suo imposita in crucem asportasset, & una secum crucifixisset, ac penitus extinxisset. Quapropter nihil interest, si ve verbum ἀνήγαγεν proprie reddas *sursum tulit*, si ve, sensum ipsum ac mentem Petri sequutus, cum Socino veritas *abstulit* seu *asportavit*. Res enim eodem recidit. Syri auctoritas nos non stringit, nec nobis revera adversatur. Verbum enim istud, quod redditum est *portavit*, potest etiam, Tremellio teste, transferri *sustulit*, quemadmodum in similibus vocibus apud Hebræos contingit. Alterum etiam verbum, quod significat *ascendere fecit*, nobis non adversari, ex sequentibus intelligetur.

Pergit Grotius Partic. 35: *Socinus ut vim huius loci enervet, primo ait, ἀνήγαγεν significare abstulit: sed contra naturam usumque vocis. Nam nec particula ἀνά eam patitur interpretationem, nec quisquam Græcus scriptor ita usus est ea voce. In Novo quoque Testamento nusquam occurrit eo significatu.* Id quod exemplis alatis conatur ostendere. Significare enim hoc verbum in Novo Testamento aut *sursum ferre*, aut *sursum ducere*, atque inde etiam *offerre*.

De usu vocis mox videbimus, qui si eam significationem admittit, quam vult Socinus, frustra natura vocis urgetur. Damus autem libenter, ut & paulo ante diximus, ἀναφέρειν, si naturam vocis spectes, inter alia significare *sursum ferre*. Verum eadem *auferendi* quoque significationem admittit, vel metaphoræ illius, quam Petri verbis subesse diximus, vel per metonymiam, qui tropus etiam in simplici voce *ferendi* apud Hebræos occurrit, cum pro *auferre* ponitur. Quia enim id, quod sursum tollitur, de loco, in quo antea positum fuerat, amovetur atque aufertur; ideo ἀναφέρειν pro *auferre* potest usurpari. Quid vero mirum, cum vox Hebræa, quæ *ferre* significat, usurpetur pro *auferre*, idem quoque apud Sacros Scriptores Novi Testamenti, qui innumeros loquendi modos ex Veteri Testamento, & Græca ejus translatione traxerunt, fieri in voce ἀναφέρειν, quam Græca ejus translatio pro simplici *ferendi* verbo ponit, & quidem iis in locis, ubi id *auferendi* significationem habet, & ad quos Grotius arbitratur Petrum hic respexisse? Ait infra Grotius, Petrum in his verbis procul dubio respexisse ad locum Esaiæ cap. 53. 11, ubi de Christo dicitur, eum iniquitates illorum, quos scientia sui justificasset, bajulaturum. Ubi Græca translatio pro *bajulavit* habet ἀνείσσε,

quod est ab ἀναφέρειν; & sequenti etiam versu, ἀμαρτίας πολλὰς ἀνήνεγκεν. At ex loco ipso quivis facile videre potest, *bajulabit* ibi positum esse pro *asportabit*, seu *auferet*, ut postmodum apparebit. Ex quo consequitur, ne verisimile quidem esse, aliter Petrum hac voce usum, si modo statui debet, quod vult Grotius, Apostolum ad ista Prophetæ verba respexisse. Sed præterea vox Græca ἀναφέρειν respondet etiam Hebrææ Hæalah, hoc est, *ascendere fecit*, quam Tremellius in margine editionis Syriacæ annotavit ad explicandum posterius verbum, quod interpretes Syriacus in hoc Petri loco adhibuit, vim vocis ἀναφέρειν expressurus, quodque ipse etiam Grotius reddidit *ascendere fecit*, quæ eadem illius Hebræi significatio est. Unde LXX Interpretes verbum istud Hebræum non raro vertunt ἀναφέρειν, atque inter alia cum de sacrificio oblatione agitur, ubi utriusque verbi frequens est usus. De Hebræo constat iis, qui linguam illam vel primis labris gustarunt. De Græco patet vel ex locis Novi Testamenti à Grotio adductis Hebr. 7. 27. Jacob. 2. 21. 1 Petr. 2. 5. (Grotius habet hunc ipsum locum vers. 24 de quo agimus,) Hebr. 13. 15. Redditur tamen nonnunquam istud idem verbum Hebræum per ἀνάγειν, quod ex eadem præpositione ἀνά, quam Grotius negat auferendi significatione in voce ἀναφέρειν admittere, componitur, & cum hac ipsa voce ἀναφέρειν non semel permutatur, sic ἀνάγειν ἑστίασεν pro ἀναφέρειν Act. 7. 41, & contra ἀναφέρειν * pro ἀνάγειν in locis à Grotio citatis Matth. 17. 1. Marc. 9. 2. Quemadmodum etiam φέρειν pro ἀγειν, & ἀπιδέχασθαι pro ἀπείγειν, poni solet Marc. 15. 1, 22. Atqui, ut ad rem veniamus, verbum istud Hebræum, quod proprie significat *ascendere fecit*, non semel accipitur pro *asportare* vel *auferre*, idque iis in locis, ubi à Græcis interpretibus redditur vel ἀναφέρειν vel ἀνάγειν, ita ut necesse sit, voces has Græcas iis in locis vim verbi Hebræi sequi. Sic 2 Sam. 21. 13 in Hebræo est: & *ascendere fecit inde* (David) *ossibus Saulis* &c. h. e. *asportavit*, *abstulit*, ut doctissimi Viri reddiderunt. Græce est: ἀνήνεγκεν ἐκείθεν τὰ ὀστέα, hoc ipsum nempe verbum, quo Petrus utitur. Similis locus est de ossibus Josephi ex Ægypto asportatis Jos. 24. 32. Sic Psal. 102. 25 in Hebræo est: *ne ascendere me facias in dimidio dierum meorum*, h. e. *ne tollas me*, ut Tigurini & Castellio, sensu loci exigente reddiderunt. Ubi LXX καὶ ἀναγάγης με. Esdr. 1. 11 in Hebr. est: *omnia hæc (vasa) ascendere fecit Sefbazar*, h. e. *asportavit*, *avexit*, ut Tigurini converterunt. Græce iterum est ἀνήγαγε: quod verbum apud bonos auctores pro ἀπείγειν poni, viri docti observarunt, & Beza notavit ad vers. 1. cap. 4. Matthæi, ubi cum verbum ἀνήχθη vertisset *subductus fuit*, scripseratque, ἀνά ex Budæi sententia hic idem valere quod ἀνά, addit: *Nihil tamen impedit quo minus ἀνά pro χωλεῖς vel δῶδε accipiatur, ut veritas, abductus fuit, id est, ἀπείχθη*; plane contra Grotium, qui negat talem significationem admittere particulam ἀνά. Idem Beza Matth. 2. 14 scribit ad verbum ἀναχωρεῖν, quod ibi secedere significat, *præpositionem ἀνά ibi idem valere quod χωλεῖς*. Cui loco adde Matth. 12. 15. xiv. 13. xv. 21. Ut frustra Grotius vim particulæ ἀνά & naturam verbi ἀναφέρειν urgeat. Quod si Grotius dicat, in quibusdam locis à nobis adductis, ubi

* Vid. Bez. Matth. 17. 1.

ἀναφέρειν, vel ἀνάγειν auferendi significationem habeat, simul ascensum in locum superiorem significari: id nos in Petri quoque loco libenter fateri, jam supra diximus.

Subjungit Grotius Partic. 36: *Unum duntaxat locum citat Socinus Hebr. 9. 28, ubi vult ἀνερχεῖν ἀμαρτίας nihil aliud esse quam auferre: sed immerito, & citra exemplum, & non id exigente loci sententia.*

Cum in Novo Testamento hic solus extet locus, in quo vox ἀνερχεῖν cum voce ἀμαρτίας juncta reperitur, præter eum de quo agimus, & in utroque de Christo sit sermo, non mirum est, Socinum hoc uno loco fuisse contentum. Præsertim cum excipienti ad rationem adversariorum satis esset, unum locum, ei, de quo agebatur, simillimum adducere, quo probaretur, ἀνερχεῖν ἀμαρτίας non necessario ferre peccata eorumve pœnas, significare, sed etiam ablationem eorum denotare posse. Quamquam nos aliunde jam ostendimus, id sine exemplo non fieri. Sed videamus, quomodo probet Grotius, eam significationem non exigere loci sententiam.

Nam opponitur, inquit Partic. 37, inter se duo Christi adventus: prior quo peccata nostra iulerit, alter quo venturus sit χωρίς ἀμαρτίας, hoc est, non gravatus, non oneratus ullis peccatis, sed ab iis solutus & immunis. Non sunt autem ista ἀντίστοιχα, esse χωρίς ἀμαρτίας & peccata auferre, sed esse χωρίς ἀμαρτίας & peccatis oneratum esse. Unde apparet illo quoque ad Hebræos loco ἀνερχεῖν esse aut sursum ferre, in crucem scilicet, ut in loco Petri (idque apposite, quia hic quoque ad sacrificia alluditur: crux autem fuit velut ara) aut simpliciter perpeti, ut apud Thucyd. καθύπερθε ἀναφέρειν.

Atqui omnes, quod sciam, interpretes locum hunc ita reddiderunt, ut ablationem voce ἀνερχεῖν denotari indicarent. Ratio idem exigit: Nam verbis his: εἰς τὸ πολλὰν ἀνερχεῖν ἀμαρτίας, denotatur finis unicæ illius Christi oblationis. At finis oblationis illius non fuit ferre pœnas peccatorum (hanc enim formam oblationis Christi statuit Grotius) sed eas auferre ac tollere. Maxime cum de ea Christi oblatione hic agatur, quam in cœlis factam idem auctor 1. 24, 25 hujus cap. satis aperte docet, dum ait: non enim in manufacta sancta ingressus est Christus, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut nunc appareat vultui Dei pro nobis, neque sc. ingressus est in cœlum) ut sæpius offerat seipsum, quemadmodum Pontifex ingreditur in sancta quotannis in sanguine alieno, &c. At in cœlo nullas peccatorum pœnas fert Christus, sed aufert. Præterea quis non videt, verba hæc, de quibus agimus, plane respondere verbis illis verf. 26 εἰς ἀβύσσον ἀμαρτίας, id est, ad abrogationem vel destructionem peccati? Nam verba 1. 27 & 28, afferuntur ad illa verf. 26, nunc autem semel in consummatione seculorum ad abrogationem peccati per hostiam suam apparuit, per comparisonem illustranda; cuius comparisonis pars prior seu πρότις continetur verf. 27: posterior seu ἀποδοῖς, quæ rem ipsam illustrandam exprimere debet, extat 1. 28. Quemadmodum igitur illis: nunc semel in consummatione seculorum per hostiam suam apparuit, (nempe in cœlo apud Patrem, ut Grotius pag. 173 ipse explicat inf. cap. 10) respondent ista. Christus semel oblatus: ita illis εἰς ἀβύσσον ἀμαρτίας, ad abrogationem seu destructio-

nem peccati; respondent hæc: εἰς τὸ πολλὰν ἀνερχεῖν ἀμαρτίας, id est, ad tollenda seu auferenda multorum peccata, non ferenda. Neque enim εἰς ἀβύσσον ἀμαρτίας id significat. Ex his etiam patet, non recte Grotium asserere, duos hic adventus Christi inter se opponi, nisi forte adventus nomine altera ex parte abutatur: sed opponitur ejus in cœlum ingressus & coram Patre apparitio, morte interveniente facta, ejus ex cœlis egressui, quo fiet, ut nobis sese iterum præbeat conspiciendum qui ipsum expectamus ad salutem. Alludit enim Auctor ad anniversarium Legis sacrificium, cum quod Christi oblationem tum hoc, tum multis aliis Epistolæ suæ locis confert. Postquam enim summus sacerdos in illo sacrificio, sancta cum sanguine ingressus, expiationem ibidem coram Deo peregisset, ad populum extra tabernaculum sese expectantem redibat, eoque ipso peractam jam peccatorum istius populi expiationem testabatur. Sic Christus Pontifex noster, postquam semel per proprium sanguinem in Sancta, hoc est, in ipsum cœlum, est ingressus, ut vultui Dei pro nobis appareat, expiatione peracta, & peccatorum vi, quam ad nos damnandos habent, sublata, ex cœlesti tabernaculo egredietur, & sese iis, qui ipsum tanquam Pontificem suum expectant ad salutem, præbebit conspiciendum, & sic re atque opere ipso, peccata nostra coram Deo expurgata esse demonstrabit. Neque vero explicatione nostra admissa, perit oppositio inter verba προσερχεῖς εἰς τὸ ἀνερχεῖν ἀμαρτίας, & χωρίς ἀμαρτίας ὁφθαλμοῖς. Nam verba absque peccato, vel significantid, quod pluribus placuisse video, absque viâima pro peccato, ut inter alios Beza notat, & Auctor Annotat: ad N. Test. in Bibl. Vatabli, qui ita explicat ea verba: non ut iterum se offerat pro peccato; vel, ut Beza secundo loco exponit, abolito jam & abrogato peccato. Uterque sensus loco admodum est consentaneus, & utrovis modo accipias, constabit oppositio. In prioribus enim verbis dicitur, Christum oblatum esse ad multorum tollenda peccata: in posterioribus, eum, cum venturus est, non amplius pro peccatis oblatum iri. Vel, si alterum sensum sequaris, iu prioribus significatur, nondum abolita & abrogata fuisse peccata cum se offerret: contra in adventu ejus futurum, posteriora docent. Quamquam & illud admittere possumus, quod vult Grotius, χωρίς ἀμαρτίας significare, non oneratum esse peccatis, nec tamen peribit oppositio, etiamsi ἀνερχεῖν accipias pro auferre vel asportare, allusione quadam facta ad propriam verbi significationem. Nam qui aliquid aufert, atque in eo asportando est occupatus, is tantisper donec id abiciat, fert ac portat. Quare etiam ablationi peccatorum opponi potest, non oneratum esse peccatis. Alia, quæ in his Grotii verbis notari possent, studio prætermittimus.

Pergit Grotius Partic. 38, & ait: ipsum Petri contextum evincere, ἀναφέρειν esse ferre, non auferre. Agitur enim, inquit, non de quovis Christi beneficio, sed de summa ejus patientia, quæ non auferendo, sed ferendo ostenditur.

Ad hoc Socinus jam responderat. Nam cum non simpliciter dicatur à Petro, Christum abstulisse peccata nostra, sed additis verbis: in corpore suo super lignum, nempe crucis; hoc ipso patientia Christi

Christi satis exprimitur. Quanquam nihil prohibet, quominus Petrus in his verbis, non tam de ipso patientiæ Christi exemplo, de quo jam satis dixerat, quam de passionis sine, qui ad Apostoli admonitionem in primis pertinet, loquatur. Is vero est, ut abjectis peccatis sanctitatem in universa vita sectemur, atque ita non ob delicta nostra, sed potius ob recte facta, & conscientiam Dei, ut supra locutus est Apostolus, vers. 19, 20, mala perferentes, toleremus. Hujus enim rei gratia Christus, qui patientiæ exemplum nobis proposuit, mortem tam diram adiit. Indicavit hoc ipsum Socinus non obscure eo loco, quem Grotius citavit lib. 2. cap. 6.

Subjicit Partic. 39: *Quod addit Socinus, cum hoc sensu non satis recte coherere quod sequitur, ut peccatis mortui iustitiæ vivamus, sine ulla causa dicitur. Manifeste enim indicat Petrus, Christum ita tulisse peccata nostra, ut nos simul à pœna liberaret: unde addit statim: ipsius vibice sanati estis. Optime autem hæc coherent: si Christus tam dura subiit, ut peccatorum veniam sequeremini, sane eam adepti per fidem, à peccatis cavere debetis in posterum.*

Sed cur Grotius rationem Socini, qua dictum suum confirmat, non refutavit? Ait namque Socinus: Sunt enim hæc duo (nempe Christum pœnas peccatorum nostrorum persolvisse, & nos peccato mortuos iustitiæ debere vivere) natura admodum separata, & non nisi ex accidente hoc illius consequens est. Sicuti etiam ex eo, quod quis alicujus debita solverit, non sequitur, eum velle nullum æs alienum jam ab ipso contrahi, &c. Quod vero Grotius ait, Petrum manifeste indicare, Christum ita tulisse peccata nostra, ut nos simul à pœna liberaret; id nec rationem Socini tollit; nec concedi debet, si, ut quidem apparet, non de vi & efficacia mortis Christi, quam habeat ad nos à pœna liberandos, sed de ipso effectu loquitur. Imo nihil prohibet, quominus verba, *peccata nostra sustulit in corpore suo in lignum*, de liberatione ab ipsis tantum peccatis intelligantur, non vero ab eorum pœnis, nisi, ut ita dicam, accessorie & consequenter. Hoc modo rectissime cohærebunt cum sequentibus, quæ Grotius pro se adducit, & de liberatione à pœna loqui arbitratur, *ipsius vibice sanati estis*. Hanc enim sanationem Petrus ipse statim explicat, dum subjicit: *eratis enim sicut oves errantes: sed conversi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum*. Eo igitur pacto sanati sumus Christi vibice, quod afflictionibus ipsius ab erronea & impia vivendi ratione ad Christum, fidelem animarum nostrarum pastorem conversi, atque in salutis viam traducti sumus. Quod ipsum tamen potissimum de vi mortis Christi, cujus effectus aliqua ex parte in iis ad quos scribitur apparebat, intelligendum. Unde consequitur, Grotium istud de suo Apostolicæ argumentationi adjecisse, quod ii, quos ad pietatem hortatur Petrus, remissionem peccatorum essent adepti per fidem. Nihil enim hujusmodi est in verbis Apostoli, nec subaudiendum esse vel inde patet, quod ii, qui per fidem adepti sunt remissionem peccatorum, jam peccatis sunt mortui, & iustitiæ vivunt, idque non consequens remissionis, sed antecedens ac requisitum est necessarium. Quoties enim legimus pœnitentiam esse

agendam? quod nil est aliud, quam animum, atque inde vitam, mutandam in melius, ut peccata nostra deleantur. Hinc Johannes 1 Johan. 1. 7: *Si in luce ambulaverimus, ut ipse (Deus) est in luce, communionem habemus inter nos invicem* (hoc est, nos cum Deo & filio ejus vers. 3 & 6) & *sanguis Jesu Christi filii ejus emundat nos ab omni peccato*. Quid? an non fidei illius, per quam remissionem peccatorum adipiscimur, anima & Spiritus est pietas, ut Jacobus docet cap. 2. 17, 20, 22, 26. Sed demus, ita esse apud Petrum subaudienda: nondum tamen, nisi quid addatur aliud, inde consequitur, nobis omnino peccatis esse moriendum & iustitiæ vivendum, ut ex Socini ratione apparet.

Sed Scripturæ locos adducit Grotius Partic. 40, in quibus similem argumentandi rationem putat contineri. Primum ita citat: *dedit nobis Deus ut liberati ex manu inimicorum nostrorum ipsi serviamus in omni sanctitate & iustitia* Luc. 1. 74.

Sed primum omisit Grotius *ἀφ' ὧν*, sine timore, in qua tanta hic vis est, ut Zacharias ex eo, quod ipsi sint liberati ex manu inimicorum suorum, non tam hoc videatur probare velle, Deo serviendum esse in omni sanctitate, quam, eo pro concessio sumpto, (erat enim aliunde satis manifestum) ostendere, id se liberatione ista consequutos, ut jam animo tranquillo, nullo metu anxii, Deo in sanctitate ac iustitia per omnem vitam servire possint. Sed præterea, si hoc tantum vult Grotius, argumentationem hanc Zachariæ, illi, quæ sit apud Petrum, in eo esse similem, quod, quemadmodum Zacharias beneficiis divinis nos ad sanctitatem excitet, ita & Petrus beneficio Christi; Socinum non ferit. Is enim de nexu ejusmodi inter Petri verba loquitur, qui ex speciali ac propria hujus beneficii, quod verbis inter nos controversis exprimitur, natura pendeat, quæ à Petro maxime respicitur, non vero ex natura generis universi, sub quo id contineatur. Jam vero, si propria hujus beneficii natura consideretur, non ita cohærent, cum eo sequentia verba, si Grotii sententiam admittas, quemadmodum cohærent, si nostra recipiatur, ut ex supra dictis perspicui potest.

Secundus locus à Grotio Partic. 41 adductus est: *Ecce sanus factus es: ne pecces posthac* Johan. 5. 14. Sed iterum omisit Grotius ea, quæ proxime adhærent: *ne quid tibi deterius contingat*: in quibus est vis pene omnis adigendi eum, qui sanatus fuerat, ad peccata in posterum vitanda. Tale aliquid etiam fuisset addendum in Petri verbis, ex quo pateret, remissionem peccatorum non sequuturam, aut, si ita placeat, cessaturam, nisi peccato valedicamus, & iustitiæ nos penitus addicamus. Nisi enim hoc addas, infirma erit argumentatio Apostolica, secundum Grotii mentem explicata, etiam si ea subaudias, quæ is subaudienda non recte statuit, & quibus sublati majus adhuc apparet discrimen inter argumentationem istam, quam Petro tribuit Grotius, & eam, quæ est in Christi verbis ex Johanne allatis.

Tertius locus est 1 Corinth. 6. 20: *Pretio emiti estis. Glorificate ergo Deum in corpore vestro*, adde quæ in Græco habentur, & à Grotio Partic. 42 prætermittuntur, & *in spiritu vestro, quæ sunt Dei*.

At nec hic Paulus ex eo, quod Peccatorum remissionem per Christi mortem fuerimus adepti, concludit, nobis sancte vivendum esse: sed ex eo, quod Dei servi ac mancipia simus, magno impendio ab ipso emti, & ex servitute peccati, Satanæ, & mundi ideo vindicati, ut ipsi in posterum serviremus. Hinc enim validissime concluditur, omnino nos debere nosmetipsos, quanti quanti sumus, hoc est, tum corpus tum spiritum nostrum Dei gloriæ consecrare, & in illius unius, ut ita loquar, usus convertere, non vero pro nostro libitu ad voluptates turpes iis abuti; siquidem ea non nostra sint, sed Dei, quæ argumentatio non parum discrepat ab ea, quam Grotius in Petri verbis contineri statuit.

Quod addit Partic. 43, *nec aliud agere Paulum cap. 7 & sequentibus ad Romanos, quam ut ostendat, summis Dei & Christi beneficiis excitari nos debere ut sancte vivamus*, id contra Socinum non facit, qui ad specialem beneficii divini à Petro expressi naturam respicit, ut in loco Lucæ 1. 74 examinando diximus. Ut taceam, Paulum cap. 7 & 8 ad Rom. quæ duo capita huc potissimum videntur pertinere, ea ratione nos ad pietatem revera excitare, quia partim vires, quibus homines sub Lege destituebantur, nobis per Christum fiat datæ, ut peccati jugum, atque adeo etiam mortis excutere possimus: partim quia morituri simus nisi secundum spiritum vivamus, & ejus vi carnis opera enecemus. Non vero eo simpliciter, quod summis à Deo & Christo beneficiis fuerimus affecti.

Pergit Grotius Partic. 44: *Affinis Petri loco (imo quo procul dubio Petrus respexit, ut ex verbis quoque sequentibus, vibice ejus sanati sumus, appareat) est apud Esaiam cap. 53. 11: Justificabit servus meus justus multos, & iniquitates ipsorum bajulabit, & addit: vox Avon iniquitatem significat: atque etiam iniquitatis pœnam, ut Reg. 7. 9. Vox autem Sabal est sustinere, bajulare, quoties autem bajulare ponitur cum nomine peccati, aut iniquitatis, id in omni lingua, & maxime in Hebraismo significat pœnas ferre: Nam Nasa quidem interdum significat auferre: Sabal autem nunquam. Diserte ergo hic dicitur Christus laturus pœnas eorum qui justificantur. Hac phrasis nullam aliam interpretationem recipit.*

Etiam si salva sententiæ nostræ veritate concedi possit, Petrum ad hæc Esaiæ verba respexisse; tamen id haud est necesse. Verba illa: *vibice ejus sanati sumus*, quæ à Petro Paulo post ea, de quibus hætenus disputavimus, verba citantur, id non evincunt: cum ea nec apud Esaiam cum verbis *iniquitates eorum bajulabit*, nec apud Petrum cum illis, *peccata nostra ipse sustulit in corpore suo in lignum* ita cohæreant, ut eorum allegatio, cætera quoque ex eodem loco deprompta esse arguat. Accedit dissimilitudo non exigua inter Prophetæ & Apostoli verba: Propheta simpliciter ait: *iniquitates ipsorum bajulabit*, atque ut mox constabit, de tempore loquitur, quod mortem Christi fuit consequutum. Petrus vero ait, Christum *peccata nostra sustulisse in corpore suo in lignum*: ad tempus illud respiciens, quo Christus crucis mortem adiit: licet factum hoc Christi ex iis, quæ illud sunt consequuta, vim ad peccata tollenda maximam habeat. Præterea Propheta *iniquitatum*

nomine, ut Grotius ipse contendit, pœnam peccatorum nostrorum tantum intelligit: Petrus vero ipsa potius peccata quam eorum pœnas. Sic enim firmior erit argumentatio Apostolica, & sequentia cum his melius cohæreunt, ut antea docuimus. Nec est quod dicas, non posse his verbis ipsorum peccatorum ac scelerum nostrorum ablationem intelligi, cum ea in sequentibus demum, *ut peccatis mortui &c.* exprimat, & quidem ut finis ejus, quod in præcedentibus fuerat dictum. Nam verba ista: *peccata nostra sustulit*, intra vim & efficaciam, ut Grotius aliquibi loquitur, consistunt, non vero ipsum effectum, qui in nobis jam existat, includunt: hoc est, non significant, Christum jam effectu & opere ipso nos à peccatis ac transgressionibus liberasse, sed tantum, eum id fecisse, unde peccatorum oblatio consequitur, seu quod ad auferenda scelera nostra plenissimam vim habet. Simili ratione dixit Paulus Rom. 6. 6, 7, veterem nostrum hominem (hoc est, veterem nostram vivendi rationem) una cum Christo crucifixum esse, hoc est, Christo crucifixo una fuisse extinctum: & tamen addit: *ut aboleatur corpus peccati*, hoc est, ipsum peccatum, per Hebr.) *ut non amplius servietis peccato*. Quod vero Grotius ait, quoties bajulare ponitur cum nomine *peccati*, aut *iniquitatis*, id in omni lingua, & maxime in Hebraismo, significare pœnas ferre, & hanc phrasin nullam aliam interpretationem recipere; id non recte dictum est. Nam, ut illud mittam, quod cæteræ linguæ, præter Hebræam, & eas, quæ dialecto fere tantum ab illa distinguuntur, phrasi *bajulare* aut *portare peccatum* non videantur uti, nisi cum Hebraizant: (Quis enim alias Græcorum aut Latinorum auctorum, quorum Grotius infra de hac eadem phrasi agens facit mentionem, dicit, *βασιλευς ἀμαρτίας*, *bajulare* aut *portare peccatum*? adeo ut tantum de vi hujus phræseos apud Hebræos videatur inquirendum.) Ut, inquam, istud mittam; an non phrasis hæc satis eleganter sumi potest pro perpeffione nocumenti alicujus, quod quis occasione delicti cujuspiam sustineat, licet id veræ pœnæ rationem non habeat, ut antea est explicatum? Sed præterea, utut frequentior sit ea phræseos illius significatio, quam Grotius urget, aliam tamen hic locus omnino postulat. Nam, ut Socinus jam docuit, Christum iniquitates multorum bajulaturum, commemoratur tanquam aliquid, quod exiturum sit post mortem Jesu Christi, & tanquam præmium laboris, quem is mortem subeundo pertulerit. Quod profecto esse non potuit, puniri in ipso peccata nostra. Id enim neque mortem consequutum esset, sed una cum ipsa morte peractum fuisset; neque præmium laboris dici posset, sed potius labor ipse. Quod autem Christus abstulerit peccata nostra, id vero & mortem consequutum est, & præmium ejus laboris fuit. Nec magis repugnat huic sensui verbum Sabal, quam Nasa, quod licet proprie *ferre* significet ac *portare*, sæpe tamen pro *auferre* ponitur, ut Socinus lib. 2. cap. 4. prolatiis exemplis ostendit, & Grotius hoc loco fatetur, notavitque Vatablus hoc ipso Esaiæ cap. 5. ultimo. Habet enim Sabal quoque auferendi significationem hoc eodem cap. 5. 4, ubi Christus dolores nostros dicitur bajulasie seu portasse. Accommodantur enim hæc

hæc Prophetæ verba à Matthæo cap. 8. 17 ad morbos corporis, quos Christus non sustinuit ac pertulit, sed ab hominibus abstulit, ac verbo sanavit, ut ibid. versu præced. legimus. Unde apparet, verbum *basileus*, quo Matthæus vocem Sabal exacte exprimit, ibi significare *auferre*, quam eandem vim habet Joh. 20. 15, qua de re Socinus jam monuerat, adscripto etiam in margine Tertulliani testimonio, qui lib. 4. adversus Marcionem sic scribit: *Ipse igitur est Christus Esaiæ remediator valetudinum. Hic, inquit, imbecillitates nostras auferit, & languores portat. Portare autem Græci etiam pro eo solent ponere, quod est tollere.*

Sed adversus Socini rationem excipit Grotius Partic. 45: *Neque obstat, quod hæc portatio iniquitatis apud Prophetam videtur post mortem poni: est enim revera morte posterior, non tempore, sed ordine, ut effectus causa simul existente.**

At cur Grotius illud etiam non attigit, quod Socinus addidit, & quivis, qui sine præjudicio Esaiæ verba legerit, per se animadvertit, in his verbis, quemadmodum etiam in proxime præcedentibus, exprimi laboris seu mortis Christi præmium? An enim pœnas peccatorum luere, præmium est laboris, & non ipse potius labor? An portare ac bajulare pœnas peccatorum, non est ipsum nocumentum ob peccata inflictum sustinere? Sed cur portatio ista, de qua Prophetæ, non tempore, sed ordine tantum posterior est morte Christi? Verba Prophetæ sunt: *Propter laborem anima sua videbit, saturabitur; in scientia sui justificabit justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.* An non ea, quæ portationem illam proxime antecedunt, & laboris Christi effecta constituuntur, mortem Christi tempore sunt consequuta, & per tot secula adhuc fiunt? At quid absurdius est, quam his enumeratis, tum demum cum mortis Christi, ut Grotius vult, effectum subicere, quod luiturus sit pœnas multorum, qui ceteros, quos Prophetæ jam expresserat, tempore antecessisset, & nedum ut hodie adhuc daret, quemadmodum isti, una cum morte Christi cessasset? Quid? an non quivis perspicit, hunc versiculum esse tantum uberiores superioris explanationem, & utriusque membra sibi mutuo respondere? Quod enim antea dixerat: *si posuerit animam suam hostiam pro delicto, videbit semen, prolongabit dies, & voluntas Domini in manu ejus prospere cedit;* id nunc dicit: *propter laborem anima sua videbit, &c.* Quemadmodum ergo verbis, *si posuerit animam suam hostiam pro delicto,* respondent ista: *propter laborem anima sua;* & illis, *videbit semen, prolongabit dies,* ista *videbit, saturabitur;* ita illis, *& voluntas Domini in manu ejus prospere cedit,* respondent hæc, *in scientia sui justificabit servus meus justus multos, & iniquitates eorum bajulabit.* His enim duabus rebus voluntas Domini de salute nostra perficitur, cum nos Christus cognitione sui ipsius in eum statum deducit, ut justii coram Deo habeamur, ac deinde peccatorum

* Ita habetur in duabus quas primo vidimus editionibus libri Grotiani. In ea, quæ indice quodam locupleta est, alia hic proponitur objectio, & ad eam respondetur: illud Socini argumentum, quod hic aliquo modo commemoratur, ibi non attingitur. Quare ad ea, quæ istuc dicuntur, respondere nihil attinet.

nostrorum pœnam, quæ est mors æterna, re ipsa à nobis auferit, quod fiet, cum nos ex mortuis resuscitatos æterna vita donabit; quam Dei voluntatem Joh. 6. 39, 40 expressam esse supra monuimus. Adde quod verba *Propter laborem anima sua*, causam antecedentem sive efficientem, & quidem impulsivam significant. Est enim vox *Propter* in Hebræo *Min*, quam Grotius supra pag. 4, cum ageret de verbis vers. 4 hujus ejusd. capituli Esaiæ, causam antecedentem impulsivam significare statuit. At quomodo quæso mors seu labor Christi est causa antecedens idque impulsiva ejus, quod is pœnas luerit pro peccatis multorum, siquidem mors illa ipsa pœna fuit? Neque enim hic rationis discrimen sufficit, sed rem esse diversam necesse est. Quod si Grotius per portationem iniquitatis intelligit tantam relationem quandam morti adhærentem, quæ pœnæ sit forma; nihil proficit inutiles, hoc quidem loco, subtilitate. Nam portare pœnas iniquitatis non significat quandam tantum relationem afflictioni adhærentem, sed est, ipsam afflictionem seu nocumentum sustinere, cui relatio ista adhæret. Adde quod mors vix dici possit efficiens istius relationis causa, impulsiva nullo modo: sed ejus est subjectum ac fundamentum quoddam, quod ad materiam reduci solet. Præterea Prophetæ relationem mortis Christi ad peccata nostra, quam Grotius fortasse formam pœnæ constituit, non sejunxit à verbis *propter laborem anima sua*, nec inter ea, quæ laborem istum sunt consequuta, (quacunque tandem ratione hoc accipias, sive de tempore, sive de ordine) reposuit. Hæc enim verba, ut antea dictum, respondent illis versiculi præcedentis: *si posuerit animam suam delictum;* ubi relatio illa, quæ pœnam ex Grotii mente veram constituit, cum passione, cujus causa Christus præmio esset afficiendus, conjungitur, non vero inter ejus consequentia reponitur.

Sed alii adhuc responsioni Socini ad Esaiæ, imo etiam ad Petri locum, occurrit Grotius Partic. 46, dum subicit: *Quod vero ait Socinus, hanc quoque vocem Sabal, peccato adjunctam, non semper includere imputationem aliquam, sed satis esse, si designet affligi quempiam occasione qualicunque facti alieni, id nullo exemplo probat: neque unquam Sacra Scriptura ita loquitur. Imo Græci etiam Latinique autores, cum ea phrasi utuntur, semper imputationem includunt.*

Socinus, si quis recte attendat, in ipsa exceptione sua nullam imputationis facit mentionem, quam postea demum occasione loci, quem ad exceptionem suam confirmandam adduxerat, commemorat: ideo nec vocem *qualiscunque* addit occasionis nomini, ut facit Grotius ad imputationem tanto apertius removendam. Rectius quoque fecisset Grotius, si in sententia Socini exponenda dixisset, vocem *Sabal* adjunctam peccato *alieno* (nam de hoc est sermo) interdum significare occasione facti alieni affligi. Dictum autem suum Socinus exemplis è quotidiano usu petitis comprobavit, de quibus nos nonnihil superius. Hoc pacto phrasin *pro alicujus peccatis supplicium sufferendi*; quæ adhuc est significantior, usurpasse videtur Pater apud Comicum, dum ait: *Sed quid ego? cur me excrucio? cur me macero? cur meam senectutem hujus sollicito amentia? an ut pro*

hujus peccatis ego supplicium sufferam? quasi supplicium pro filii sui peccatis fuisset laturus, si se ob ejus amentiam macerare perrexisset. De Sacrae Scripturae usu & antea diximus, & in sequentibus iterum acturi sumus. De Graecis & Latinis auctoribus, qui phrasi *bajulare* aut *portare peccatum* utantur, itidem antea diximus.

Subjicit Grotius Partic. 47: *Citat firmandae huic exceptioni Socinus Jeremiae locum Thren. 5. 7, qui sic habet: Patres nostri peccaverunt, & non supersunt: nos vero poenas eorum ferimus.*

Sed non debuit Grotius ex sua sententia pro voce *iniquitatis*, quae est apud Prophetam, reponere poenas, & lectori Hebraeae linguae imperito iudicium de phrasi *portare iniquitatem*, hac sua versione quodammodo eripere; praesertim cum hunc locum tanquam à Socino pro se adductum citet.

Pergit Grotius Partic. 48: *Neque hic patitur (Socinus) ullam imputationem intelligi. At quo argumento probat, aliud hic significare eam phrasin, quam aliis omnibus in locis?*

Non omnibus in locis, ubi extat haec phrasis, id significare, quod vult Grotius, ostensum est. Argumentum Socini, quo probat, hoc Jeremiae loco imputationem non intelligi, ab eo his verbis explicatum est: quia Deus nunquam soleat liberis imputare peccata parentum, nisi illi patrum vestigia sequantur Ezech. 18. 20, quod hoc loco tacite commemorare, quamvis paulo inferius populum peccasse fateatur, ei, quod animo intendebat Jeremias, vehementer adversatum fuisset. Deum enim illis verbis ad misericordiam flectere curabat. Sumit autem pro concessio Socinus, Deo in his Prophetae verbis injustitiae crimen non objici. Negat quidem Grotius, à Prophetae instituto alienum esse id, quod Socinus alienum esse dixerat, sed ad ejus probationem non respondet, quae est, quod Jeremias hoc pacto tacite passurus fuisset, populum scelera parentum imitando poenas tam graves esse commeritum, & proinde justissime tanta mala pati: cum tamen Propheta his verbis, culpam quidem in parentes transferendo, populo vero mala ex delictis paternis orta tribuendo, Deum ad misericordiam flectere, & ad auferendum tantorum malorum onus impellere curet. Quare, nisi quis dicere velit, injustitiam hic Deo à Propheta objici, necesse est, ut statuatur, Jeremiam hoc tantum voluisse, Israëlitae occasione iniquitatum à parentibus admissarum non leve damnum perpeffos, vel, ea pertulisse, quae justius patribus perferenda potuissent imponi, nulla interim imputationis alienorum delictorum habita ratione, licet alias, si rem ipsam, non mentem istorum verborum respicias, populo delicta paterna imputata fuisse dici queant. Quae Grotius de istorum verborum sententia subjungit, quia nulla ratione comprobantur, responsione non egent.

Pergit Grotius Partic. 49: *Etiam si vero ambigua esset harum vocum ferre peccata, in Sacris Literis significatio, tamen tum hoc Esaia, tum isto Petri loco certam faceret interpretationem adjuncta mentio perpeffionum Christi & liberationis nostrae. Peccata enim ferre patiundo, atque ita ut liberentur alii, aliud indicare non potest, quam poena alienae susceptionem.*

At si concedatur, *ferre peccata* esse ambiguum, & nonnunquam ablationem peccatorum significare; si item constet, eum, de quo verba ista efferuntur, peccata abstulisse perpeffione interveniente, ut in nostro hoc negotio accidit; cur adjuncta perpeffionis & liberationis mentio, verbis illis vim ablationem peccatorum significandi adimat, & poenae alienae susceptionem iis omnino indicari evincat? Quamquam in verbis Esaiae ac Petri, si liberationis nostri fit mentio, ut hic ipsemet Grotius indicat, ea non adjungitur phrasi *ferre peccatum*, sed ea ipsa exprimitur. Quod si concedatur, confirmabitur nostra eorum verborum interpretatio. Si dixerit Grotius, ideo adjunctam perpeffionum Christi & liberationis nostrae mentionem arguere, phrasin istam alienae poenae susceptionem significare, quia nullus alius sit modus, quo quis patiundo possit alterum à poena liberare; quantum in eo fallatur, ex iis constare potest, quae de vi mortis Christi in salutis nostrae negotio differuimus. Quid? an imperator, exercitus, magistratus multa pati non possunt, ne populus, pro quo bellum gerunt, aut quem regunt, delicti alicujus, quod admiserit, dec poenas, etiam si populi illius poenam in se revera non suscipiant? Adde, quod in loco Esaiae non ipsi passioni, sed ei, quod passionem est consequutum, portatio seu ablatio peccatorum proxime adscribi intelligitur. At poena in ipsa passione est. In loco Petri vox *peccati* de ipsis vitiis intelligi potest, nec opus est eam de poenis omnino accipere: nec simpliciter ibi scriptum est *ἡμεῖς tulit*, sed *ἀνέθηκεν*, additis verbis *in lignum*, quod ablationem peccatorum indicare, supra docuimus.

Accedit ad alium Esaiae locum Grotius Partic. 50, qui extat eod. cap. 53. v. 6, & 7, quem ita citat: *Deus conjecit sive impegit in eum poenam omnium nostrum. Exigitur & ipse affligitur.*

Sed hic Grotius iterum pro voce *iniquitatis*, quae est apud Prophetam, seu *peccati*, quam ipse Grotius infra in verbis Prophetae interpretandis adhibet, repositum *poenam*, atque ita viam sensui, quem genuinum esse mox videbimus, quantum in se fuit, praecludit. In eo etiam causae suae serviit, dum verbum, quod, ipso teste, proprie significat *occurrere fecit*, convertit *conjecit* sive *impegit*, ut Propheta de poenarum inflictione tanto magis videretur loqui. Praeterea in eo à Theologorum ac interpretum prope omnium sententia discessit, dum verbum Hebraeum *Niggas* ad peccatum seu iniquitatem retulit, & vertit *exigitur*, quod illi ad Christum retulerunt, & alia aliqua ratione sunt interpretati. Quod ideo minus est in Grotio ferendum, quod non tantum sine justa causa, sed etiam, ut postea docebimus, contrarium suadente rei veritate, à recepta aliorum interpretatione, qui satisfactionem non minus quam ipse urserunt, recessit, idque ad urgendum eum, qui satisfactionem istam non agnoscit; & Socino, ut statim audiemus, objicit, quod novam priorum hujus loci verborum interpretationem comminiscatur, qui tamen ad excipiendum tantum, & quidem non levem sequutus rationem, quam Grotius non attigit, eam versionem attulit.

Subjicit Grotius Partic. 51: *Hic nullum non lapidem movet Socinus, ut genuinum sensum verbis extorqueat:*

NOVAM-

namque interpretationem comminiscitur: Deus occurrit per ipsum (vel cum ipso) iniquitati omnium nostrum.

Non Socinum, sed Grotium potius genuinum verbum sensum ire extortum, eorum collatio cum loco Petri 1 Ep. 2. 24, 25, quam Socinus etiam instituit, docebit. Cum enim Petrus præcedentia Prophetæ verba, eorumve sensum hoc modo exprefisset: *cujus vibice sanati estis. Eratis enim ut oves errantes*: (quibus posterioribus verbis totum id complectitur, quod paulo fufius dixerat Prophetæ: *Nos omnes tanquam ovis erravimus, unusquisque in viam suam declinavit*;) loco ejus, quod Prophetæ subjicit in verbis controvertis, ipse, dictum Prophetæ nobis aliqua ratione explicaturus, subjungit: *sed conversi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum*, q. d. vos antea instar ovium, quæ pastore ac grege forte deserto, palantes errant, ac diversas, quæ cuique occurrit, vias sequuntur, ad pastorem non redituræ, nisi quis reducat, ipsi quoque variis peccatorum erroribus circumagebamini, quique eam, quæ sibi allubesceret, viam sequebatur. At nunc Deus Christo in mortem tradito, erroribus ac peccatis vestris occurrit, vosque à prius vivendi ratione abstractos ad fidelem animarum vestrarum pastorem adduxit, sub cuius tutela à luporum laniationibus, quibus antea eratis expositi, ab ipsoque interitu tuti sitis. Hic vero sensus verbis Prophetæ, si Grotii interpretationem & sententiam sequaris, accommodari non poterit: at si Socini versionem ac sententiam sequaris, omnia optime quadrabunt. Et hæc fuit causa, cur Socinus, licet eam quoque interpretationem afferat & explicet, quam ipse Grotius inferius adscripsit, *Dominus occurrere fecit ei iniquitates omnium nostrum*, priorem tamen illam prætulit.

Sed reclamat aperte, inquit Grotius Partic. 52, vox Hebræa *Hiphgiah*, ejus conjugationis quæ non unam, sed duplicem actionem significat. Quare cum *Pagah* proprie significet occurrere, sequitur, ut *Hiphgiah* sit fecit occurrere, & per metaphoram deprecatus est: quia deprecator preces suas quasi interponit.

Sed ex his ipsis poterat Grotius responsionem ad argumentum suum petere. Nam si hoc verbum interdum significat *deprecatus est*, ut sit ult. hujus capituli versu, idque cum unam revera tantum notet actionem, ita tamen explicari potest, ut duplex videatur involvi: cur non idem in ea significatione, quæ Socino probatur, fieri queat? Cum enim dicitur, Deum occurrere in Christo nostris iniquitatibus, id perinde potest accipi, ac si dictum esset, Deum obstacula & impedimenta peccatis nostris per eundem objecisse. Ea vero sunt inprimis passionibus ipsius, & quæ eas sequutæ sunt, gloriæ. Neque vero inusitatum est, verba hujus conjugationis, cuius est *Hiphgiah*, intransitive, ut loquuntur, usurpari, & unam revera tantum actionem denotare, licet transitive quoque usurpata reperiantur. Sic *Hebhin* non raro significat intellexit: *Hikribh* appropinquavit: *Hickschibh* attendit: *Hutliach* prosperatus est seu prospere egit: *Higdil* magnus evasit, magnifice egit, aut sese extulit. Loca Sacræ Scripturæ, quia obvia sunt, non adscribimus, eaque vel è Lexicis peti possunt. Si cui libet, inspiciat ea, quæ Joh. Buxtorfius in Lexico suo de vocibus à nobis notatis scripsit. Non est autem

quod quemquam in verbis Prophetæ turbet particula Hebræa. Et, nomini *Avon* præfixa, quæ accusativi nota esse solet, cum eam pro Dativi nota in Socini versione necesse sit accipere. Fit enim idem alibi quoque in Sacris literis, quemadmodum idem notavit Buxtorfius. Vid. Levit. 13. 49. & xvi. 15. 1 Reg. 6. 31. Job. 26. 4, quod ipsemet Grotius videtur animadvertisse, qui vim istius particulæ adversus Socinum non urfit. Quod *Hiphgiah* in loco inter nos controverfo non significet *deprecatus est*, Socinus quoque docuit. Quare quæ hac de re scribit Grotius, nihil adversus ipsum.

Concludit Grotius Partic. 53: *Non ferunt ergo verba hæc alium sensum quam hunc: fecit Deus illi occurrere, hoc est impetu, incussit in illum peccatum omnium nostrum.*

Largiamur id nunc Grotio, quod nondum evicit. Quid tum? an protinus Christus nostrarum iniquitatum pœnas vere perfolvit? An non dici potest, Christo impactum & incussum fuisse peccatum nostrum, quia illius causa tam acerbam & ignominiosam mortem sustinuit, nulla interim habita ratione ejus, quod pœnas proprie dictas pertulerit?

Pergit Grotius Partic. 54, ad sequentia Prophetæ verba: *Exigitur peccatum (hoc est, secundum phrasin scripturæ pœna peccati) & ipse affligitur.*

At apud Prophetam post verbum *Niggas*, quod Grotius reddidit *exigitur*, non extat vox *peccatum*, nec quicquam cogit eam subaudire vel repetere, potestque verbum istud Hebræum commodissime ad Christum, ut quidem à plerisque fit interpretibus, referri, & verti *opprimitur*, quam significationem ei alias convenire, ipse Grotius infra fatetur. Sed præterea res ipsa sententiam hanc, quam interpretatio Grotii postulare videtur, non admittit. Cum enim Deus peccata nobis remittere tunc vellet, & hunc in finem Christum in mortem traderet, quomodo potuit eodem tempore peccatorum eorundem pœnas exigere? Exigere enim aliquid, sive ab ipso debitore, sive ab alio, ejus nomine, & idem remittere, se invicem evertunt. Quod si id velis accipere tanquam per similitudinem dictum, quia perinde fuerit actum, ac si peccati pœna, ipso oppresso, fuisset exacta; nihil id adversus Socinum, qui similitudinem hanc agnoscit.

Sed negat infra Grotius Partic. 55, opprimendi significationem hic habere locum: *Quia sequitur, inquit, in eodem commate vehu, & ipse affligitur: unde apparet hoc verbum referri ad aliud nomen, quam ad illud cui aptatur vox affligitur. Nullus enim erit sensus, si quis de eodem dicat: opprimitur & ipse affligitur.*

At ne longius abeamus, infra hoc ipso capite v. ult. de eodem Christo dicitur: effudit in mortem animam suam, & cum pravaricatoribus numeratus est, & ipse (vehu) peccatum multorum tulit. An ideo, quia intercedit *vehu*, & ipse, nullus hic erit sensus, aut verba priora ad aliud nomen erunt referenda, quam ad illud, cui aptantur voces *peccatum multorum tulit*? Similem loquendi rationem deprehendes Luc. 1. 17. & xvii. 13. xix. 2. Quare etiam si res ipsa Grotii interpretationem admitteret; nulla tamen erat causa, cur à cæterorum prope omnium sententia hic discederet: præsertim cum verbum Hebræum in ea conjugatione,

in qua hic ponitur, *opprimendi* significationem sæpe habeat, & ad personam non ad rem referri soleat: eo vero modo usurpatum, quo vult Grotius, deprehendere nondum licuit. Atque ex his jam apparet, verba hæc Prophetæ Grotii causam nihil juvare. Opprimi enim potuit Christus, etiamsi nullam pœnam lueret.

Sed redeamus ad superiora Grotii verba Partic. 56: *Objicit hic nobis Socinus locum Levit. 16. 21, 22, ubi dicuntur peccata imponi hirci expiatorio, & ipse hircus ferre peccata populi in vastam solitudinem. Arbitratur autem nihil esse manifestius, quam non posse ullo modo dici hunc hircum pœnas pro populi peccatis pertulisse: quod quo jure sibi sumat non video. Nam pœna sane generaliter sumpta etiam in bestias cadit. Quod probat locus Gen. 9. 5. Exod. 21. 28. Levit. 20. 15. Gen. 8. 21. Rom. 8. 20, quibus subjicit: Nec est quod objiciat Socinus, ἀποπομπῆς hunc hircum interim non solitum: ad peccatorum autem remissionem fusionem sanguinis sive mortem requiri. Nam hunc ipsum hircum de loco sublimi præcipitatum in deserto atque ita neci datum, etsi scriptura diserte non producit, Hebræi interpretes consentiunt: quod ut non esset, quid tamen aliud illa in vastam solitudinem abactio, quam mortem minime naturalem aut ex fame, aut ex ferarum laniationibus minabatur?*

Pœnam generaliter sumptam in bestias etiam cadere, non negamus; verum tum demum id ex Dei instituto aut voluntate fieri asserimus, cum etiam ipsæ aliqua ratione exorbitant, & à via sibi naturaliter à Deo præscripta deflectunt, seu, ut Scriptura loquitur, viam suam corrumpunt. Quo pertinent tres priores loci à Grotio adducti Gen. 9. 5. Exod. 21. 28. Levit. 20. 2. Quod si dicas, hominis peccata posse bestiis imputari, etiamsi ipsæ nil deliquerint, cum Genes. 8. 21, dicatur: *maledictam fuisse diluvio terram propter hominem*, ubi hominis solius peccatis adscribi videtur, quod terra, atque adeo animantes in ea degentes fuerint maledictioni subjectæ: sciendum est, etiam tum bestias humanæ culpæ fuisse participes, & viam suam corrupisse. Vide Genes. 6. 12, 13, & eum locum confer cum vers. 7, & 17, ejusdem cap. Culpa quidem potissimum fuit penes hominem, qui si eo improbitatis ac contumaciæ non fuisset progressus, diluvium terris non fuisset inductum: sed tamen penes hominem solum culpa non fuit. Quod si quis nihilominus contendat, bestias, saltem aliquas, tum plane fuisse insontes, ei non erit concedendum, illas revera punitas, sed tantum occasione peccatorum ab hominibus admissorum afflictas ac peremtas: quemadmodum etiam v. g. Ninivæ accidisset, si Deus pœnam, quam fuerat comminatus, reipsa inflixisset, ut præter rem ipsam docet locus Jonæ 4. v. ult. At ex eodem etiam loco constat, Deum ipsas bestias, sicut & infantes, punire, & in illis aliena delicta vindicare noluisse. Itaque calamitas ista non tam ex Dei consilio, quam reipsa ita ferente illis accidisset. Si quis plura de hoc argumento desiderat, videat Disput. Socini cum Franc. Puccio cap. 6. pag. 157 & seqq. Locus Rom. 8. 20, ubi de Creatura sermo est, ad bestias nullo modo pertinet, ut ex iis, quæ de creatura ista dicit Apostolus, manifestum est. Quid, quæso, absur-

dus foret, quam dicere: Anxiam expectationem bestiarum, hircorum v. g. aut boum, revelationem filiorum Dei expectare, & eas liberatum iri à servitute corruptionis in libertatem filiorum Dei &c. An non res ipsa loquitur, de nova creatura, hoc est, de Christianis, qui variis calamitatibus pressi suspirant ad libertatem illam, quæ filios Dei manet, hoc est, ad incorruptionem & immortalitatem, sermonem esse? Consideretur occasio, & initium hujus sermonis Apostolici, quod est vers. 17, 18, cum quibus cætera per particulam *enim*, quæ istorum rationem afferri docet, connectuntur. Hoc pacto omnia erunt planissima, modo animadvertas, vs. 23, per eos, *qui primitias spiritus habent*, non omnes in universum Christianos esse intelligendos, sed eos tantum, qui spiritus divini priores ac potiores, ut ita loquar, partes acceperunt, & eo præ cæteris donati fuerunt: quales erant Apostoli, & iis donorum Spiritus Sancti copia proximi, Prophetæ, aliqui insignes in Ecclesia viri. Vult enim dicere Paulus: non vulgares tantum Christianos, malorum pondere pressos, ad futuram felicitatem, & liberationem à tot calamitatibus suspirare, sed etiam Christianorum præstantissimos. Qua de re Socinus copiose egit in ead. Disp. adversus Puccium dicti loco.

Ex his jam patere potest, etiamsi tandem hircus ille emissarius fuisset occisus, eum tamen pœnas proprie dictas non fuisse laturum, cum non fuerit ad eam rem adhibitus, aut à Deo requisitus hircus ejusmodi, qui viam suam aliquo modo corrupisset: imo is in hunc usum haudquaquam debuisset adhiberi. Quamquam alias etiam res ipsa satis est clara. Nam quæ hæc fuisset pœna, quæ vindicta, si unicus hircus, cui adde alterum, cujus sanguis in sancta inferebatur, alias quoque tandem mactandus, pro omnibus universi populi peccatis morte debuisset supplicium persolvere? Omnes enim iniquitates filiorum Israël, omniaque peccata capite suo imposita dicebatur in desertum ferre. An non istiusmodi pœna prorsus fuisset ridicula, & Deo indigna? Adde quod, ut supra monuimus, hircus ille non dicatur *in deserto tulisse peccata populi*, quod tamen dicendum fuisset, si in deserto supplicium aliquod luisset, idque sacræ literæ verbis inter nos controversis exprimere voluissent: sed dicitur, *eum tulisse peccata in desertum*. At eundo in desertum supplicium non sustinuit, istud præsertim, de quo Grotius loquitur. Præterea si hircus ille supplicium pro peccatis populi morte debuisset luere, eaque res ad expiationem peccatorum ita pertinuisset, ut sanguinis fusio, de qua Hebr. 9. 22, qui potuisset fieri, ut Moses, qui totam hanc sacrificii anniversarii cerimoniam Dei jussu tam copiose & accurate præscripsit, id reticeret, in quo maxima ejus cerimoniarum, quæ circa hircum ἀποπομπῆς peragebatur, vis fuisset sita? An non inde manifestissime patet, hircum istum haudquaquam fuisse occisum, vel saltem id ex divino instituto non esse factum, nec ad expiationem peccatorum ullo modo pertinuisse, ac proinde Deum nullam ab eo hirci pro populi peccatis pœnam exegisse? Quid Hebræorum interpretum auctoritati hac in re sit tribuendum, facile docebunt aliæ eorundem fabulæ, quas de eadem hirci emissarii cerimoniam confinxerunt,

sunt, quas videre licet apud Petrum Cunctum lib. 2, de Repub. Hebr. cap. 6. Dissentire ab illis videtur Josephus, qui aliam quandam de isto hirco sententiam tradit. Vid. l. 3. Antiq. Jud. cap. 10, secundum Gelenii. Quicquid sit, alia potuit hujus rei, si admitti debet, apud gentem præsertim superstitionem, esse causa. Nonne vel ideo id fieri poterat, ne, si forte superstes maneret, & aliquando rediret, id ominosum esset? ablationem enim & asportationem peccatorum populi figurabat, quæ rediens referre videretur. Vix jam opus est respondere ad id, quod Grotius ait: etiamsi neci non fuisset datus, abactionem tamen in vastam solitudinem mortem minime naturalem minari. Aliud enim est minari mortem minime naturalem, aliud reipsa perimere, & poenas pro universis populi peccatis infligere. Potuisset enim nihilominus eam mortem effugere, quæ domi multo magis ipsi fuisset metuenda. De fame quod ait, frivolum videtur. Quasi enim in vasta illa solitudine, ut cæteræ bestię, pabulum non fuisset reperturus, aut aliqua ratione constet, cum in talem solitudinem ablegari solitum, quæ pabulo careret. Ac præterea, etiamsi fame periisset, non tamen sanguinis facta fuisset profusio, quæ ad expiationem peccatorum requirebatur d. l. Heb. 9. 22, & Levit. 17. 11.

Pergit Grotius Partic. 57: *Præcesserat apud eundem Prophetam, Castigatio pacis nostræ imponitur ei, & livore ejus sit curatio nobis. In Hebræo, castigatio dicitur Musar, quæ vox afflictionem non qualemcumque significat, sed eam quæ poenæ habeat rationem, sive sit נאכר, sive נאכר &c. Cum vero נאכר significatio in Christo locum non habeat, præsertim cum de afflictionibus agatur mortem includentibus, restat afflictionem intelligamus, quæ conjunctam habeat נאכר. Nam ab omni culpæ respectu sepositum vocis usum non est reperire.*

Si hoc tantum vult Grotius, ut ultima hæc ipsius verba videntur indicare, afflictionem hic eam intelligi, quæ aliquem ad culpam, nempe nostram, respectum habeat, idque ad poenæ rationem putat sufficere; nihil contra sententiam nostram hæc ipsius facit argumentatio. Istiusmodi enim mortis Christi ad peccata nostra respectum nos ultro agnoscimus. Quod si vero ejusmodi respectum ad culpam intelligit Grotius, qui imputationem illius culpæ includat; videat, ne quis eadem ratione, qua ipse urget, non reperiri usum hujus vocis sine tali ad culpam respectu, urgeat etiam, non reperiri usum hujus vocis sine respectu ad propriam culpam ejus, qui castigari dicitur. Nec facilius erit Grotio dissimile exemplum asserere, si id verum est quod asserit, quam nobis. Vis certe ac proprietas vocis non magis id postulat, quod vult Grotius, quam istud. Is enim proprie dicitur castigari, qui ideo affligitur, ut à peccando desistat, & in posterum sese emendet. Quod si ergo hoc, in nostro negotio non agnoscit Grotius, ne illud etiam urgeat. Verum enim vero nil videtur prohibere, quominus vox *Castigationis* per metonymiam, quam Socinus explicuit, vel, si mavis, metaphoram, simpliciter accipiat pro Afflictione. Quia enim, qui castigantur, ii cæduntur & affliguntur; ideo qui cæduntur & affliguntur, castigari dici possunt; quia scilicet eodem modo tractentur, quo

illi, qui proprie castigantur. Sic Paulus afflictiones suas, quas Christi causa perfererat, castigationi comparat, vel potius castigationis nomine effert, sine ullo ad culpam sive propriam sive alienam respectu, dum ait: *ut qui castigamur, & morti non tradimur* 2 Cor. 6. 9, quamquam ut ipsius verba indicant, eo inprimis respexit, quod afflictiones istæ ad mortem usque nondum essent progressæ, ut in castigationibus contingit. Socinus illi rei illustrandæ adduxit locum Psal. 73. 14, ubi viri docti *inreparationem* seu *castigationem*, suadentibus loci circumstantiis, pro afflictione simpliciter positam scripserunt. Quo loco in Hebræo vox est ejusmodi, quæ nomini *Musar* plane respondet, præsertim cum de increpatione, quæ non verbis sed reipsa fiat, accipitur, ut hic contingit. Hac ratione si accipias Castigationis vocem apud Esaiam, sensus erit: Flagella & afflictiones Christi (pro quibus postea livorem inde ortum Propheta reponit) causam fuisse, ut nos veram felicitatem & quietem consequeremur. Quo sensu admissio aptior est oppositio inter Castigationem Christi & Pacem nostram, quæ in his Prophetæ verbis commemoratur. Pax enim nostra, bonum, quietem, felicitatemque nostram simpliciter ac generatim significat, nec certam aliquam boni speciem vi sua menti subjicit. Sic pax quarundam gentium, & earundem bonum pro eodem ponuntur Esdr. 9. 12. At bono, quieti ac felicitati simpliciter sumtæ rectius opponitur afflictio aut malum generatim, quam speciatim punitio, quemadmodum etiam videmus fieri Hier. 29. 11, ubi inter se opponuntur *pax & afflictio* seu *malum*; quem locum Socinus in margine libri sui notarat. Sed demus Grotio, Castigationis nomen omnino esse accipendum specialius, nec quicquam obstare voces *pacis nostræ*: an protinus vox Castigationis proprie fuerit accipienda? Non id vult Grotius, qui poenam נאכר, seu ad emendationem ejus, qui affligitur, comparatam, hic intelligendam esse, ipsa recogente, negat. At Castigatio proprie dicta nil est aliud quam poena נאכר. Quid ergo? Paradigma seu exemplum vult significari Grotius. Quo pacto id concedi possit, mox videbimus. Interim dicimus, siquidem à proprietate vocis hic omnino est discedendum, & ea intelligenda afflictio, quæ Castigationi sit similis, nil prohibere, quominus ea sumatur afflictio, quæ ad alienam, hoc est, nostram emendationem fuerit comparata. Ea enim & Castigatio eleganter dici potest, cum Castigationi sit similima, & si vox Pacis non obstat, loco est valde consentanea, ac præterea ad eundem finem spectat, ad quem paradigma, quod hic intelligi vult Grotius. Hoc enim ad licentiam comparandam, & mores aliorum corrigendos revera pertinet. Hac significatione admissa, elegans quædam Prophetæ verbis suberit argutia, quam tum hic tum alibi libenter sectatur. Nam cum alias ii ipsi, qui ad frugem sunt revocandi, cædi & affligi ob peccata sua soleant, ut ab iis desistant, Deus (ut ista fert interpretatio) hic aliam nos à peccatis revocandi, & sic felices efficiendi rationem iniit. Non enim nos ipsos, qui peccaveramus, sed Christum innocentissimum ob peccata nostra flagellis subiecit, ut nos ejus plagis emendati, supremam felicitatem consequeremur, ejusque livore, hoc pacto, saneremur.

Verba enim ista, quæ statim subjicit Propheta, & eandem cum præcedentibus sententiam continent, *ipsius livore sanati sumus*, de conversione nostra ad Christum emendationeque vitæ nostræ, ex qua felicitas vera consequitur, intelligenda esse, superius docuimus. Ex quibus illud quoque patet, poenam *ᾧ ἡμεῖς ἠμεῖς* hic revera locum non habere, cum in ea non bonum illorum, qui deliquerunt, præsertim primo ac potissimum quærat, sed bonum aliorum; & ipsi fontes nocumentum atque acerbiteriam supplicii tunc sentire debeant. Nam in poena *ᾧ ἡμεῖς ἠμεῖς* id spectatur, ut cæteri, animadvertentes, quam male tractentur illi, qui deliquerunt, à delictis sibi caveant, veriti ne eandem poenam incurrant. At in castigatione Christo imposita longe aliter accidit. Nam nec nos ipsi qui peccaveramus, eam sensimus, & per eam pax ac felicitas nostra, animarumque nostrarum sanitas à Deo quæsitæ fuit. Sed demus, ad *ᾧ ἡμεῖς ἠμεῖς* potius respexisse Prophetam, quam ad *ῥησέω*: an proinde poena proprie dicta fuit mors Christi? haudquaquam. Nam vel propterea mors Christi *ᾧ ἡμεῖς ἠμεῖς* dici potest, quia ex ea perspicitur, quam severe Deus sit ultor: homines impios & contumaces; idque duplici ratione. Primum si consideres tum acerbiteriam afflictionis, quam Christus sustinuit, tum ejusdem innocentiam ac sanctitatem, summamque cum Deo, cujus filius erat, conjunctionem. Nam si Deus Christo, licet innocentissimo atque sanctissimo, unigenitoque suo filio, quo nihil illi erat neque in cælo neque in terra charius, non pepercit, sed tam diræ tamque ignominiosæ morti eum subjecit: quanta censemus, quamque acerba supplicia Deum sumturum de hominibus impiis, & nefarium cum ipso bellum per summam contumaciam gerentibus? Huc respexit ipse Christus apud Lucam cap. 23. 31: ubi, cum poenas Hierosolymitanis resipiscere nesciis non obscure denunciasset ac prædixisset, ejusmodi subjungit argumentum: *quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* q. d. Si Deus mihi, licet innocentissimo, tam gravia imponit mala: quanta quamque acerba imponet nocentissimis, & in impietate contumaciter perseverantibus? Ubi satis liquet, mortem Christi in exemplum severitatis, qua Deus adversus peccatores resipiscere nolentes sit ultor, trahi, nulla habita ratione ejus, quod ea veram poenæ rationem habuerit, aut quod Christo peccata aliena fuerint imputata. Nam præterquam quod mulieres, quas alloquebatur Christus, id haud fuissent percepturæ; non recte etiam argumentatus fuisset Christus, si aliena, hoc est, omnia totius mundi peccata sibi à Deo fuisse imputata, & eorum poenam à se exactam, intelligi voluisset. Neque enim sequitur: si is tam gravia patitur, cui uni omnia totius mundi peccata sunt imputata, eorumque poenæ impositæ; multo acerbiora passuros illos, qui ob sua scelera puniuntur, nec majora, quam ipsimet sunt commeriti, supplicia luunt: imo illum, cui universa totius humani generis peccata sunt imputata, infinitis partibus graviore poenæ laturum, est verisimile. Imitatus est hanc Christi argumentationem Petrus, qui afflictiones Christianorum, quas ideo perferunt, quia Christiani sint, & ob quas non eru-

bescere, sed laudare Deum debeant, seque beatos judicare, itidem in exemplum severissimi Dei adversus impios iudicii trahit, & ut comparisonem inter illas & supplicia de impiis sumenda tanto elegantius instituat, eas *iudicii* nomine complectitur, quod cum de afflictionibus in Sacris Literis usurpatur, non nisi de veris poenis ac suppliciis accipi solet. Nam postquam dixisset 1 Petr. 4. 16, 17, 18: *Si autem ut Christianus [quispiam vestrum patitur,] ne erubescas, sed glorificet Deum in parte hac;* subjicit: *quia tempus [est] ut incipiat iudicium à domo Dei. Si autem primum à vobis, quis finis [erit] eorum, qui non parent Dei Evangelio? Et si justus vix servatur, impius & peccator ubi comparebit?* Quo loco itidem ratio tantummodo habetur innocentiae seu justitiae Christianorum, & acerbiteriam afflictionum, quibus à Deo subjiuntur. Restat alter modus, quo ex morte Christi perspicere potest, quam graviter Deus sit puniturus homines impios atque in peccatis perseverantes. Is vero est, ut consideres causam, ob quam Deus Christum charissimum atque innocentissimum suum filium in mortem tradidit, nempe peccata nostra. Hinc enim manifestissime apparet summum Dei adversus peccata odium; siquidem Deus, ut ab illis nos penitus abstraheret, unigenito suo filio non pepercit. Ex quo facile est intelligere, gravissimas poenas manere eos, qui in peccatis perseverant, & nec tantis pietatis propositis præmiis, nec tanta erga se Dei charitate ab iis se abduci patiuntur. Et hæc, quæ hæcenus differuimus de ratione, qua ex morte Christi exemplum severitatis divinæ adversus peccatores duci queat, iis adjici volumus, quæ ab initio hujus disputationis de vi mortis Christi in nobis ab impietate avocandis diximus, quæ, simul præsertim juncta, totum id abunde præstant quod poena *ᾧ ἡμεῖς ἠμεῖς* ex Grotii sententia fuisset præstitura, imo longe melius atque efficacius, quam poena proprie dicta præstare potuisset. Quod si ea Grotius ad poenam *ᾧ ἡμεῖς ἠμεῖς* proprie sic dictam sufficere arbitratur, habet in sententia nostra id, quod quærit. Sin secus censet, videre jam potest, ejusmodi poena non fuisse opus, nec locum hic ei ullum fuisse, tum propter causas dictas, tum propterea, quod afflictiones Christi abunde fuerint à Deo compensatæ, ita ut earum acerbitas magnitudine præmii obruta censi debeat, id quod in paradigmatica poena nequaquam contingit.

Verum quia Socinus inter alia, quæ de hoc loco scripsit, dixerat, Pacis nomine in Prophetæ verbis non intelligi reconciliationem amicitiae cum aliquo, hoc usus argumento: *quia nulla ibi fiat mentio alicujus inimici, sed tantummodo Pacis nostræ;* ita excipit Grotius Partic. 58: *Nihil vetat pacis nomine reconciliationem intelligi, etiam nulla facta inimicitia mentione, quam præcessisse res ipsa & sequentia Prophetæ verba satis indicant.* Sed primum Socini mentem, & vim argumenti, quo is fuerat usus, non expressit Grotius. Nam præterquam, quod posteriora Socini verba: *tantummodo pacis nostræ mentionem ibi fieri,* in quibus aliqua vis est ad argumentum pertinens, omisit; vocem etiam *inimicitia* pro *inimici* male reposuit. Hæc enim verborum Socini mens est: nullam in Prophetæ verbis factam esse mentionem personæ alicujus, quæ nobis antea fuerit inimica, & cum qua pax & con-

& concordia fuerit constituta, sed tantummodo *Nostram* pacem commemorari; cum tamen non tantum *Nostri*, quibus pax obtigerit, sed etiam illius, cum quo pax coaluerit, facienda fuisset mentio, si ibi *Pacis* nomine reconciliatio amicitiae cum aliquo facta intelligi deberet. Deinde si Grotius, ut quidem videtur, per inimicitiam intelligit odium alicujus adversus nos, odium, inquam, Dei, quem sceleribus nostris offenderamus; negamus rem ipsam & sequentia Prophetæ verba indicare, talem inimicitiam ita præcessisse, ut morte Christi demum fuerit sublata. Imo ex re ipsa, & Prophetæ verbis satis apparet, Deum ante passionem Christi, odium, quod in ipso fuerit adversus nos, sponte deposuisse, & nos insigniter amasse, cum, ut nostræ emendationi ac supremæ felicitati consuleret, charissimum suum filium tantis malis ultro subjecerit.

Ex dictis patet, nihil adversus Socinum facere, quæ Grotius Partic. 59, responsionem suam confirmaturus, subjungit: *nam nec inimicitiae mentionem fecerunt Angeli, cum pacem super terram promulgarunt venturam* Luc. 2. 14, *nec Apostolus, cum pacem nos dixit habere apud Deum* Rom. 5. 1. Socinus enim, ut ostendimus, non de inimicitia, sed inimico est loquutus. Quod si dicat Grotius, ne inimici quidem apud Lucam factam esse mentionem, cum tamen ibi pacis nomine reconciliatio sit intelligenda; dicimus primum, nil prohibere, quominus ibi pacis vox felicitatem notet, imo id admodum esse verisimile. Deinde cum ibi nulla sit expressa mentio ullius personæ, cui pax obtigerit, non est mirum, non esse etiam factam mentionem inimici alicujus, quocum amicitia fuerit inita. At in loco Esaiæ secus accidit. Nam ibi facta est expresse mentio *Nostri*, quibus pax obtigerit. Si dicas, apud Lucam quoque notari homines, quibus ista reconciliatio obvenit, vocibus *in terra*; respondemus, nihil etiam vetare, quominus de pace inter ipsos homines per Christum constituenda ibi sit sermo, si modo admitti debet, per pacem ibi concordiam intelligi: quod si admittatur, jam nihil opus fuisse patet, cur inimici alicujus mentio adjiceretur, cum utrique inter quos pax conciliari debuerit, iisdem vocibus *in terra* comprehenderentur. Ut taceam non esse mirum, in istis tam brevibus ac concisis angelorum verbis nullam inimici factam mentionem: at in loco Esaiæ, ubi eadem res commutatis verbis sæpius effertur, omissam fuisse mentionem rei ad sententiam recte explicandam necessariæ, haudquaquam vero esse simile. Locus Rom. 5. 1 argumentationem Socini confirmat potius quam labefactat. Ibi enim expressa est persona illa, cujus odium metuere cogebarur, antequam doctrina de justificatione per fidem obtinenda per Christum esset revelata & confirmata. Deus enim commemoratur, apud quem pacem habeamus. Quamquam etiam id, quod paci huic adversabatur, satis in superioribus capp. ad quæ verba hæc Apostoli respiciunt, fuerat expressum. Pax vero illa in sensu quodam favoris divini, & securitate judiciorum ac pœnarum divinarum, quam animis nostris concipimus, consistit.

Pergit Grotius Partic. 60: *Sicut autem peccatum pro pœna usurpant Hebraei, ut præter cætera loca nunc*

allegata apparet Zach. 14. 19. & Gen. 4. 13, *ita & eum qui pœnam luit, peccatum iidem vocant, ut & Latini piaculum tum pro crimine sumunt, tum pro eo qui criminis pœnas pendit. Unde est quod hostiam piacularem pro peccato peccatum vocet Scriptura* Levit. 4. 29. & 5. 6. *Hanc ergo loquendi formulam sequens Esaias de Christo dixit: posuit peccatum animam suam: h. e. animam suam fecit peccatorum pœna obnoxiam. Nec aliter Paulus: Eum, qui peccatum non noverat, Deus peccatum fecit, ut nos simus Dei justitia in ipso* 2 Cor. 5. 21. *Apparet apud Paulum in utroque membro adjunctum sumi pro subjecto.*

Quemadmodum vox Peccati, cum ea denotatur afflictio aliqua, non semper pœnam proprie dictam significat, sed interdum afflictionem tantum ejusmodi, quæ delicti quidem alicujus occasione cuiuspiam infligatur, interim tamen pœnæ proprie dictæ rationem non habeat: ita nec tum, cum de eo effertur, qui afflictionem sustinet, & pro voce concreta peccatoris usurpatur, eum necessario significat, qui pœnam proprie dictam luit, sed etiam eum, qui occasione tantum peccati alicujus affligitur, significare potest. Quamquam ad id, ut quis peccatum, aut quod hic perinde est, peccator dici queat, ne hoc quidem omnino requiritur, ut afflictio, quam subit, delicti alicujus occasione ipsi infligatur. Satis enim est, eum ita tractari, quemadmodum peccatores tractari solent & merentur, atque adeo id perferre, quod alias pœnæ materia esse solet. Pœnæ autem materia est ipsa afflictio & nocumentum. Idem contingit in voce contraria *justitia*, quæ in loco Pauli 1 Tim. 4. 8, à Grotio citato, itidem pro voce concreta *justi* 2 Petr. 3. 13 usurpata, nomini *peccati* aperte opponitur. Ea enim, cum alias pro effectu seu præmio justitiæ usurpetur, iis quoque hic tribuitur, qui id, quod alias justitiæ effectus ac præmium esse solet, accipiunt, seu qui similiter tractantur, ut iusti tractari solent, nulla habita ratione ejus, quod id fiat occasione justitiæ ab aliquo præstitæ, vel pietatis alicujus compensandæ causa, quæ significatio hujus nominis, abstracte tamen sumti, ubique locum habet, ubi de justificatione nostra, quæ per fidem nobis contingit, sermo est, ut fit in non paucis Sacramentorum Literarum locis Rom. 1. 17. 11. 21, 22. IV. 3, 5, 6, 9, 11, 13, 22. V. 17, 19. IX. 30, 31. X. 4, 5, 6, 10. 1 Cor. 1. 30. 2 Cor. 3. 9. Gal. 2. 21. 11. 6, 21. V. 5. Unde colligendum est, idem in voce *peccati* apud Paulum loco allegato fieri, ut nimirum eum significet, qui non secus ac peccator tractetur. Eadem significatio in voce *peccatoris*, pro qua nomen *peccati* hic reponitur, reperitur 1 Reg. 1. 21, ubi ita Bathsebah ad Davidem: *& erit cum dormierit dominus meus rex cum patribus suis, & ero ego & filius meus Salomon peccatores*, id est tanquam peccatores tractabimur, seu perdemur, ut viri docti * notarunt. Licet autem eadem hæc significatio accommodari possit ad victimas piaculares, cum *peccati* nomen illis tribuitur: verisimilius tamen est, eas ideo tantum hoc nomen sortiri, quia peccati causa offerrentur, quodque ad eas præstandas homo peccato quodam obstringeretur, vel, si mavis, quia ad peccatum tollendum & reatum ejus extinguendum adhiberentur; unde vox *Chitte*, ab eo de-

* Rob. Steph.

ducta verbo, quod peccare significat, expiandi ac purgandi significationem est adepta. Quod si Sacri Scriptores in hoc negotio *peccati* nomine veram aliquam pœnam voluissent intelligi, potius nocens ipse, qui victimam de suo præstabat, quam victima, quæ pœnæ aut mulctæ cujusdam rationem habuisset, punita statui deberet, quod ne Grotius quidem facile dixerit. Intelligi jam potest, quid sit apud Esaïam, Christum posuisse animam suam *peccatum*. Significat enim, eum esse factum hostiam expiatoriam; vel, objecisse animam suam ejusmodi afflictionibus, quales peccatoribus jure imponuntur. Quo posteriori modo verba quoque 2 Cor. 5. 21 accipienda esse docuimus.

Sed responsionem Socini ad hunc Pauli locum refellere conatur Grotius, *Socinus*, inquit, *ut Paulini loci auctoritatem eludat, per vocem peccatum intelligi vult hominem pro peccatore ab hominibus habitum.*

Sed non recte Grotius Socini verbis addidit ista *ab hominibus*, & vocem *habitus*, quæ est apud Socinum, ita accepit, ac si dictum esset, *astimatus ac reputatus*; cum Socini mens sit, Christum ideo dici factum à Deo peccatum, quia Deo volente ac curante non secus ac peccator fuerit tractatus, h. e. atroci ac infami morte, tanquam pessimus homo, occisus: quemadmodum seipsum Socinus explicat. Quare Socinum non ferit Grotius, dum ait, id sine exemplo fieri; &, Deo hanc actionem adscribi, qui tamen multis modis testatam voluerit Christi innocentiam. Nam primum id, quod Socinus asserit, exemplo non carere jam ostendimus, &, ut exemplo careret, ratione certa nititur. Deinde licet Deus multis modis testatum voluerit Christi innocentiam, voluit tamen etiam ac curavit, ut is ejusmodi mortem, qualem pessimi homines merentur, sustineret. Eandem significationem etiam Esaïæ loco, de quo modo egimus, accommodari posse jam docuimus. Quamquam non est necesse, ut eodem plane modo vox *peccati* utrobique sumatur; cum nihil constet Paulum ad istum Prophetæ locum respicere, aut eandem vocis significationem servare. Recte etiam, admissa hac Socini explicatione, opponitur apud Paulum *peccatum & justitia*. Nam tractari ut peccatorem, & tractari ut justum, quorum illud voce *peccati*, hoc *justitiæ* verbo exprimitur, rectissime inter se opponuntur. Oppositio quoque inter verba: *Eum qui peccatum non noverat*, & illa, *Deus peccatum fecit*, optime constat, estque hujusmodi: eum, qui non fuerat meritis, ut tanquam peccator ac divinæ Legis transgressor tractaretur, nihilominus tamen ita fuisse tractatum. Istiusmodi enim mortis genus, Deo ita volente, sustinuit, quod sub Lege erat execrabile, & non nisi illis ex Dei mandato infligebatur, qui in ipsius Legem graviter deliquissent, quemadmodum in sequentis loci examinatione videbimus. Itaque etiam ex Socini mente, plena est oppositio inter innocentiam Christi, respectu divinæ Legis, & id, quod peccati nomine designatur. Simili modo, Paulum quodammodo secutus, recte inter se opponeres, nos, qui eramus injusti, justitiam Dei fieri, h. e. nos, qui in divinam Legem gravissime peccaveramus, nihilominus ita à Deo tractari, ac si

nihil unquam in ejus Legem deliquissemus. Eximium autem quiddam hic notat Apostolus. Eum enim Deus, qui erat innocentissimus ac sanctissimus, tanquam nocentissimum diræ atque infami morti subjecit, pro nobis, qui sceleribus nostris extrema supplicia eramus meriti, idque in eum finem, ut ipsi Christo inserti, & sic novæ creaturæ effecti, tanquam justii à Deo tractaremur, & ab ipsius suppliciis liberati immortalitatis præmio aliquando donaremur: quæ res non modo eximia est, sed prorsus inaudita.

Subjicit Grotius Partic. 62: *Non multum dissimilis est prioribus ille Pauli locus Gal. 3. 13, Christus nos redemit à maledicto Legis, factus pro nobis maledictum. Scriptum est enim: Maledictus qui pendet in ligno, &c.* tum ostendit, Paulum per execrationem *ἡγιασμένος* intelligere *ἡγιασμένος*: *ἡγιασμένος* execrabilem autem eum, qui est *ἡγιασμένος* sub execrationem. Addit, Execrationem, fatente Socino, hoc loco ipsam execrationis pœnam significare; hanc autem in Christo fuisse ipsam crucem. Unde concludit, crucem Christi pœnæ rationem habuisse.

Sed animadvertere debuit Grotius, Socinum, cum per Execrationem intelligi ait ipsam execrationis pœnam, de prioribus Pauli verbis loquutum esse, in quibus dicitur: *Christus nos* (h. e. Judæos) *redemit ab execratione Legis*. Inde vero non sequitur, idem prorsus intelligi debere in sequentibus, ubi vox Execrationis simpliciter elata Christo quoque accommodatur, cum res ipsa unumquemque moneat, non eandem utrobique hujus vocis significationem servari. Execratio enim Legis, à qua Judæos liberavit Christus, ex mente Pauli, est mors æterna, quam peccatis suis promeruerant, cum ea ibidem opponatur justificationi, quæ est per fidem. At execratio, quam Christus Dei voluntate subiit, fuit mors crucis, ut Paulus ipse explicat, & Grotius agnoscit, quæ ideo Execrationis nomine eleganter potuit appellari, quia genus hoc mortis sub Lege Deo fuit execrabile, seu, quia ii demum, qui Deo essent execrabiles atque invisi, hoc supplicii genere, Deo jubente, fuerunt affecti, etiam si id in Christo execrationis divinæ rationem vere ac proprie non haberet, quemadmodum nec in Apostolis aliisque martyribus, qui à ligno fuerunt suspensi, & sic capitis supplicio affecti. Ideo autem hoc pacto loqui maluit Apostolus, ut comparatio inter id, à quo Christus Judæos redemit, & id, quod ipse pro iis hunc in finem sustinuit, esset elegantior, & concinnior fieret oratio. Quemadmodum supra vidimus, vocem *judicii* apud Petrum 1 Ep. 4. 17 semel tantum positam, ad diversa tamen subjecta relatam, diversas significationes, quamquam inter se aliquo modo similes, sortiri, & partim improprie, partim proprie usurpari. Simile quippiam licet deprehendere in hac ipsa voce Execrationis, de qua disputamus Hebr. 6. 8, ob comparisonis, quæ ibi instituitur, concinnitatem. Minus enim proprie ibi dicitur, terram illam, quæ pluviis sæpius irrigata, proferat spinas ac tribulos, execrationi esse vicinam, ejusque finem esse ad combustionem. Ubi execratio, divinæ benedictioni, ut ex vers. 7 patet, opponitur. At Deus terræ proprie loquendo haudquaquam maledicit
ideo

ideo, quia jam sterilis sit, & spem cultoris sæpius fallat. Verum quia divinus Auctor alterum comparationis membrum omisit, idque voluit ex eo, quod expressit, colligi, ideo verbis ejusmodi est usus, quæ improprie quidem ad terram, proprie vero ad homines ejusmodi terræ similes, quos *ys.* 4, 5, 6 descriperat, referrentur, licet ea expresse ad illos non accommodentur. Comparationes nempe, ut superius alicubi diximus, quibus addi possunt etiam oppositiones, multas pariunt figuras & tropos, atque imprimis metaphoras; & eas quidem interdum ejusmodi, quales alibi in iisdem dictionibus aut phrasibus haud temere inveneris: quia nonnunquam ex certa occasione subnascitur scriptoribus nova aliqua loquendi ratio, quam alibi in iisdem vocibus ne ipsi quidem facile usurparent. Vide nonnulla huc pertinentia apud Piscatorem in notis ad *Hebr.* 9. 23. Nos quoque supra vidimus exemplum hujus rei illustre apud Paulum *Rom.* 6. 10, 11, quibus addi possunt *ys.* 6, 7, 8 cui loco similem esse diximus illum *1 Petr.* 4. 1. His enim locis eadem verba, *crucifigi, mori, mori peccato, pati in carne, justificari à peccato, quiescere à peccato, vivere Deo*, quorum nonnulla semel tantum ponuntur; nonnulla bis, diversa significatione ad Christum, diversa ad nos referuntur. Atque ut alia nunc omittam, exemplum habes perspicuum apud eundem Paulum *Rom.* 14. 13, in voce *judicandi*. Sed dicit Grotius, etiamsi execratio ea, quam Christus sustinuit, specie discrepet ab ea, à qua Judæos liberavit, genere tamen proximo convenire, nec minus proprie vocem hanc accipi in posterioribus Pauli verbis, quam in prioribus, atque adeo utrobique veram pœnam intelligi. Verum præterquam quod id nulla ratione nititur, ut vel ex modo dictis constare potest, istud quoque obstat, quod, si vox Execrationis, cum ad Christum refertur, proprie foret accipienda, sequeretur, Christum charissimum atque innocentissimum Dei filium, Deo patri suo proprie loquendo fuisse execrabilem atque invisum, idque tum, cum ei singularissima ratione obediret, & id præstaret opus, quod erat in suavem odorem Deo, ob quod ab ipso dilectus, & ad supremam gloriam evectus est *Phil.* 2. 8. *Ephes.* 5. 2. *Joh.* 10. 17. *Phil.* 2. 9. *Hebr.* 2. 9. Nam, ut ipsemet Grotius docet, execrationem fieri, hoc loco est fieri execrabilem Deo. At istud de Christo proprie affirmare, non tantum absurdum, verum etiam blasphemum censendum est.

Nihil jam opus est respondere ad refutationem exceptionis cujusdam, qua Grotius *Partic.* 63: Socinum usum suspicatur, cum ea Socino nihil sit opus. Concedimus autem, ut jam patuit, de Execratione divina hic sermonem esse: sed eam proprie ad Christi mortem accommodari negamus. Verba Moysi non ideo citantur à Paulo, quod ea ad Christum proprie pertineant: (loquuntur enim proprie de iis tantum, qui ob sua scelera Deo sunt facti invisi) sed ut ostendat, recte se dixisse, Christum factum esse execrationem, seu, recte atque eleganter se ad id, quod Christus pro Judæis perpeffus est, execrationis vocem accommodasse, cum ii, qui secundum legem hoc supplicii genere afficerentur, Deo essent execrabiles.

Addit dictis suis Grotius *Partic.* 64: *Mortem ipsam, hoc est destructionem ejus persona, quam corpus & animus constituunt, quatenus à Deo infligitur, semper aliquam habere pœnationem, non quod Deo jus non sit eam aliter homini infligere (est enim Dominus creatura) sed quod ipsius bonitati aliter visum fuerit.*

Siquidem Grotius, ut ex ejus verbis apparet, & argumentandi ratio postulat, verbum infligendi ita laxè sumit, ut possit ad afflictiones etiam eas, quæ pœnæ aut vindictæ rationem non habent, referri, dictum ipsius merito negamus. Refellitur enim abunde exemplis Apostolorum, & aliorum Christi martyrum, quorum infinitus est numerus, qui, licet Deo certas ob causas ita volente mortem fuerint perpeffi, nihilominus tamen tantum abest, ut à Deo fuerint puniti, ut iis hoc à Deo donatum fuerit, ut pro Christo paterentur *Phil.* 1. 29, & digni haberentur, quorum afflictione ac morte ipsius nomen illustraretur, quemadmodum de hoc afflictionem genere loquuntur Apostoli *Act.* 5. 41.

Dictum suum declarans Grotius *Partic.* 65: *non negamus, inquit, hominem, cum conditus est, fuisse terrenum, cui adfuerit vis quadam vitalis, non autem vis vivifica, ut nos Paulus docet 1 Cor. 15. 45, 46, ac proinde eam fuisse corporis conditionem, ut Deo non sustentante interitura fuerit: attamen ex divino decreto non fuisse eum moriturum, si in innocentia perstitisset, contendimus.*

Si ad rem loquutus est Grotius, necesse est ut in ejus verbis hominis nomine non tantum unus aliquis homo, nempe Adamus, qui primum à Deo fuit conditus, intelligatur, sed homo in universum: cum hic non de morte primi hominis, sed de quavis morte cujusvis hominis, quatenus à Deo infligitur, tum deinde speciatim de morte Christi sit sermo. Jam vero si totum hominum genus intelligit Grotius, vel id vult, (quemadmodum ipsius verba præ se ferunt) nullum prorsus hominem fuisse moriturum, nisi is ipse, qui moriturus est, peccasset; vel, neminem fuisse moriturum, nisi homines generatim, aut saltem primus eorum parens peccasset, licet interim fieri queat, ut innocentes etiam aliqui moriantur: Prius consistere non posse, tum Christi, de quo instituta est disputatio, tum infantium, tum denique omnium verorum Christianorum exemplum docet. Neque enim veri Christiani, hoc est ii, qui in Christo Jesu non secundum carnem ambulant sed secundum spiritum *Rom.* 8. 1, 4, ideo moriuntur, quia peccaverint, & sic pœnam fuerint meriti, quam moriendo persolvant: quandoquidem ii à Deo justificantur, & eo loco habentur, quo homines justi ac prorsus innocentes, eorumque peccata oblivioni tradi, & in profundum maris abjici dicuntur *Jerem.* 31. 34. *Hebr.* 8 & 10. *Mich.* 7. 19, adeo ut perinde sit, ac si nunquam deliquissent. Moriuntur itaque vel naturaliter, vel violentà quadam ratione, Deo id vel permittente, vel etiam nonnunquam curante ac volente, idque partim ob suam & Christi gloriam, cum hac ratione illustrem sit habiturus materiam, potentiam suam in iis ex morte eripiendis ostendendi; partim ad eorum in se fiduciam tanto magis exercendam atque explorandam; partim denique ad veritatem suam illustrandam, aliorumque hominum

hominum salutem promovendam, ut in martyriis imprimis contingit: quæ ipsa quoque res ad gloriam ipsius spectat. Quod si nonnulli ex Christianis morte temporaria vere puniuntur, quos tamen justificatione penitus excidere verisimile non est, ut videre licet I Corinth. 11. 30, 31, 32. id ideo fit, quia ii Christianorum hominum officium, quod est, secundum spiritum ambulare, non ea ratione, qua oportebat, præstant, sed veluti in confinio versantur eorum, qui secundum carnem vivunt. Quo enim exactius præstatur conditio nobis imposita, eo etiam perfectius nobis præstatur promissio, h. e. justificatio; & contra. Quod ad posteriorem verborum Grotii sententiam attinet, etiamsi id, quod in ea asseritur, concedatur, non tamen inde sequitur, mortem cujusvis hominis pœnæ rationem habere, nisi addatur, quemvis hominem ideo mori, quia peccatum sive suum, sive alienum ipsi fuerit à Deo imputatum, h. e. ipse propter peccatum quaecunque dignus fuerit habitus, qui affligeretur, atque adeo moreretur. Atqui id sustineri non posse, eadem, quæ nunc attulimus, docent exempla: cum nec Deus innocenti, qualis est Christus & infantes, alienum peccatum umquam imputet, ut suo loco docebitur; nec minus repugnet justificationi nostræ aliena nobis à Deo imputari peccata, quam nostra ipsorum; nulloque pacto concedendum sit, martyres, quorum morti æternum est propositum præmium, ob peccatum aliquod sibi imputatum morte plekti. Potest autem alia ratione fieri, ut peccatum sit causa mortis hominis alicujus, cui tamen interea peccatum istud non imputetur, isque propterea morte haud quaquam puniatur. Primo enim fieri potest, ut ex eo, quia alii peccarunt, & pœnam incurrerunt, ad alios, qui innocentes sunt, & quos punire nemo cogitat, etiam mors redundet, rei ipsius natura, quam Deus certas ob causas mutare nolit, ita ferente. Sic in pœnis, quæ à Deo toti alicui urbi, regioni aut populo, ab peccata infliguntur, qualia sunt bella, fames, pestis, incendia late grassantia, aquarum eluviones, urbium everisiones, infantes etiam una sæpe pereunt, aut etiam alii, quos punire velle Deum, haudquaquam statuendum est, qua de re vid. inter alia Jon. 4. v. ult. Hinc angeli olim monuerunt Lothum Gen. 19. 15. surgeret cum suis, atque egrederetur, ne periret in civitatis iniquitate; non quod Deus illi peccatum civitatis esset imputaturus, eumque propter illud puniturus; sed quia cum statuisset urbem extemplo propter ipsius iniquitatem delere, Lothus quoque hac occasione, ni mature exiret, periturus esset. Eodem modo Israëlitarum morientur Jerem. 51. 6. fugiant de Babylone, & servent quisque animam suam, ne in ejus iniquitate pereant. Cui loco similis est ille Apoc. 18. 4. de Babylone spirituali. Quod autem in suppliciis divinis contingit, id etiam in humanis non raro accidit. Qui enim sunt paulo humaniores, ii cum urbem v. g. aliquam, ob injuriam sibi ab ejus incolis aut magistratu illatam, oppugnant, & pœnam vindictamve repetunt, multa faciunt, quæ innocentibus quoque necem afferant, quibus tamen injuriam illam haud quaquam imputant, nec ullam pœnam cupiunt infligere, imo etiam libenter, si fieri posset, incolumitatem præstarent. Atque ut propius ad id, de quo agendum

nobis est, accedamus, idem perspicere licet in morte, quæ ab Adamo ad posteritatem ipsius, ex ejus peccato dimanavit. Nam cum is ob peccatum suum paradiso exclusus, & usu arboris vitæ, cujus beneficio vitam in seculum potuisset producere, privatus fuisset, terra præterea ipsius causa à Deo maledicta, ipsi labores corporis multiplicati, unde tandem mortem, ad quam satente Grotio, natura pronus erat, consequi erat necesse; idem malum consequenter ad posteros suos, utpote non secus, atque ipse erat, mortales, arboris vitalis usu jam destitutos, & terræ magno labore colendæ destinatos, propagavit, rei ipsius natura ita ferente. Neque enim necesse erat, ut ipsius quoque Adami posteris peccatum parentis imputaretur: sed satis erat ad id, ut moriendum illis esset, naturalem eorum conditionem non mutare, & eos ex isto statu, in quem parens inciderat, non eximere, quod sine paterni delicti imputatione fieri poterat. Quemadmodum cum parentes ob suum aliquod delictum in servitutem incidunt, etiam liberi, qui ex ipsis nascuntur, eam conditionem subeunt; aut cum opes, honores, privilegia, quæ ad posteros suos propagare poterant, sua culpa perdunt, posteri quoque iis hoc pacto privantur: non quod illis alienum delictum imputetur, sed quod res ipsa ita ferat. Raro sane accidit, ut ex pœna, præsertim graviore, ad personas fonti conjunctas, licet punienti alioqui charissimas, & pœna, ipsius judicio, indignissimas, non redundet aliquid mali, quod non pro pœna, sed pro ejus consequente seu effectu habendum est. Etiam si autem ea, quam diximus, prima fuerit mortis in genus humanum introductæ origo, quæ postea propriis ipsorum delictis plenum in eos jus ac potestatem est adeptæ: Deus tamen in iis, in quibus omnem peccati vim extinxit, alias ob causas mortem temporariam, eamque non raro violentam restare voluit, quemadmodum de Christianis hominibus docuimus. Præterea ea quoque ratione, citra imputationem alieni delicti, potest quis mortem alieni delicti causa subire, si Deus ipsum nocentem morte personæ conjunctæ punire velit, cujus rei exempla cap. 4. disputationis nostræ videbimus. Est enim ut Grotius hoc loco fateatur, Deo jus, etiam citra pœnæ rationem homini mortem infligere, cum sit Dominus creaturæ absolutus, ideoque licet ei morte hominis ad alterum puniendum uti: quo tamen jure non in quibusvis personis unitur, ut suo loco docebitur: Denique ut alios quosdam modos omittamus, potest quis peccati alieni causa, citra illius imputationem, adeoque citra pœnæ rationem, mortem violentiam Deo ita volente pati, quia homines à peccatis avocare, & ab iis malis, quæ sceleribus suis sibi accersiverant, liberare conetur, eaque occasione non tantum mortis discrimen, sed ipsam etiam mortem incurrat, quemadmodum Prophetis, Apostolis, aliisque Dei servis contingit: sed perfectissima ratione Christo, qui non tantum ea occasione, dum homines à peccatis retrahere, & ab eorum pœnis, pœnarumque metu liberare satagit, sed in hunc plane finem, ut id fieret, mortuus est; quod quo pacto citra pœnæ rationem fieri potuerit, nos supra ex Sacris Literis abunde docuimus, & infra Deo dante, denuo docebimus.

Sed præterea non est id, quod Grotius hoc loco affirmat, simpliciter & absque distinctione concedendum, ex decreto divino non moriturum fuisse hominem, si in innocentia perstitisset, nisi decretum ejusmodi, aut aperta ejus argumenta ex Sacris Literis proferat, quod an fecerit, in sequentibus videbimus. Nos distinguendum hic arbitramur inter mortem æternam necessariamque & temporariam; ac temporariam rursus eam, quæ prorsus est naturalis, & eam, quæ aliqua ratione violenta est aut præmatura; cum qua conjungere licet vitam miseram, variasque ærumnas atque afflictiones, quæ illius solent esse causæ, & nonnunquam mortis nomine in Sacris Literis insigniuntur Exod. 10. 17. 1 Cor. 15. 31. 2 Cor. 1. 10. 14. 10, 11, 12. XI. 23. Et de morte quidem æterna ac necessaria simpliciter affirmari potest, eam non subiturum fuisse hominem, si in innocentia perstitisset, ac Dei mandata semper custodivisset: quin etiam de morte violenta aut præmatura, vitæque misera idem, saltem generatim, asserere licet. Dico autem, *saltem generatim*; quia, de omnibus in universum non est id facile asserendum, nisi ostendatur, peccato hominis non existente, Deum nulla ratione permissurum fuisse, ut ejusmodi aliquo casu, cujusmodi multi in vita, naturalibus prorsus de causis, aut hominum ipsorum imprudentia existunt, ut incendio, aquis, ruina, lapsu, ferarum laniatu, & similibus aliis, quisquam hominum vitam amitteret, nullamque exituram occasionem, ut quis morti vitam suam objiciendo, vel aliorum commodis, vel divinæ gloriæ inservire, & eo pacto virtutis edere specimen, insignemque sibi apud Deum parare posset præmium, post mortem demum adipiscendum. Quod ad mortem naturalem attinet, quæ tum demum advenit, cum eo usque vita producta est, quousque naturæ vi, omnibus illis, quæ Deus ad eam sustentandam dedit, adminiculis adhibitis propagari poterat, quæque non externarum causarum, non morborum, non ærumnarum laborumque violentia adfertur, sed ipsa natura, ob mortalitatem ingentem, & terreni corporis concretionem, paulatim deficiente existit; hanc, inquam, ex Dei decreto nulli hominum, si in innocentia perstitissent, eventuram fuisse, probandum est, præsertim multiplicatis jam per generationem hominibus, & in varias regiones extra paradisum dispersis, ubi non eadem aëris temperies, nec eadem vitæ producendæ adjumenta, quæ primo homini fuerunt à Deo concessa. Nam etiam ante ipsius lapsum dictum fuerat Genes. 1. 29: *crescite & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam*: quæ ipsa quoque multiplicatio hominum per generationem argumento est, nisi decretum Dei contrarium ostendatur, individua humana paulatim interitura, aliæque in aliorum locum ad conservationem totius speciei fuisse successura: cum generationis hic sit finis naturalis, ut conservetur species pereuntibus individuis. Unde in immortalibus non est generatio, quemadmodum docet ratio, & colligitur ex argumentatione Christi contra Sadducæos Luc. 20. 35, 36. Potuisset quidem Deus, vim naturæ ad interitum sua sponte inclinantis cohibere, eaque ratione efficere, ne homines unquam morerentur, aut etiam absque morte eorum naturam transmutare, & ex mor-

talibus statim immortales facere, quemadmodum iis continget Christianis, qui in adventu Domini futuri sunt superstites 1 Cor. 15. 51, 52: sed id Deum omnino facturum fuisse, tum demum admittendum est, ubi id ex Sacris Literis probatum fuerit.

Ex his facile est respondere ad loca à Grotio allata, in quibus affirmatur, mortem peccati pœnam esse, aut per peccatum in mundum ingressam. Sermo enim in iis est, vel de morte æterna ac necessaria, vel de morte violenta, aut aliqua ratione præmatura, vel denique de vita misera atque infelici: ac præterea non ostendunt, mortem violentam, de qua nobis potissimum hoc loco agendum est, ideo, quia per peccatum in mundum fuit ingressa, nunquam à Deo citra pœnæ rationem cuiquam imponi. Sed tamen, ut res fiat clarior, & verus nonnullorum Scripturæ locorum sensus pateat, videamus quæ scribat Grotius Partic. 66.

Evincit hoc, inquit ipsa creature istius nobilitas atque eminentia, ut, quæ sola ad imaginem Dei condita dicatur, hoc est, mente, liberoque arbitrio prædita, quod fundamentum est dominationis ipsius in ceteras creaturas. Non potest enim rerum aliarum esse Dominus, qui suarum actionem dominus non sit. Hæc igitur excellentia supra res ceteras argumento est, plus aliquid quam temporarium usum in hominis creatione spectatum.

At hoc, quod concludit Grotius, concedi potest, nec tamen inde sequetur, hominem ne ad tempus quidem moriturum fuisse. Nam ad id, ut verè dici queat, Deum in hominis creatione plus aliquid quam temporarium usum spectasse, satis est, eum constituisse, hominem, postquam mortuus fuerit, ad immortalem vitam aliquando resuscitare. Si dicat Grotius, ex hominis nobilitate consequi, eum ne ad tempus quidem fuisse moriturum; id ratione aliqua ipsi comprobandum est. Nos enim, qui id consequatur, nondum videmus. Imo ne illud quidem, ipsa rei natura inspecta, ex ista hominis nobilitate consequi videmus, decretum Dei tale extare debuisse, quod prohiberet, ne homo in perpetua morte maneret, atque in eum statum relaberetur, in quo fuit, antequam produceretur. Quid enim prohibet, eum, qui mente liberoque arbitrio est præditus, quique cæteris rebus terrestribus dominatur, aliis infinitis ejusdem speciei individuis perpetua serie succedentibus, & dominatum illum excipientibus, cum natura mortalis sit, mori, in eaque morte manere? Quod si nihilominus tale Dei decretum de hominibus ab æterna morte atque interitu vindicandis, & quod hujus consequens est, immortalitate donandis, si in innocentia perstitissent, extitit, id singulari ipsius benignitati adscribendum est; cum ad eam rem nec vi eorum, quæ in ipsos in creatione contulerat, nec innocentiae merito adigeretur.

Antequam ulterius progrediamur, duo monenda videntur: primum imaginem istam Dei, licet aliquo modo etiam in mente liberoque arbitrio consistat, potissimum tamen consistere in dominatione super res terrestres universas, quam Grotius illius imaginis consequens videtur statuere. Indicat id non tantum locus Gen. 1. 26, ubi primum imaginis istius Dei in homine fit mentio; sed etiam verba Pauli

1 Corinth. xi. 7, ubi viro tribuitur, quod sit imago ac gloria Dei, & scēminæ ideo, quia sub potestate viri est, tacite adimitur. Quod tamen respective, ut loquuntur, accipiendum esse, præter rem ipsam, dictus locus Gen. i. 26, 27, 28 docet. Etiam si enim mulier viri sub sit imperio, & sic non tam excellenti ratione imago Dei sit, imperat tamen una cum viro cæteris rebus in terra universis. Nec mirum, imaginem ac similitudinem Dei in homine in eo consistere, quod, quemadmodum Deus est Rex ac Dominus rerum universarum simpliciter; ita homo rerum in terra universarum: cum Deus propter hoc ipsum imperium Deus dicatur, & ii, qui imperium aliquod ab ipso in alios habent, Dii, aut filii Dei, tanquam ipsi simillimi Exod. 21. 6. xxi. 8, 28. Psal. 82. 1, 6. Joh. 10. 34. Alterum, quod hic monendum putavimus, est, quod Grotius ait, hominem *solum* ad imaginem Dei conditum, cæterasque res antecellere, id respectu rerum inferiorum tantum esse intelligendum: cum nemo nesciat, Angelos imaginem Dei præstantiori modo, quam homines, referre, utpote qui non modo mente liberoque arbitrio sunt præditi, sed & immortalitate, potentia roboreque præcellenti, sanctitate, sapientia Deo sunt similes: unde etiam Dii ac Dei filii dicuntur Psal. 8. 6. xcvi. 7. Job. 1. 6. Quod ideo monemus, quia si homo cæteris omnibus creaturis, nulla prorsus excepta, foret excellentior, id sententiæ Grotii magis faveret, imo plus etiam, quam ipse vult, evinceret. Inde enim concludere liceret, hominem natura quoque fuisse immortalem. Sed Deus hominem Paulo minorem angelis fecit, in primis ratione mortalitatis, & quæ cum illa conjuncta est, patibilitatis (ut ita loquar,) quemadmodum docet collatio Psal. 8. 6 cum verbis Hebr. 2. 8. Et decuit sane, cum jam extaret tale creaturæ rationalis genus, quod æternitatem non in tota solum specie, verum etiam in singulis individuis servaret, alterius generis aliam esse hac in parte rationem.

Altera Grotii ratio est Partic. 67: *Jam vero illa divina voce quid clarius? Si comederis, morieris. De actu mortis hic agitur, sive illa violenta esset futura, sive citra violentiam. Ipsum ergo mori non erat eventurum homini, nisi peccati conditio extitisset.*

At verba ista Dei, secundum mysticam interpretationem, ad quam Paulus Rom. 5 respicit, de morte æterna sunt accipienda, de qua Grotius quoque inf. cap. 3 ea præcipue intelligit: at secundum sensum literalem seu historicum, mortis nomine intelligenda videntur omnis generis mala, quæ hominem usque ad mortem sequutura essent, seu vita misera atque infelix, quæ ipsam quoque mortem celerius, quam naturæ conditio postulat, accersere solet. Nam postquam homo peccavit, Deus explicans quodammodo seipsum, & quid per mortem in comminatione sua intellexisset, declarans, ait: *Quia parvisti voci uxoris tuæ, & comedisti de arbore illa, &c. Maledicta terra propter te. In labore comedes ex ea cunctis diebus vita tua, spinasque & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas agri. In sudore vultus tui vivescens pane, donec revertaris in terram: quia ex ea sumtus es. Nam pulvis es, & in pulverem reverteris.* Ubi mortis non tanquam pœnæ fit mentio, sed tan-

quam termini, ad quem usque pœna fit duratura, eique hominem subjectum declaratur, tanquam rei, quæ ipsius naturæ ac materiæ, ex qua constabat, propria sit, & valde consentanea. Quapropter hinc non sequitur, hominem ne temporariam quidem naturalemque mortem fuisse subiturum, nisi peccasset. Deinde ostensum est à nobis superius, etiam si homo primus peccato suo pœnam mortis, quocunque tandem modo eam velis accipere, incurreret, non tamen inde consequi, omnem mortem pœnæ habere rationem. Adde, quod ne illud quidem sequatur ex vi istorum verborum, *si comederis, morieris*, alia ratione fieri non potuisse, ut is ipse, cui hæc comminatio fuit proposita, moreretur, nisi comedisset; etiam si comestitionis nomine omne peccati genus complectaris. Nam si verbi gratia dominus dicat servo, si quid gravius deliqueris, pugnare jubeberis cum bestiis; non protinus inde sequetur, cum, si nihil deliquerit, vel sponte sua idem facere non posse, virtutis ostendendæ, & præmii alicujus, vel saltem gloriæ consequendæ causa, vel à domino id illi jure imperari non posse. Quid si enim aut herus ipse, aut herilis filius, aut amicus, aut denique aliquis ex servis domino charus in bestias incidat, & de vita periclitetur, non potuerit servus iste jure adigi, ut cum bestiis pugnet, & ita illum periculo liberet? Hoc tantum ex hujuscemodi comminatione consequitur, eum, cui illa proponitur, posse istud malum, si nihil deliquerit, effugere, aut, si id nihilominus perpetiatur, pœnæ rationem id non habiturum. At quod pœnæ loco alias infligitur, potest etiam aliam ob causam cuiuspiam ab eo, in cujus est potestate, mandari, aut etiam sponte à quopiam suscipi, ac in ipsius laudem aut singulare commodum vertere.

Tertia Grotii ratio est Partic. 68: *Non minus clarum & generale Pauli illud, stipendium, id est, pœna, peccati mors Rom. 6. 23.*

At Mortis nomine ibi non quævis mors intelligitur, sed æterna, quæ ibidem vitæ æternæ, qua per Christum à Deo donabimur, opponitur, & satis aperte indicatur, eos, qui peccati jugum excusserunt, ab ea morte immunes esse. At à morte temporaria, sive ea sit naturalis, sive violenta, non sunt immunes ii, qui peccati imperium excusserunt. Præterea cum Grotio concludendum sit, quamvis mortem esse peccati stipendium, consequentis fallacia in ejus argumentatione latet. *Stipendium peccati est mors: Ergo omnis mors est stipendium peccati.* Neque enim enunciatio affirmativa, eaque indefinite elata, universaliter converitur. Nec est, quod quis suspicetur, subjectum enunciationis Apostolicæ esse Mortem, prædicatum vero Stipendium peccati. Contra enim fieri, non modo verborum ordo, sed etiam articulus vocis *ὁτι* seu stipendiorum præfixus indicat, quo vox *θανάτου* mortis destituitur, cum articulus subjecti soleat esse nota, non prædicati: ac præterea res ipsa id postulet, cum hic non quid mors sit, sed quodnam peccati stipendium Apostolo fuerit explicandum. Nam cum inter se commisisset servitutem Peccati, de quo eo capite multa per proferopœiam differit, & servitium Justitiæ, seu ipsius Dei; fructum ac mercedem utriusque

que inter se confert, ac Peccatum quidem, ait, servis suis persolvere stipendium, quod sit mors: at Dei præmium, quod is suis servis, hoc est, justitiæ cultoribus ex mera benignitate persolvat, esse vitam æternam, quam per Dominum Jesum Christum tum promiserit, tum re ipsa sit præstiturus.

Quarta Grotii ratio est Partic. 69: *Ante dixerat (Paulus:) Per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pervasit. Omnes, inquit, homines. Agit ergo de communi humanitatis exitu. Per hominem ergo, id est ex facto humano, mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut in Adam omnes moriuntur (quotquot moriuntur) ita & in Christo omnes vivificabuntur (quotquot vivificabuntur) 1 Cor. 15. 21, 22. Quis vel ipsa verba legens non videat hanc sententiam ad Corinthios isti ad Romanos respondere ad amussim? Agitur ergo de morte, quæ communis est Adami posteris, & ex qua resurgunt qui resurgunt.*

Locum Rom. 5. 12 de morte æterna accipiendum esse, jam antea monuimus. Patet id ex eo, quod Paulus eo loco promiscue ponit, nunc mortem, nunc condemnationem, quæ nostræ per Christum justificationi opponitur. At justificatio nostra per Christum mortis temporariæ non modo non opponitur, sed etiam eam, & quidem violentam, non raro secum trahit. Probabile idem facit oppositio inter mortem hanc & vitam æternam per Christum obtinendam, quæ extat v. ult. ubi Apostolus comparisonem in posteriori hujus capitis parte institutam concludit. Præterea mors illa non simpliciter per unius hominis peccatum in omnes homines pertransiisse dicitur, sed *quatenus omnes peccaverunt*, quæ verba non debuit omittere Grotius. Ex iis enim patet, Apostolum non agere de morte quorumvis hominum simpliciter, sed eorum, qui Adamum peccando sequuti, participes etiam facti sunt pænæ, in quam ipse per peccatum suum incurrerat, quam cum ipse Grotius præcipue velit esse mortem æternam, quæ dono per Christum allato directe opponitur, cur non de hac potius, quam de temporaria loqui censeatur Apostolus?

Ex dictis illud quoque liquet, etiamsi concedatur, eundem prorsus esse sensum loci 1 Cor. 15. 21, 22, & istius ad Rom. nihil tamen id Grotii causam adjuturum. Verum cum ipse Grotius contendat, in loco ad Corinth. de morte temporaria esse sermonem, ex qua resurgant, qui resurgunt, de qua locum ad Rom. non loqui ostensum est, eos inter se dissimiles esse, fateatur oportet: præsertim cum in loco ad Corinth. nulla fiat mentio peccati sive ab Adamo, sive ab iis, qui in ipso moriuntur, admissi, cujus tamen utriusque, tanquam propriæ mortis causæ, sit mentio ad Romanos. Quare nihil est necesse, locum ad Corinth. de ejusmodi morte accipere, quæ Adamo pænæ locò fuerit imposita, tantum abest, ut ea in omnibus hominibus, qui eam experiuntur, pænæ rationem habeat. Hinc sponte sua jam concidit id, quod infert Grotius: *Quare & collato hoc loco cum illo ad Rom. agi hic de Adamo peccatore dicimus. Quod enim hic dixit Per hominem, ibi dixit Per peccatum.* Sumit enim pro concessio, eundem utriusque loci esse sensum. Quamquam, etiamsi concederetur, de Adamo hoc loco ut peccatore agi, & quod ibi dicitur, *per peccatum*, hic dici *per hominem*, non tamen inde

sequeretur, omnes qui per ipsum, sive in ipso moriuntur, ea morte puniri: cum ostensum jam sit superius, quomodo ex delicto Adami mors in cæteros homines potuerit manare, etiamsi ea non in omnibus hominibus pænæ rationem habeat. Quod si pænæ rationem semper habere debeat, necesse est illud addere, quod ad Rom. addidit Paulus, omnes in Adamo mori, *quatenus omnes peccaverint.*

Quæ subjicit Grotius Partic. 76: *Animalis Adami conditio viginti & ultra post versibus ab Apostolo attingitur, alia plane occasione &c.* Ea excipendi potius quam argumentandi vim habent. Neque enim sequitur: Apostolus de animali Adami conditione multis post versibus alia plane occasione agit: Ergo hoc loco, dum in Adamo omnes mori dicuntur, naturalis Adami conditionis non habetur ratio. Atqui argumentandum hic erat Grotio, & ostendendum, de Adamo ut peccatore in verbis inter nos controversis sermonem esse. Quod si dicat, se ad argumentationem nostram respondere, frustra est. Neque enim nos ita ratiocinamur: infra fit mentio naturalis Adami conditionis: Ergo & hoc loco: sed ad rationem adversariorum ex v. 21, 22 ductam excipientes, dicimus, non esse necesse, ut Paulus Adamum ut peccatorem ibi consideret, cum possit ad naturalem tantum illius constitutionem respicere, quæ ipsum vi sua morti reddebat obnoxium, atque adeo etiam eos omnes, qui ex ipso fuerunt propagati: siquidem ex mortali non nisi mortalis nascitur. Et, ne quis forte talem fuisse Adami constitutionem ante lapsum neget, quemadmodum sane sunt plurimi, locum illum ejusd. cap. 5. 45 & seqq. ad id comprobandum adducimus. Cætera, quæ de discrimine utriusque loci subjungit Grotius, quia ea, quæ diximus, nullo pacto labefactant, præmittimus.

Pergit Grotius Partic. 71, & ex libro Sapientiæ duos citat locos, quos Græce ab ipso adductos, nos Latine adscribemus. Prior extat cap. 1. 13 & seqq. *Deus mortem non fecit, nec delectatur perditione viventium. Creavit enim ut essent omnia, & salutare [sunt] generationes mundi, & non est illis venenum perditionis, nec inferorum regnum in terra. Justitia autem immortalis est. Impii vero manibus & verbis accersiverunt eam: amicam existimantes eam tabuerunt, & pactum posuerunt cum ipsa, quia digni sunt, ut illius sint partis.* Posterior vero extat cap. 2. 23, 24. *Deus creavit hominem ad incorruptionem vel in incorruptione aut integritate & imaginem propriæ similitudinis (Græce proprietatis) fecit eum. Invidia autem diaboli mors introivit in mundum. Tentant autem eam, qui illius partis sunt.* Quibus subjicit Grotius: *Mortem hic quam Deus dicitur non condidisse, nec velle, voluntate scilicet peccatum antecedente, qualemcumque intelligi, ostendit oppositum ἀφ' αἰτίας, in cujus spem homo dicitur conditus, eaque spes pars fuisse divinæ imaginis, aut certe ejus consequens, non obscure indicatur. Ἀφ' αἰτίας autem mortem omnem, sive violentam, sive non violentam excludit. Et quod Apostolus dixit, per hominem & per peccatum intrasse mortem, auctor hic non minus vere dixerat, per diaboli invidiam mortem introisse. Omnes enim ista loquutiones idem factum notant, primum scilicet hominis peccatum diabolo suggerente commissum.*

Primum cum liber hic inter Apocryphos sit, quem-

admodum ipse Grotius indicavit, nisi ex aliis Sacra-
rum Literarum testimoniis veritatem sententiæ suæ
comprobet, quod eum non præstitisse hætenus do-
cuimus, ex eo libro indubitatum ejus rei argumen-
tum petere non potest. Sed præterea non confirmant
ipsius sententiam verba ex eo libro adducta; cum
Auctor iste mortis nomine non mortem tempora-
riam ac prorsus naturalem, imo ne violentam qui-
dem omnem complectatur; sed interitum miserum
atque infelicem, iis, qui eum subeunt, prorsus exiti-
alem, qui tam triste mortis ac perditionis nomen
vere mereatur. Quandoquidem Auctor hic non ob-
scure, justorum è vita exitum, licet per tormenta fiat,
mortem non esse appellandum docet, cum de illis ita
loquitur cap. 3. 2, 3: *Visi sunt (justi) in oculis insipientium mori, & æstimatus est exitus eorum calamitosus, & discessus à nobis exitialis: at illi sunt in pace. Insipientibus, ait, eam videri mortem, non sapientibus & recte rem æstimantibus.* Patet autem etiam ex initio
ejus sermonis, quem Auctor iste de morte instituit,
vid. cap. 3. v. 5 & seqq. eo nomine non esse intelli-
gendam mortem naturalem ac temporariam, imo ne
violentam quidem, in qua ii, qui eam sustinent, pie-
tatis suæ erga Deum edunt specimen, quæque illis
in virtutis cedit præmium. Eo enim loco, qui extat
vers. 12. cap. 1, ad cujus probationem verba à
Grotio adducta statim subjiuntur, monet Auctor
iste homines, ut vitent mortem, caveantque ne sce-
leribus suis eam accersant. Atqui mors ea, quæ omni-
bus hominibus communis est, vitari non potest, nec
minus eam incurrunt pii quam impii. Idem indicant
illa, in quibus per quandam oppositionem justitia
immortalis dicitur, nempe quia in causa sit, ut ho-
mines eam mortem, de qua sermo est, effugiant.
Arguunt etiam illa: *Impii autem manibus & verbis accersiverunt illam*, seu mavis *illum*, ut ad infernum,
qui ibidem pro morte ac perditione reponitur, refe-
ratur: cum sit in Græco *αὐτοῖς*, quod tam ad *αὐτὸν*
quam ad *τοὺς αὐτοῦ* potest referri. At quomodo impii
illi, qui cap. 2 ab eodem auctore describuntur, mor-
tem naturalem ac temporariam, quæ jam ab ipso ini-
tio omnibus hominibus incubuerat, & porro omni-
bus necessario imminebat, acersiverunt? Quod ad
rationem Grotii attinet, ex voce *ἀφθαρσίας* incorrupti-
bilitatis ductam, quæ quidem priori loco non extat,
sed vox *ἀθάνατος*, in verbis, *justitia autem immortalis est* Gal. 6. 8. 2 Petr. 2. 12, dicimus, cum vox *φθορᾶς* seu
corruptionis, quemadmodum etiam *θανάτου* seu mor-
tis, non semper mortem naturalem ac temporariam
significet, sed nonnunquam æternam, ac vere mise-
rum infelicemque interitum; *ἀφθαρσίας* illi oppositam
ita sumi posse, ut immunitatem non à morte & cor-
ruptione quavis, sed ab ejusmodi interitu, qualem
jam diximus, significet, præsertim iis in locis, ubi
circumstantiæ id non modo patiuntur, verum etiam
suadent, quemadmodum hoc loco contingere do-
cuimus. Quare Grotio, qui eam vocem latius pu-
tat extendendam, ratio solida est asserenda, qua
probetur, id hoc loco omnino fieri oportere. Quod
si vim vocabulorum istorum Græcorum nimium ur-
gere velit, & nihilominus eam *ἀφθαρσίας* incorrup-
tibilitatem seu *ἀθανασίαν* immortalitatem homini,
quam diu in innocentia perstitit, tribuere, inde col-

ligetur, in Adamo, quamdiu in innocentia perstitit,
ne naturalem quidem moriendi fuisse possibilitatem,
contra quam supra fassus est Grotius. Hæc enim ge-
nuina istarum vocum vis esse solet, ut vel ex locis
Novi Testam. ubi extant, patet. Vide Rom. 2. 7.
1 Cor. 15. 42, 50, 52, 53. 1 Tim. 6. 16. 2 Tim. 1. 10.
Adde quod tum Grotii, tum ipsius Auctoris verba,
dum ait, hominem conditum *ἐν ἀφθαρσίᾳ*, ad incor-
ruptibilitatem, vel incorruptibilis, ita comparata sint,
ut etiamsi *ἀφθαρσίας* in perfecta, quam modo expli-
cavimus, significatione accipias, quæ naturalem mo-
riendi possibilitatem excludit, inde tamen non sequa-
tur, hominem, nisi peccasset, temporariam mortem
non subiturum. Potuit enim homo ad incorruptio-
nem, seu, ut Grotius loquitur, in spem illius, esse
conditus, & tamen interea, dum eam reipsa conse-
queretur, vel naturaliter vel violenta ratione mori,
quemadmodum Christianis hominibus accidit, qui
in eam spem sunt regeniti 1 Petr. 1. 3, 4. Non est au-
tem necesse, verba Auctoris, qui ait, Deum non dele-
ctari perditione viventium, restringere ad voluntatem
peccatum antecedentem: siquidem Deus apud Eze-
chielem cap. 18. & 33 testatur, etiam impii mortem
se non velle, vel potius non desiderare, eave dele-
ctari. Unde Grotius inf. cap. 2. ait, Deum ipsum
dicere, se pœna eorum, qui puniuntur, non dele-
ctari. Nec debuit Grotius pro verbo *delectari*, quod
est apud hunc Auctorem, reponere *velle*, quod sua
vi isto lenius est; licet alioquin interpretes in illo
Ezechielis loco eodem sensu verbum istud usurpent,
quo hic Auctor verbum *delectari*. Neque etiam cer-
tum est, id, quod Auctor dicit, diaboli invidia mor-
tem introivisse in mundum, ad primi hominis deli-
ctum, diabolo suggerente commissum, ex Auctoris
hujus mente, restringi debere: cum id rectius ad
impiorum istorum, quos cap. 2 describit, scelera,
diabolo impellente designata, referatur. His enim
cap. 1, in verbis à Grotio citatis tribuitur, quod
mortem, quam Deus non condiderit, manibus ac
verbis accersiverint seu advocarint. At Adamum in
istorum impiorum numero reponere nemo audebit,
qui ea, quæ de illis cap. 2 scribuntur, considerave-
rit; præsertim cum nec alias Sacra Literæ impii no-
men ei tribuant, nec propter unum istud factum tri-
buere conveniat: siquidem ea vox denotat homi-
nem, qui apertum quandam divinæ majestatis con-
temptum spiret, atque in scelere aliquo contumaciter
perseveret. Adde quod Auctor iste satis aperte indi-
cet principio cap. 10, quod conferendum est cum fine
cap. præcedentis, Adamum sapientia divina servatum,
atque à delicto suo, ejusve pœna, liberatum esse; adeo
ut Auctor hic non videatur statuere, mortem veram,
quam hoc loco intelligendam docuimus, actu ipso in
mundum per Adamum ingressam. Non repetimus
id, quod jam non semel diximus, ex eo non sequi,
quamvis mortem pœnam esse, quia mors per pecca-
tum in mundum introiverit, etiamsi tandem mortem
temporalem quamcunque hoc nomine intelligas.

Sed ad rationem quandam nostram, qua proba-
mus, non de quavis morte hic esse sermonem, re-
spondere conatur Grotius Partic. 72, verum eam
non recte proponit, dum ita scribit: *Nec obstat, quod
auctor hic specialem quandam mortis effectum circa im-*
pios

pro notat. Neque enim de speciali mortis effectu circa impios loquitur Auctor, sed de speciali quadam morte, quam impij demum accersiverint, atque in se experiantur, quam nec naturalem mortem, nec violentam omnem esse ostendimus. Id quod Grotius effectum mortis vocat, id Auctor iste mortis nomine comprehendit. Quare nihil est opus, Grotii responsionem ad objectionem illam, quæ nostra non est, examinare, præsertim cum in ea nihil sit, quod sententiam nostram labefactet; sed simpliciter pro concessio sumatur, mortem, intellige quamvis, per peccatum in mundum ingressam.

Quod ait Grotius Partic. 73: *Et Judæorum veterum & Christianorum perpetuam hanc fuisse sententiam, mortem qualemcumque hominis peccati poenam esse; id etiam si ita se haberet, nos movere tamen non deberet, ad eam sententiam, quæ manifestissimis rationibus refellitur, amplectendam.* Multitudo errantium, ut vulgo recte dicitur, non parit errori patrociniū. Sed de perpetua illa Christianorum sententia, eorum nempe, qui post Apostolorum tempora extiterunt, (nam de ipsis Apostolis, & iis, qui veritatem hac in parte ab iis acceptam retinuerunt, id prorsus negamus) dubitandi causam ipse nobis præbet Grotius, dum Pelagium & Cœlestium, quorum sententiæ non pauci alij sunt ad stipulati, contrarium sensisse scribit. Quod si eos Grotius Christianorum nomine non dignatur, necesse est ut ostendat, eos fidem in Christum vivam ejusque fundamentum suis sententiis evertisse, & ejusmodi dogma propugnasse, quod cum ea nullo modo posset consistere, qua de re nobis nondum constat. Graviter quidem eos errasse oportuit, si eæ fuerunt illorum de rebus quibusdam ad religionem pertinentibus sententiæ, quæ illis ab adversariis tribuuntur; atque in hac ipsa re, de qua nunc agimus, eos fuisse lapsos, statuendum est, si, ut Grotius scribit, asseruerunt, *mortem non ex insidiis fluxisse peccati, sed exegisse eam penitus legem immutabilis constituti.* Nam præterquam, quod verba ista nimis generaliter sint prolata, possintque etiam de morte æterna, & quacunque alia, quam Deus poenæ loco hominibus soleat infligere, accipi; nullo modo admittendum est, mortem naturalem ac temporariam penitus exegisse Legem immutabilis constituti. Potuit enim homo, ut superius jam docuimus, divina benignitate ab ea conservari. Quia Grotius Judæorum quoque veterum fecit mentionem, libet hic adscribere verba Josephi, ex quibus satis apparet, eum id minime credidisse, quod illos statuisse ait Grotius. Ea vero extant lib. 1. Antiq. cap. 3, vel secundum Gelenium cap. 2, ubi inter alia Deum introducit primos parentes post lapsum sic alloquentem: *Equidem prospexeram vobis, quomodo vitam felicem, omnisque mali expertem viveretis, nulla nova cura in animo sollicitati, omnibus, quæcunque ad usum ac voluptatem conferunt, sua sponte vobis provenientibus, mea unius providentia, citra omnem vestrum laborem: quibus fruente vos neque senectus celeriter opprimeret, & vita diuturna quam longissime proferretur, &c.* Ita ergo Josephus credidit primos parentes, nisi peccassent, æternum victuros, quod senectus ac mors quam longissime differri debuisset, non autem quod nunquam fuissent morituri.

Ad ἀντιπαράστασι argumentorum Grotii, cum singula separatim examinaverimus, nihil attinet respondere. An Socini interpretationes à perpetuo vocum usu citra exemplum recedant, ut ipsi Grotius objicit, an significationi, quam Grotius urget, nulla obstet ratio, partim ex dictis æstimare Lector poterit, partim ex iis, quæ in seqq. capp. opem ferente Domino disputabuntur, constabit.

Accedit ad finem satisfactionis Grotius Partic. 74, quem duplicem constituit, *Justitiæ divinæ demonstrationem, & Peccatorum remissionem quoad nos, hoc est, impunitatem nostram.* Utrumque, non quidem satisfactionis, quæ non est ostensa, sed mortis Christi finem nos admittimus, quamquam priorem alio sensu quam vult Grotius. Is enim, licet Justitiæ Dei nomine intelligat ejus Rectitudinem, quam nostra quoque sententia, ut mox apparebit, complectitur: eam tamen postea explicans, & aliquo modo restringens, illam Dei proprietatem ait intelligendam, quæ ipsum moveat ad puniendum, & quæ in ipsa punitione demonstretur, quam etiam appellat τὸ ἀντιποδοτικὸν Dei. Itaque cum mors Christi ex ipsius sententia poena fuerit, ei divinitus imposita, hoc pacto divinam justitiam demonstratam esse arbitratur. Nos justitiæ divinæ nomine, ad cujus demonstrationem mors Christi pertinuisse in Sacris Literis dicitur, intelligimus primum fidem & constantiam Dei in servandis promissis, quæ justitiæ suum cuique tribuentis, ac Rectitudinis, quæ itidem Justitiæ nomine in Sacris Literis appellatur, pars magna est; deinde justificationem, ab hac ipsius fidelitate in nos proficiscentem; qua de re agetur inferius. Interim id memoria repetendum est, quod initio hujus disputationis monuimus, si ad justitiam Dei ἀντιποδοτικὸν, ut quidem Grotius sentit, pertineat recti ordinis conservatio, & cura boni communis; eam morte Christi, ex nostra sententia, insigniter demonstratam. Addimus nunc, etiam si justitiæ divinæ nomine, quæ morte Christi sit demonstrata, proprietas Dei ejusmodi foret intelligenda, quæ ipsum ad puniendum moveat, non tamen inde consequutur, nos ideo, quia Christi mortem poenam divinitus ipsi inflictam fuisse negamus, ostendere non posse, quomodo istiusmodi justitia morte Christi fuerit demonstrata, aut quò pacto ejus demonstratio, mortis Christi finis queat appellari. Docuimus enim superius mortem Christi severitatis divinæ, qua sit usurus adversum impios & in peccatis contumaciter perseverantes, magnum præbere argumentum. Neque enim, ut mors Christi justitiam istam demonstrare possit, necesse est, eam ipsam esse punitionem, & proprium illius justitiæ effectum: cum possit res aliqua, alijs quoque rationibus, quam per proprium effectum, demonstrari, quod in hoc negotio à nobis est ostensum. Paulus ad Philippenses scribens cap. 1. 28, cum de ipsorum in afflictionibus constantia loquutus esset, addit: *quod illis (adversariis) quidem est demonstratio perditionis, vobis autem salutis, & 2 Thess. 1. 5 de eadem re agens, ait: [quæ res] demonstratio est justi judicii Dei, ad hoc ut vos digni habeamini regno Dei, pro quo etiam patimini &c.* At neutro in loco id, quod demonstratio dicitur, effectus est ejus rei, cujus

dicitur esse demonstratio. Quid? quod ne hoc quidem ad id, ut demonstratio iustitiæ divinæ mortis Christi finis esse queat, requiratur, ut ipsa Christi mors sit ista demonstratio, aut in ipsa demonstratio hæc fuerit peracta, cum media à fine sint distincta, non tantum ratione, sed sæpe etiam re ac subjecto; sed satis sit, mortem Christi eo facere, ut iustitia illa manifeste patefiat, eamque ad rem aliquid adferat adjumenti, licet ea demonstratio in re alia, alioque tempore fiat. Satis est verbi gratia ut mors Christi pariat insignem materiam & occasionem iustitiam istam demonstrandi: quemadmodum sane præbet etiam iustitiæ illi punienti. Nam qui tam illustri divinæ charitatis erga genus humanum peccatis onustum, & Fœderis Novi, in quo gratuita justificatio fide obtinenda omnibus offertur, demonstratione, non movetur ad Deum vicissim amandum, & Fœdus istud amplectendum, is plane est inexcusabilis, eumque Deus iustissime punire potest, & in ipso severitatis suæ documenta omnibus spectanda proponere. Quare possemus ea, quæ Grotius hoc loco scribit, præterire, & concedere, locum Rom. 3. 25, 26, quem is pro sententia sua adducit, de iustitia Dei puniente accipiendum, ejusque demonstrationem mortis Christi finem ibidem dici. Verum ut tum hujus, tum aliorum quorundam Scripturæ locorum, quos Grotius de Dei iustitia adversus Socinum differens allegat, verus sensus pateat, & simul ostendatur, nihil hic esse, quod sententiæ de satisfactione faveat, imo potius eam cum divinæ iustitiæ demonstratione pugnare, videamus quæ scribat.

Si sumas, inquit Partic. 75, pœna exactionem impersonaliter, finis ejus est divina iustitiæ demonstratio, si vero personaliter, hoc est cur Christus sit punitus, finis est ut nos impunitatem consequeremur.

Primo, nullam hic punitionem, intellige proprie dictam, ostendere potuit Grotius, ut hætenus visum est. Rei autem non existentis nullus est finis. Deinde si extitisset, non protinus demonstrasset iustitiam divinam. Non enim id simpliciter iustitiam alicujus demonstrat, quod puniat, & quidem ob peccata vera, sed quod eum puniat, qui meritis est, & modum in puniendo servet eum, qui delictum non superet, seu non ultra meritum puniat. At neutrum horum, si Grotii sententia vera est, hoc loco factum est. Nam primum nocentibus sponte dimissis, innocentissimus eorum loco punitus dicitur. Deinde cum Christus omnium prorsus hominum loco punitus asseratur, ac pro universis eorum delictis satisfecisse, interim tamen maximæ hominum parti peccata non remittantur, sed pœnæ commertæ ab illis ipsis, qui deliquerunt, exigantur; an non quicquid illorum nomine Christo inflatum est pœnarum, æqualitatem, quæ inter pœnam & delictum esse debet, superat, atque adeo injuste fuit exactum? Nisi forte dicere velis, jam non posse Deum jure, adeoque nec velle, ab ipsis peccatoribus, licet non resipiscant, tantum exigere pœnarum, quantum alias mererentur, quia Christus pœnas pro illis persolverit: quod si statuas, jam fatendum tibi erit, mortem Christi etiam absque fide ac resipiscencia hominibus prodesse ad immunitatem à pœnis, & quidem non ab aliquibus tantum, sed ab omnibus, si,

ut creditur, Christus pro omnibus prorsus peccatis vere satisfecit, ac pœnas pependit. Nihil de eo nunc dico, quod ii ipsi, quibus satisfactio Christi fide interveniente dicitur applicari, nihilominus interdum pœnis temporariis afficiantur, & si Grotii sententia, quam paulo ante vidimus, vera est omnes morte temporaria puniantur. Quomodo ergo pro omnibus eorum delictis iuste fuit à Christo exacta satisfactio? nisi forte dicas, pœnam Christi solam ad perfectam eorum impunitatem non suffecisse, qua ratione nec satisfactio erit. Quare tantum abest, ut ejusmodi punitio sit demonstratio divinæ iustitiæ, aut hæc illius finis, ut una potius alteram evertat. Præterea, etiam si punitio illa Christi divinæ iustitiæ revera non repugnaret, non tamen hujus demonstratio finis istius esse posset, ea præsertim ratione, qua vult Grotius, nempe ut ea demonstratio in Christi morte, tanquam in proprio iustitiæ illius effectu, censeatur peracta. Nam si Deus rem tam arduam fecit iustitiæ suæ demonstrandæ causa, necesse est, ut ea non tantum ab injustitiæ crimine possit defendi, sed etiam ut ex ea unicuique facile singularis Dei iustitia appareat, non vero ita res sit comparata, ut dubitari merito possit, justane sit nec ne. At ejusmodi non est punitio innocentissimi pro nocentibus, & quidem iis, quos punire foret promptissimum, quod speciem saltem injustitiæ habere, ne ipsi quidem diffitebuntur adversarii: præsertim cum alias à viris doctis disputari soleat, liceatne alterum alterius loco corporali pœna afficere; eaque re Deus olim in Lege sua magistratibus interdixit Ezech. 18: de ea tanquam iniqua conquesti fuerint Israëlitarum apud Prophetam, nec Deus eam æquam esse responderit, sed potius ea se non usurum, neque adeo uti, asseruerit. Quare cum hæc res speciem saltem tantam injustitiæ habeat, eamque ab hoc crimine defendere sit necesse, quomodo ea iustitiæ divinæ demonstrandæ causa facta dici potest? Verum injustum id prorsus esse, cap. 4 ostendetur. Nunc porro videamus, quomodo sententiam suam probet Grotius.

Finis prior, inquit Partic. 76, indicatur à Paulo cum dicit de Christo: quem Deus constituit placamen (per fidem omisit Grotius) in sanguine ipsius ad demonstrationem iustitiæ suæ, propter dissimulationem peccatorum præcedentium in tolerantia Dei. Deinde addit verbis prope iisdem repetitis: ad demonstrationem iustitiæ suæ hoc tempore, ut sit ipse (omisit Grotius voces iustus, &c) justificans eum qui est ex fide Jesu Rom. 3. 25, 26. Hic proxime sanguini, id est, cruentæ morti connectitur finis ἵνα ἡ δικαιοσύνη αὐτοῦ.

At hic nec satisfactionis, nec punitionis Christi, cujus finis explicetur, sit mentio, sed primo placaminis, ut vertit Grotius, seu propitiatorii, de qua voce inf. cap. 7 agitur, & nullum ad satisfactionem istam demonstrandam robur habere ostendetur; tum sanguinis, hoc est, mortis cruentæ Christi, cui finem istum vult adscribi Grotius. Deinde nulla hic fit mentio iustitiæ divinæ punientis, seu istiusmodi proprietatis, quæ eum ad puniendum moveat. Præterea ex verbis Pauli non sequitur, sanguinem Christi esse illam ipsam divinæ iustitiæ demonstrationem, aut eam in ipso fuisse peractam, multo minus sanguinem

nem istum, seu mortem cruentam, proprium fuisse illius justitiæ effectum. Quod etsi ex iis, quæ paulo superius diximus, manifestum est, tamen ex eo quoque cernere potest Grotius, quod eadem illa verba, *ad demonstrationem justitiæ suæ*, proxime etiam subjiciantur illis: *propter dissimulationem præcedentium peccatorum in tolerantia Dei*. Atqui tantum abest ut Grotius concedat, vel tolerantiam Dei, vel dissimulationem peccatorum ante factorum in ista Dei tolerantia, esse effectum ejus justitiæ proprium, & hanc in illa demonstratam, ut alteram potius alteri opponat, quemadmodum ex sequentibus erit manifestum. Adde quod, etiamsi verba *ad demonstrationem justitiæ suæ* proxime connectantur sanguini, non tamen necesse est, ut ad sanguinem vel solum vel præcipue referantur, licet id alias concedi possit, nec quicquam sententiæ nostræ obsit. Possunt enim rectissime ad totum id referri, quod præcessit, atque in primis ad id, quod Deus Christum *per fidem*, non vero per opera Legis, constituerit propitiatorium, quemadmodum in lege ac Prophetis promiserat *ys. 21, 22*: unde fides ac justitia ejus postulabat, ut promissum exsolveret.

Sed, aliis missis, probare conatur Grotius Partic. 77, hic justitiam illam Dei, quæ eum ad puniendum moveat, intelligendam. Cui rei probandæ fundamenta quædam subternit. Primum ait: *Justitia Dei vocabulo non ea intelligenda est justitia, quam Deus in nobis operatur, aut quam nobis imputat, sed ea quæ in Deo est: sequitur enim: ut sit ipse justus, id est, ut justus esse apparet.*

At Apostolus verbis, *Ad demonstrationem justitiæ suæ hoc tempore*, non tantum subjunxit illa, *ut sit ipse justus*, sed etiam ista: *& justificans eum qui est ex fide Jesu*, quæ verba non debuit omittere Grotius, & siccitate pro concessio sumere, ea nihil ad explicationem istius justitiæ Dei pertinere. Nam licet verum sit, justitiæ Dei vocabulo illam potissimum hoc loco intelligendam, quæ in ipso Deo residet; nil tamen prohibet, quominus Apostolus etiam justificationem nostram per fidem, eodem nomine comprehendere voluerit, & sic tum causam tum effectum eadem voce exprimere, quamquam illam primo, hunc vero secundo, & veluti consequenter, quod ipso verborum ordine videtur significasse, dum justitiam illam Dei explicans primum ait, *ut sit ipse justus*, justitiam nempe in Deo residentem designans, deinde vero, *& justificans eum qui est ex fide Jesu*. Neque vero absurdum censi debet, sed potius elegans, & sacris scriptoribus, quos multa paucis comprehendere convenit, dignum, ut eadem verba duplicem habeant sensum, quorum unus ex altero, rei natura inspecta, sit aptus, aut ei analogus, alterque altero sit potior; maxime si ex verborum contextu de utroque constare possit, ut hoc loco accidit, ubi Apostolus ipse verba sua explicat. Et ne nunc Propheticos sermones allegem, in quibus, ut vulgo etiam notum est, sæpe duplex est sensus, alter historicus, alter mysticus; alter literalis, figuratus alter; etiamsi interdum uterque ad eandem personam pertineat, quemadmodum accidit in illo Esaiæ loco cap. 53. 4, qui tum de morbis corporis, tum de morbis animi, seu peccatis loquitur, ut partim ex Matth. 8. 17 constat, partim ex 1 Petr. 2. 24 & seqq. colligi

potest, quemadmodum omnes agnoscunt: Ut, inquam, istos mittam, habemus hujus rei exemplum in hac ipsa ad Rom. Epistola cap. 6. 8, ubi verba *simul vivemus cum eo*, nempe Christo, partim significant, quemadmodum Christus nunc vivit vitam novam, ita nos vitam novam, hoc est, piam ac sanctam acturos, vel potius (nam hæc futurorum apud Hebræos vis non raro esse solet) agere debere, ut ex scopo & cæteris Apostoli verbis tum antecedentibus tum subsequenter est manifestum: partim etiam significant, nos una cum Christo immortalis vitæ olim fore participes, ut indicat vox *credimus* iis præfixa, quæ de re ad officium nostrum pertinente, qualis est vita pia, ad quam ibi nos hortatur Apostolus, non satis commode adhibetur, nec alibi temere eodem modo usurpata reperitur. Hic ideo usurpata censi debet, ut, cum ad priorem sensum non satis recte posset accommodari, indicio esset, aliam adhuc iisdem verbis subesse sententiam. Idem fieri videtur in voce *resurrectionis*, versu quinto ejusdem capituli, quæ & de spiritali resurrectione, ad vitam Deo dignam, quæ in hoc seculo perfici debet, & de resurrectione ad vitam immortalem, olim demum futura, simul rectissime accipitur. Aliud exemplum habes 1 Corinth. 10. 16, in nomine *corporis Christi*, quod partim pro corpore ipsius proprie dicto, partim pro mystico, simul accipitur. Istud requirit oppositio inter corpus & sanguinem Christi: hoc postulant verba sequentia: *quia unus panis, unum corpus multi sumus*. Ut igitur ad locum nostrum redeamus, non est mirandum, vocabulum justitiæ divinæ duplici modo simul accipi: & per illam Dei justitiam, qua ipsemet justus est, intelligi, ut Beza quoque voluit, fidelitatem ac constantiam in servandis promissis, seu veracitatem, quam Grotius ipse inferius fatetur hoc nomine sæpe denotari, cujus rei exemplum reperitur supra hoc eodem cap. vers. 5, ubi justitia Dei dicitur id, quod vers. 3 fides Dei, *ys. 7* veritas Dei. Quin etiam in loco 1 Joh. 1. 9, qui ad hunc nostrum illustrandum non parum facit: *si confiteamur peccata nostra, fidelis est (Deus) & justus, ut remittat nobis peccata, & reparget nos ab omni iniquitate*. Ubi particula *Et* in utraque loci parte, non diversa connectit, sed, ut alibi sæpissime in Sacris Lit. accidit, eadem explicat. Idem nempe hoc loco Johanni est, fidelem esse, & justum; idem, remittere peccata, & repurgare ab omni iniquitate, ut ipse Grotius alibi docet. Unde illud etiam perspicitur, remissionem peccatorum, quæ cum justificatione nostra eadem est, justitiæ divinæ adscribi, tanquam effectum causæ, quod isto quoque loco ad Rom. non obscure indicatur. Ea autem cum justitia puniente, quam Grotius urget, nihil habet commune. Quod ad justificationem nostram attinet, quam Auctor annotat. in Bibl. Vatabli hoc loco voce *justitia Dei* significari scripsit, quamque nos, monente ipso Apostolo, cum priore significatione jungimus, eam isto nomine designari solere, patet ex illis hujus cap. verbis, ex quibus ea, de quibus nunc agimus, pendent. Ea vero extant *ys. 20, 21*, *nunc autem sine lege justitia Dei revelata est, testimonium habens à Lege & Prophetis, justitia autem Dei per fidem, in omnes & super omnes credentes*. Eandem significationem de-

prehendes sup. cap. 1 hujus Epist. v. 17. & 10. 3. Sed concedamus nunc Grotio, vocabulo justitiæ Dei eam tantum esse intelligendam, quæ in ipso Deo est: videamus quid porro dicat.

Ait igitur Partic. 78: *Justitia hæc Dei, id est, reſtitutio, pro diverſis objectis diverſos habet effectus. Circa bene aut malefacta creatura effectus ejus inter ceteros est ἀντιπόδης: (in margine ſcribit: contra Socinus c. 1. lib. 1. paragr. Dico igitur.)* Ad quod probandum non pauca Sacrarum Literarum testimonia affert. Quibus subjungit: *Scimus justitiæ nomine sæpe veracitatem, sæpe etiam imitæm significari: sed cum ea voce, ut multis jam testimoniis ostensum est, etiam illa Dei proprietatis indicetur, quæ Deum movet ad peccata puniendā, & quæ in ipsa peccatorum punitione demonstratur, dicimus hanc significationem esse hujus loci propriam.*

Si posteriora Grotii verba cum prioribus recte consentiunt, necesse est utrobique Justitiæ nomine Reſtitutio quidem intelligatur, verum ad certum effectum, hoc est ad punitionem reſtricta; unde veluti nova ac specialior ejus vocis oritur significatio, quam in posterioribus verbis expressit Grotius. Nos in verbis Pauli, de quibus agitur, nec Reſtitutionem absolute sumtam, nec ad punitionem reſtrictam, arbitramur intelligendam, licet, ut antea vidimus, utrumque concedi à nobis possit. Sed præterea nullam ejusmodi in Deo proprietatem, h. e. qualitatem in ipso perpetuo residentem, esse censemus, quæ Deum ad peccata puniendā simpliciter atque in universum moveat, adeoque nec Reſtitutionis, quæ Dei est proprietas, in ipso perpetuo residens, id munus esse arbitramur: sed id, quod in ipso existens, eum ad peccata puniendā simpliciter movet, iram ac severitatem, misericordiæ oppositam, esse statuimus, quæ non proprietas est in Deo perpetuo residens, sed veluti effectus quidam ipsius, & liberæ voluntatis effectus. Unde, testantibus Sacris Literis, nunc irascitur Deus, nunc irasci desinit. Interim haudquaquam negamus, Dei justitiā ac Reſtitutionem, ut in cæteris omnibus ipsius operibus, ita etiam in pœnis cerni, earumque modum gubernare, ut postea melius intelligetur. Nul- lum enim Dei opus à justitiā discedere potest. Itaque sive puniat Deus, sive pœnas condonet, juste id semper facit. Deinde nec illud negamus, Reſtitutionem ac justitiā Dei nonnunquam eum ad peccata puniendā movere, eorum nempe, quibus veniam non concedere non modo æquitati per se est admodum consentaneum, verum etiam decretis divinis, ut ita loquar, debitum, quales sunt homines non reſipiscen- tes atque in peccatis contumaciter perseverantes, quemadmodum Socinus eo loco, quem Grotius no- tavit, docuerat; maxime, si ipsum peccati genus, in quo persistunt, insignem animi malitiam, aut aper- tum divinæ majestatis contemptum spiret. Si enim hu- jusmodi hominibus venia concederetur, facile supre- mi reſtoris majestas, ex qua ordo universitatis pen- det, & Legum ab ipso latorum auctoritas evileſce- ret, & gloria ipsius, quæ præcipuus operum ejus omnium finis est, minueretur. Esse autem aliquam in Deo justitiā, quæ Deum etiam ad reſipiscen- tium peccata, si non in iis ipsis, saltem in alio aliquo puniendā moveat, id nulla nec ratione, nec Sacrarum Literarum auctoritate probari potest.

Quare ut ad rationes Grotii contra Socinum alla- tas respondeamus, dicimus, ἀντιπόδης seu retribu- tionem circa bene aut malefacta creaturæ tum de- mum esse effectum reſtitutionis ac justitiæ divinæ, ita ut hæc ad ipsum retribuendi actum Deum mo- veat, cum vel decretum, vel id quod decreti vim habet, interceſſit. Quo referri potest primus locus à Grotio citatus 2 Theſſ. 1. 6, ubi non tantum dicitur, justum esse apud Deum, reddere iis, qui affligebant fideles istos, afflictionem: sed in eadem verborum complexione additur, justum quoque esse apud Deum, reddere illis, qui tum affligebantur, requiem una cum Apostolo aliisque piis, in revelatione Do- mini Jesu. Requies vero illa in Dei regno consistit, pro quo illi patiebantur, vers. præced. At ideo justum est, ut Deus iis, qui pietatis causa affliguntur, reddat regnum suum, quia id decrevit ac promisit: non quia id justitiā Dei per seipsam exigat. Siquidem afflictio- nes hujus temporis, ut idem Apostolus ait Rom. 8. 18, non sunt dignæ gloria illa futura, nullaque est proportio inter momentaneam afflictionis nostræ le- vitatem, & æternum illud ac supra modum excel- lens gloriæ pondus 2 Cor. 4. 17, quod ea ratione pa- ratur; adeoque cum nullum hic nostrum sit meri- tum, si proprie loquamur, non justitiā Dei, semoto ipsius decreto ac promisso, sed sola Dei misericordia eum ad id faciendum impellit: at postquam decretum intervenit etiam justitiā. Quare nil prohibet, quo- minus in opposito etiam membro recte dici possit, non simpliciter Dei justitiā pœnam istorum, qui Christianos persequuntur, postulare, sed postquam Dei decretum ea de re interceſſit. Intelligendum au- tem est, sermonem hic esse de hominibus istis, qua- tenus non reſipiscunt, aut ex mera malitia, non vero ignorantes id faciunt: nam alias etiam eos, qui pios persequuntur, sed ignorantes, & postea reſipiscunt, veniam suorum peccatorum consequi, documento est Paulus 1 Tim. 1. 13, 16, qui se in exemplum lon- ganimitatis Christi hac in parte propositum asserit. Nec est, quod quis dicat, diversam hic esse præmio- rum ac pœnarum rationem: cum præmium, præ- fertim tam divinum, apud Deum proprie loquendo mereri nullo pacto possimus, pœnam vero merea- mur. Quare justitiā ad præmium quidem persol- vendum per se non impellere Deum, ad pœnam au- tem per se impellere. Nam etsi quis pœnam proprie loquendo mereatur, potest tamen ea salva justitiā, idque sæpe summa cum clementiæ laude, remitti ab eo, de cujus jure agitur, qualis in nostro negotio est Deus. Dissimilis nempe ratio est eorum, qui præ- mium merentur, & eorum qui pœnam: isti sibi jus acquirunt, hi non sibi, sed parti offensæ. Itaque, cum ad jus suum persequendum nemo justitiæ vi per se adigatur, quemadmodum justitiā non movet eum, qui præmium meretur, ad istud repetendum; ita nec partem offensam, ad pœnam de altero sumen- dam. Quod si eam nihilominus justitiā ad pœnam su- mendam impellat, id per accidens (v. g. ob decretum aliquod) fieri censendum est, quemadmodum etiam fit, cum movet ad præmium ei, qui vere non mere- tur, persolvendum. Idem, quod de loco ad Theſ. diximus, responderi potest ad locum Rom. 2. 5, qui apud Grotium quartus est, ubi sermo est de *justo judicio Dei*,

Dei, qui reddet unicuique secundum opera ipsius, illis quidem qui secundum perseverantiam boni operis gloriam & honorem & incorruptibilitatem querunt, vitam æternam: iis autem, qui ex contentione, & qui non obediunt veritati, obediunt autem injustitiæ, indignatio & ira, afflictio & angustia super omnem animam hominis operantis malum, &c. Nam justitia Dei æque ad præmia & pœnas hoc loco extenditur. Atqui ut de afflictionibus Christianorum modo dicebamus, eas tantum præmium haudquaquam mereri, adeoque Deum, semoto ipsius decreto, justitiæ vi non impelli ad id nobis persolvendum: idem de cæteris nostris recte factis statuendum est. Unde Christus ait Luc. 17, nos, postquam omnia fecerimus, quæ nobis sunt præcepta, dicere debere, servi sumus inutiles, quia id fecimus, quod debebamus, seu ad quod faciendum omnino eramus obstricti; cum quanti quanti sumus, Deisimus, & ipsius creationis vi, ejus servi ac mancipia, adeo ut nulla nobis pro obedientia debeatur merces, nedum infinita pro labore & parvi temporis, & per se imperfecto ac manco. Quare non nisi decreto Dei posito ad tantum præmium nobis persolvendum justitia eum impellit: quod etiam de pœna intelligi potest. Quod vero hoc loco eadem dies dicatur iræ, & justiciæ Dei, in quo Grotius aliquod sententiæ suæ firmamentum ponit, id nihil aliud, quod ad nostrum negotium attinet, evincit, quam Deum etiam in ira, hoc est, in pœna justitiam observaturum, quod nec Grotii causam juvat, nec nostræ obest. Quod si id voluit concludere, iram Dei, & justum Dei judicium, aut, quod amplius est, ipsam Dei justitiam, pro iisdem ibi sumi, vehementer falsus est; cum ibi justum Dei judicium etiam ad præmii quo per nos ipsos indigni sumus, persolutionem extenditur. Et autem, quod ad pœnam attinet, ibi sermo de hominibus non resipiscentibus & veritati reluctantibus, ut tum hæc ipsa, quæ attulimus, tum præcedentia Apostoli verba satis ostendunt. Eodem referri possunt alia quædam loca à Grotio citata, ut ille Act. 17. 31, ubi extremum judicium dicitur futurum in justitia: & Apocal. 19. 11, ubi Christus dicitur in justitia judicare ac pugnare; & cap. 16. 5, ubi Dominus dicitur justus, quod ista judicavit, de quibus ibi sermo; & vers. 7, ubi judicia ejus justa pronunciantur. Quin etiam iste Rom. 3. 8: *quorum judicium justum est*. In omnibus enim istis agitur de hominibus non resipiscentibus, quos punire Deo decretum est.

Hactenus ita respondimus, ac si pleraque loca à Grotio allata evincerent, ipsam punitionem certorum hominum esse justitiæ divinæ effectum. At, si primum locum excipias, cætera id haudquaquam probant; sed tantum ostendunt, justitiam Dei in pœnis etiam cerni, & modum in iis legitimum observare. Quod perinde est ac si diceret, punitionem per se consideratam, non quidem effectum esse justitiæ ac rectitudinis divinæ, sed objectum ac materiam, in qua occupetur: modum vero pœnæ, justitiæ effectum esse, quatenus nempe cavet, ne quis vel absque merito suo, vel ultra meritum puniatur, nec ulla sit hac in re *αποσιτισία*, cui in loco Rom. 2, paulo ante examinato, justitia, quæ in divino judicio sit apparitura, potissimum opponitur, ut apparet præter alia ex vers. 11. Nam quod attinet ad locum Apoc. 16. 5,

licet is perinde possit accipi, ac si dictum esset, justus es Domine, quia hæc scelera punivisti, unde concludi potest, istam ipsam punitionem justitiæ divinæ effectum constitui: non tamen necesse est, eo modo verba ista sumere. Neque enim particula *hæc*, in verbis, *quia hæc judicasti*, omnino referenda est ad peccata, quæ puniantur; cum possit etiam de certo isto pœnarum genere, cujus mentio proxime præcesserat, & quod tunc ante oculos versabatur, atque adeo de modo supplicii istius divini, qui delicto sit convenientissimus, intelligi; vox vero *judicandi*, accipi queat pro *decernere*, aut *facienda statuere*. Quam sententiam in sua interpretatione perspicue expressit Castellio, dum ita locum convertit: *Justus es Domine &c. qui hæc ita facienda judicaveris, ut qui sanctorum vatumque sanguinem effundebant, eis sanguinem potandum dederis, ut digni sunt*. Vel, eodem manente sensu, potest verbum *judicare* sumi pro *punire*, & in voce *ταῦτα*, *hæc*, subaudiri *κατὰ, secundum*; quæ ellipsis & usitata est, & elegans, ut vulgo notum est, ejusque exempla etiam in Nov. Test. occurrunt, atque inter alia Philip. 2. 18, ubi Beza, consentientibus etiam aliis viris doctis, voculas *τὸ αὐτὸ* interpretatur *eadem*, atque ad hunc modum ibidem scribit, subaudiendum esse *κατὰ, secundum*, ut *τὸ αὐτὸ* idem declaret quod *αὐτῶντος* *eadem*. Quare similiter *ταῦτα* *hæc* in loco nostro sumi potest pro *κατὰ ταῦτα secundum hæc*, seu *ut sic*, ut de modo supplicii divini intelligatur. Quo pacto hæc verba Fr. Riberam, virum cum primis doctum & linguarum peritum, accepisse apparet ex brevi eorum paraphrasi, quam ponit, quæ quidem est hujusmodi. *O Domine, qui semper fuisti &c. justus es, quoniam ita judicasti*. Sed quid aliorum conquirimus testimonia, cum ipse Grotius infra cap. 2 hæc verba hoc pacto citet: *Justus est Domine quod sic judicasti?* Requirit hunc sensum sequentia, in quibus ratio quædam istorum continetur; *Quia sanguinem sanctorum & Prophetarum effuderunt, sanguinem dedisti illis bibere, digni enim sunt*. Ubi non simpliciter, cur homines istos punierit Deus, sed cur hoc pacto punierit, ratio redditur. Quo accedit, quod hujusmodi divinæ justitiæ celebratio nec plagæ primæ, nec cæteris, quæ hoc capite recensentur, fuerit subiecta, aut ad finem omnium rejecta, sed tantum huic tertiæ, & simul etiam secundæ, in quibus Deus sanguine impios punivisse dicitur, subiecta; ut facile appareat, in hac justitiæ divinæ prædicatione ad certum supplicii divini modum respici. q. d. Justum te esse apparet Domine, siquidem hoc pacto in homines istos impios animadvertisti, nam qua re peccarunt, eadem illos punivisti: sanguinem sanctorum ac Prophetarum effuderunt: sanguine illos vicissim potasti; adeoque plane dignum illorum scelere supplicium de illis sumfisti. Itaque nec illud concedendum est Grotio, quod ait, ideo Deum justum, illiusque judicia justa hoc loco dici, quod in peccata severe animadverterit. Non enim, ut vidimus, ob severitatem animadversionis revera, sed ob convenientem ejus modum, qui eorum sceleri egregie respondebat Deus justus, ejusque judicia justa pronunciantur.

Quod ad cætera loca attinet, in iis nihil aliud dicitur, quam Dei judicium aut pœnam justam esse, aut Deum ac Christum injustitia, h. e. cum justitia,

sive iuste judicare ac pugnare: quod non significat, Deum justitiæ vi ad pœnas exigendas impelli; sed tantum pœnas divinas cum justitiæ norma usquequaque congruere: adeo ut non punitio ipsa per se sumta, sed legitimus illius modus ac ratio, justitiæ effectus censeretur debet, & salva istorum verborum veritate, punitio quidem penitus possit prætermitti, sed, si tamen ea Deus uti velit, modus is omnino sit observandus. Quod quo fiat clarius, & sensus locorum à Grotio allatorum melius percipiatur, animadvertenda est ambiguitas vocis *justi*. Justum enim duobus modis sumitur, nunc pro eo, quod ut fiat æquum est, seu quod jure fieri debet, nunc pro eo, quod licet, seu quod jure fieri potest. Ad illud faciendum justitia prorsus impellit: hoc tantum permittit; aut si etiam impellit, id facit per accidens. Isto modo justum est, debitum reddere, eos de quibus puniendis decretum immutabile factum est, punire: & hoc pacto sumi videtur ea vox in isto loco 2 Thess. 1. 6. Hoc vero altero modo justum est, debitum, aut pœnam, in qua tuum tantum jus agatur, vel repetere, vel condonare, de tuo alteri vel largiri, vel non largiri. Hoc pacto inter alia dicitur Hebr. 2. 2, qui secundus est locus à Grotio citatus, *omnis transgressio & inobedientia nempe adversus legem) accepit* (Grotius habet *accipit*) *justam mercedis retributionem*. Non enim ideo justa dicitur retributio, quod justitia eam requireret ac postularet, (poterat enim salva justitia non raro prætermitti, ut in Davide factum videmus) sed quod ea cum justitia congrueret, & ii, qui pœnam sustinebant, eam jure meritoque perferrent.

Quod vero Grotius inter alia ait Apoc. 19. 11, *in justitia judicare*, esse severe vindicare, id neque probatur voce pugnandi, quæ additur, nec magis iis, quæ paulo post sequuntur vers. 15, ut Grotius arbitratur. Nihil enim ex iis aliud sequitur, quam fidelem istum ac veracem, etiam tum, cum severe punit ac pugnat, justitia uti: non vero ipsam severitatem justitiæ voce exprimi.

Sed habet adhuc alia Grotius Partic. 79, quibus probet, justitiæ divinæ effectum esse peccatorum punitionem, intellige absolute sumtam, ita enim porro scribit: *Unde & Δίκη vocatur tum illa ipsa justitia Dei puniens Act. 28. 4, tum pœna per eam illata 2 Thess. 1. 9. Jud. vers. 7. Et δικαιοσύνη τῆ θεοῦ explicatur à Paulo hoc esse, quod qui mala committunt aut approbant digni sunt morte Rom. 1. 22. His παρῶνται sunt ἔνδικον punitor Rom. 13. 4. 1 Thes. 4. 6, & ἡ ἐνδίκησις pœna exactio Luc. 21. 22. 2 Thessal. 1. 8. 1 Petr. 2. 14, cujus vis explicatur verbo ἀνταποδόναι Rom. 12. 19. Hebr. 10. 30.*

Mirum est Grotium verba Act. 28. 4, ad id, quod inter nos controversum est, probandum attulisse. Nam primum verba ibi recensentur non divini alicujus viri, aut hominum eorum, qui rerum divinarum gnari, de iis recte loqui didicissent, sed barbarorum paganorumque, qui cum Paulum homicidam ex viperæ morfu collegissent, mox mutati Deum esse crediderunt. Deinde ibi vox Δίκη rectissime reddi potest Ultio, quemadmodum à pluribus interpretibus factum videmus. Per Ultionem autem divinam justitiam seu Rectitudinem intelligendam,

unde constat? imo hoc ipsum revera est, de quo inter nos controversitur. Non injuria autem Beza, licet ea voce etiam jus & fas significari posse arbitretur, Nemesis hoc loco ab Ethnicis istis putat intelligi, quam ipsi pro Dea quadam habuerunt; cui illud quoque consentit, quod Grotius inf. cap. 4 ait Δίκη filiam quandam Jovis fuisse à Poëtis constitutam. Δίκη pœnam significare novimus: verum eadem quoque significat jus fas, quæ significatio cum justitiæ universæ naturam attingat, & totum ejus ambitum complectatur, dubium non est, quin ab hac potius quam ab illa, significatio vocis justitiæ sit deducenda. Ne de eo nunc quicquam dicamus, quod sacri scriptores N. Test. potius ad vim vocum Hebraicarum, quibus Græcæ aliquo modo respondent, quam ad etymologiam nominum Græcorum respexerint. Unde factum ut δικαιοσύνη etiam sumatur pro beneficentia, ut 2 Cor. 9. 9, & quod ab aliarum quoque linguarum consuetudine non videtur abhorrere, pro singulari quadam æquitate, quæ severitati ac rigori opponitur, ut tum ex contrario apparet Hebr. 6. 10, tum ex eo, quod à Matthæo cap. 1. 19 hæc causa non obscure indicatur, cur Joseph noluerit in Maria exemplum aliquod statuere, licet eam manifesti flagitii putaret teneri, & gravi supplicio dignam, quia vir esset δίκαιος seu justus: nisi quis malit hoc loco justum pro viro bono accipere, cujus proprium sit, facilem esse ad condonandum, & ad aliena delicta regendum. Mitto & illud, quod nos fateamur, punitionem interdum justitiæ effectum esse, non modo in iudiciis omnibus, qui de alieno jure agunt, sed etiam in ipso Deo. Ex quibus patet etiam responsio ad illa, quæ de paronymis vocis Δίκη subjicit Grotius.

Quod ad locum Rom. 1. 32, attinet, is itidem Grotium nil juvat. Nam nec δικαιοσύνη τῆ θεοῦ ipsam Dei justitiam significat, quemadmodum præter rem ipsam docet Beza, sed jus ab ipso, non sibi, sed aliis positum, quo ipse non obstringitur: nec de ipso puniendi actu, sed de dignitate pœnæ, ac merito eorum, qui peccant, est sermo. Unde non consequitur, Deum justitiæ vi ad homines istos, de quibus sermo est, puniendos impelli, sed eos jure mortis supplicio afficere posse; id quod Grotium nil juvat.

Cum ergo Grotius nullo Scripturæ loco eam justitiæ divinæ significationem aut vim, quam urget, ostendere potuerit: illa autem, quam nos volumus, supra fuerit à nobis comprobata, & à Grotio agnita, facile est judicare, utra alteri sit præferenda, & in loco Rom. 3 accipienda. Sed videamus tamen, an forte ex loci circumstantiis illam significationem evincat Grotius.

Postquam ergo dixisset Partic. 80, *etiam illam Dei proprietatem, quæ Deum movet ad peccata puniendā, & quæ in ipsa peccatorum punitione demonstratur, justitia nomine indicari, & hanc significationem hujus esse loci propriam*; ita subjicit: *Opponuntur enim diversa tempora, nempe ante Christum, & Christi tempus: priori tempori tribuitur παράσις peccatorum, quæ explicatur voce ἀνοχῆς. Παρσις non remissionem sed transmissionem significat, cui recte additur ἀνοχῆς sustentatio, qua voce indulcias etiam Græci appellant, quod per eas ad tempus inhibeatur*

inhibeatur bellum. Huic transmissioni atque inhibitioni opponitur demonstratio talis iustitiæ, qua Deus suus iustus, id est iustus appareat. Olim cum Deus pleraque peccata impunita transmitteret, non satis apparebat ipseus ἀντιποδοτής. Tandem ergo ostendit, quam iustus esset ἀντιποδοτής, cum filium suum voluit hoc nomine sanguinem fundere, ut placamen fieret generis humani, redimeretque omnes eos, qui unquam credidissent, aut essent in Deum credituri.

Opponuntur quidem hic duo tempora, ante Christum, & Christi tempus; sed tempori ante Christum tribui παράσις peccatorum, licet concedi possit, nihil tamen est quod evincat. Satis enim est ad veritatem verborum Apostolicorum, ut eo tempore, quod Christum antecessit, peccata dicantur facta in Dei tolerantia: istorum autem peccatorum παράσις ipseus Christi tempore fieri potuit. Nam nec Apostolus affirmat, eodem tempore commissa, & transmissa peccata, nec res ipsa id postulat: cum possint peccata etiam longe ante admissa, & per tempus aliquod, ut Sacrae Literæ loquuntur, retenta, postmodum demum impunita transmitti, quam vim vocis παράσις esse vult Grotius. Verum quidem est, παράσις transmissionem significare: sed quid prohibet, quominus utraque vox, tum Græca tum Latina, pro remissione accipiat? Nam cum delictum aliquod impunitum dimittimus, & ejus rationem habere nolumus, quæ remissionis natura est, an non recte illud παρέλας seu transmittere dici possumus? non minus vox παρέλας quam ἀφίεναι adversatur τῇ κατὰ, hoc est, retinere, quod de peccatis usurpatum, eorum remissioni seu condonationi opponitur Johan. 20. 23: qua de re videatur ipse Grotius inf. cap. 2. Unde Beza ad hunc locum Rom 3 ita scribit: παράσις accipio pro ἀφίεναι. Quia verbum παρέλας interdum etiam declarat condonare, & de suo jure aliquid remittere. Sed largiamur nunc Grotio utrumque, h. e. παράσις non significare remissionem, & eam tribui tempori, quod Christum antecessit, nil tamen id Grotii causam juvat. Poterit enim ea voce denotari illa Dei, ut ita dicam, conniventia, seu, quo nomine supra usus est Grotius in nostro ad Rom. loco ad vim παράσις exprimentam, dissimulatio, qualis intelligitur Actor. 17. 30, quem locum Beza quoque cum hoc nostro confert, licet eum paulo aliter videatur accipere; ubi dicitur, quod Deus ignorantia tempora dissimularit (ita namque verbum ὑπελάθην transulerunt interpretes) nunc autem denunciaret omnibus ubique hominibus ut respiciant. Quod cap. 14. 16 ita extulerat idem Apostolus: Qui (Deus) præteritis ætatibus servit omnes gentes suis ipsorum viis ambulare. Quo admissio, sensus verborum Pauli erit: Deum, cum Christum constituit propitiatorium per fidem, in ipsius sanguine, fidem suam in servandis promissis, & rationem, qua nos justificare velit, insigniter demonstrasse, quia proximis ante temporibus, magna usus patientia, permiserit, ut homines gravissima designarent scelera, & in omne nefas impune ruerent, eum in finem, ut postea amplissimam haberet occasionem ac materiam, iustitiam suam, h. e. fidem suam, & justificationem, qua hoc tempore usus esset, apertissime demonstrandi; qua re tunc inprimis erat opus, cum Fœdus Novum, in quo gratuitam justificationem per

fidem obtinendam omnibus offert, promulgaret ac sanciret, ut ita ab ipso statim initio, illustri documento comprobata Dei fides ac benignitas in remittendis peccatis, ad reliqua omnia novi Fœderis tempora manaret, & omnes homines in eam spem erigeret, fore, ut sibi quoque peccata, si in Christum credant, condonentur. Itaque Deus tale huic rei tempus aliquo pacto quæsit, quo homines gravissimorum scelerum essent rei, ut ex quibusdam Sacrarum Literarum locis colligi potest Rom. 5. 6, 8. 2 Tim. 1. 15, 16. Matth. 9. 13. xviii. 11. Luc. 15. 4 & seqq. xix. 10. Solet namque Deus ad exferendas proprietates aliaque attributa sua insignia, ea nonnunquam permittere, & patienter tolerare, quæ ipsi alias vehementer displicent, maxime autem ad benignitatis suæ, cui vicina est ipsius fides in servandis promissis, demonstrationem, ex qua maxima ad ipsum redit gloria, cujus causa facit omnia, quæ facit. At nulla est major Dei benignitas ea, quæ Novo Fœdere est comprehensa, & morte Christi contestata. Quare illius commendandæ, & simul fidei suæ, quæ in ea recernitur, comprobandæ causa multa toleravit Deus. Huc aliquo modo spectant illa Apostoli inf. cap. 5. 20. *Lex subintravit, ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia* &c. & ista cap. 11. 32: *Conclusit Deus omnes sub inobedientiam, ut omnium misereatur.* Quamquam prior locus de reatu peccati, & vi, quam ad homines damnandos haberet, potissimum loquitur, & neuter locus vult, Deum homines innocentes, aut nihil tale cogitantes, in peccata sponte sua impulisse, quod ab ipsius bonitate est alienissimum. Qua de re nunc non est differendi locus. Idem revera loci nostri erit sensus, si Bezæ interpretationem sequutus, voces ἀφ' ἧς παράσις vertas per remissionem. Nam verba sequentia, *peccatorum antea factorum in Dei tolerantia*, istam, quam diximus Dei conniventiam & dissimulationem nihilominus comprehendunt.

Quod vero Grotius ait, huic παράσις peccatorum opponi demonstrationem iustitiæ divinæ, unde constat? Apostoli verba alteram alterius causam constituunt: alteram opponi alteri, ne obscure quidem indicant.

Istud etiam manifestum errorem continet, quod ait Grotius, ante Christum, intellige ab ipsa usque mundi origine, (nam ad omnia tempora, quæ Christum antecesserunt, respicere Grotium, ex sequentibus ejus verbis est manifestum) Deum pleraque peccata impunita transmisisse, nec satis tum apparuisse ipsius τὸ ἀντιποδοτής, retributivum tandem vero ostendisse, quam iustus sit ἀντιποδοτής, retributor Christo pro nobis punito. Quid enim? an non gravissima pœnarum divinitus peccatoribus inflictarum ante Christum extabant exempla? An Sacri Scriptores Novi Testam. cum docere volunt, Deum in peccata severe solere animadvertere, Christo pro nobis puniri exemplum potissimum urgent atque inculcant? Id quidem faciendum fuisset, si vera esset Grotii sententia. At, licet aliquod severitatis divinæ ex morte Christi possit duci argumentum, id ab illis factum nusquam legimus, sed potius ea, quæ ante Christum extiterunt, divinarum suppliciorum exempla ab iis videmus produci. Paulus 1. ad Corinthios 10, metu pœnarum eos à peccatis dehortaturus, pro-

prolixè recenseret pœnas populo Israëlítico in deserto à Deo inflictas, quod facit etiam ex parte Auctor divinus Epist. ad Hebr. cap. 3 & 4. & Judas 21. 5. Petrus 2. Ep. 2. exemplum commemorat angelorum punitorum, quod facit etiam Judas, tum mundi antiqui diluvio extincti, Sodomæ item ac Gomorrhæ in cineres redactæ, quod exemplum eorum, qui impie victuri essent, positum ait. Quid? an non expresse ait divinus scriptor Hebr. 2. 2, *Illum per angelos dictum sermonem* (h. e. Legem) *factum esse firmum, & omnem transgressionem & inobedientiam accepisse justam mercedis retributionem?* Quæ verba Grotius paulo superius citavit. Atque hæc imprimis causa est cur Lex opponatur Gratiae Joh. 1. 17. Rom. 6. 14, 15, & ii qui sub Lege vixerunt, dicantur accepisse Spiritum servitutis in timorem Rom. 8. 11. Præterea quam pauci fuerunt ab initio mundi, qui æternam mortem effugerent? Ait enim Paulus inf. cap. 5, *In omnes homines mortem pertransiisse, quatenus omnes peccaverint. Nam usque ad Legem peccatum fuisse in mundo*, v. 12, 13, & mox: *regnasse mortem ab Adamo usque ad Moysen etiam super eos, qui non peccaverant in similitudine transgressionis Adami.* De morte autem æternâ hic sermonem esse, supra docuimus. Quid sub Lege, ubi Deus, repudiatis gentibus, unde eas generatim omnes perire fuit necesse, solis Israëlitis judicia sua revelavit, an minus regnavit mors in homines? Imo vero magis, auctis peccati viribus, ut docet Paulus eodem cap. 5. Rom. v. 20, 21, quo pertinent prope omnia, quæ scribuntur cap. 7. à v. 5 usque ad finem capituli. Nam v. 5, unde initium quoddam ducitur eorum, quæ sequuntur, ait Apostolus: *Cum essemus in carne, passionibus peccatorum, quæ per Legem, operabantur in membris nostris, ad hoc ut fructum ferremus morti*, &c. Cui conditioni adeo miseræ opponitur cap. 8 libertas à Lege peccati & mortis, quæ per Christum contingit. Sub Lege vigeat vox ista: *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea.* Ubi per Maledictionem Grotius ipse præcipue mortem æternam intelligit. Quis autem sub hoc edicto Legis non continebatur? Adde quod Grotius vult, * cum sub Lege nonnunquam graviorum delictorum impunitatem consecutus esset ipse nocens, pœnam nihilominus in alios fuisse translata: quin etiam ea peccata, quæ vi Fœderis expiari solebant, non fuisse condonata, nisi victima pœnas luisset, atque eo pacto satisfecisset Deo. Ne id nunc repetam, quod § supra vidimus, Grotium velle, mortem temporariam omnium hominum esse peccati pœnam. Qua ratione igitur τὸ αἰώνιον ποινὴν Dei in peccatis vindicandis ante Christum non satis fuit conspectum, ut necesse fuerit, in Christo exemplum pœnæ statuere, quo iustitia illa puniens innotesceret ac demonstraretur? An non contrarium potius apparet, nempe istiusmodi exemplo minime fuisse opus, sed post tot severitatis divinæ testimonia & exempla, opus fuisse argumento illustri amoris Dei adversum peccatores, quos antea tam severe punivisset, & quibus in Lege maledictionem æternamque mortem fuisset comminatus, ut ita omnes homines perpetuo spem remissionis ac salutis æternæ firmam concii-

* Cap. 5. pag. 36. cap. 6. pag. 38. § Supra pag. 8 & 9. cap. 6. pag. 38. cap. 10. pag. 62. & seqq.

pere possent, quod sane factum est Christo in mortem tradito.

Unde vero Grotius probat, *Christum morti debuisse, ut redimeret etiam eos, qui unquam credidissent in Deum?* licet enim aliqua ratione concedi possit, ut cap. 6 videbimus, Christum morte sua redemisse etiam eos, qui ab initio mundi in Deum crediderunt: non tamen hic revera mortis Christi finis fuit, nec de eo hic loquitur Apostolus. Nam, ut ex ejus verbis constat, de redemptione loquitur eorum, ad quos justificatio, qua de agit, spectat. Hæc vero ad eos pertinere dicitur, qui habent fidem Jesu Christi vers. 22, 26. At nihil constat, eos qui ab initio mundi crediderunt in Deum, fidem Jesu Christi habuisse. Fidem illam paulo post, quamquam perperam, describens Grotius, ait, eam esse, qua credatur sanguinem Christi ad Deum placandum esse fufum. Hanc habuisse veteres, quis Sacrarum Literarum locus docet? Evolvatur universus sacer codex, nihil tale reperietur, etiam fidei, ob quam prisci Deo placuerint, non semel fiat mentio. Auctor ep. Hebr. cap. xi prolixè de ea differens, non modo non commemorat, eos Christi sanguinem ad Deum placandum fufum credidisse; sed ne mortis quidem, aut Christi, in fide illa describenda ullam facit mentionem: sed hanc fuisse ait, quod crediderint, Deum esse, & esse remuneratorem eorum, qui ipsum quærunt, hoc est, qui ipsi obtemperant, & hac ratione ipsius gratiam ambiunt vers. 6. Abrahamus pater fuit credentium, nec semel ejus commemoratur fides. Sed quænam ea fuisse scribitur? Primo quod Deo è patria ipsum exire jubenti, in locum, quem ipsi ostensurus esset, paruerit, nesciens quo iret Genes. 12. 1, 4. Hebr. xi. 8, 9, 10. Deinde quod Deo copiosissimam prolem promittenti crediderit, licet alias magnæ essent dubitandi causæ Genes. 15, 5, 6. Rom. 4. 18 & seqq. Heb. xi. 11, 12. Denique quod non renuerit filium suum unigenitum, ex quo tam copiosa proles illi debebat nasci, Deo jubente, jugulare & offerre, credens, quod Deus possit etiam mortuos excitare Rom. 4. 17. Hebr. xi. 17 & seqq. Jac. 2. 21, 22, 23. Fides etiam Rahab commemoratur, quæ certe non fuit fides Jesu Christi Hebr. xi. 30. Jac. 2. 25. Nihil ergo locus Pauli ad eos pertinet, qui ab initio mundi in Deum crediderunt.

Pergit Grotius Partic. 81: *Sane vox sanguinis, placaminis, atque etiam redemptionis ostendunt, non de sola bonitatis testatione hic agi.*

Primum non de sola bonitatis divinæ testatione, sed de fidelitatis ac veracitatis Dei, ac simul etiam de justificationis nostræ demonstratione Pauli verba accipimus. Deinde, cur voces istæ, quas urget Grotius, etiam ad solius bonitatis testationem referri non queant? Sanguinis enim ideo fieri potuit mentio, atque adeo nostra sententia, facta est, quia eo benignissima Dei voluntas de salute ac justificatione per fidem obtinenda fuit obsignata. Placamen seu propitiatorium ideo Christus dicitur, quia in eo Deus propitium se omnibus ostendit, & rationem, qua ipsum propitium reipsa experiri possemus, demonstravit. Redemptio denique laborem, curam atque impendium ab ipso Deo per Christum in nos liberandos factum designat: quæ omnia an non sum.

summam Dei bonitatem demonstrant? sed de his plenius agetur infra cap. 7 & 8.

Subjicit Grotius Partic. 82: *Conjunctus* (Apostolus) *impetrationem cum applicatione: impetratio est per sanguinem, applicatio per fidem: recteque dicitur illa ipsa, de qua agimus, Dei justitia manifesta fieri per fidem: illam nimirum, quæ Christi sanguis ad Deum placandum fusus creditur; quæ fides omnium operum gloriationem, omnem in Lege fiduciam penitus excludit.*

At nulla est apud Apostolum impetrationis, quam Grotius intelligit, mentio, nec aperta nec tacita; imo Apostoli verba cum ea pugnant. Id enim per impetrationem intelligit Grotius*, quod Christus sanguine suo Deum iratum placarit, & ut remissionem peccatorum nobis decerneret ac promitteret, impulerit. At Apostolus nos ait justificatos gratis, ipsius, hoc est, Dei gratia, per redemptionem, quæ in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in ipsius sanguine. Unde apparet, Deum gratia sua impulsum ad justificationem nobis concedendam, Christi opera eam ad rem usum, ita ut, quicquid is hac in parte fecit, id Deo auctore ac impulsore fecerit, non vero contra Deum Christo auctore ac impulsore. Non dicit autem Apostolus, justitiam istam Dei manifestam fieri per fidem, quanquam id alias nostræ sententiæ maximè consentaneum est, cum fides nostra Dei fidelitate nitatur, & ad eam tota respiciat. Neque enim voces *Per fidem* ita cum sequentibus cohærent, ut perinde sit, ac si dictum esset: ad demonstrationem justitiæ suæ per fidem: sed adhærent præcedentibus hoc pacto: *quem proposuit Deus propitiatorium per fidem.* Neque etiam fidei separati finis ille annectitur, *ad demonstrationem justitiæ suæ*, sed vel sanguini, ut supra voluit urliquoque Grotius, vel ut nos malumus, toti orationi præcedenti, nempe quod Deus proposuerit Christum propitiatorium per fidem in ipsius sanguine, hoc est, per Christum declararit se hominibus esse ac fore proprium, non operum, sed fidei tantum conditione addita, idque sanguine filii sui fuso fuerit contestatus. *Per fidem* autem significare posse *cum fide*, seu *conditione fidei addita*, indicat ejusdem Pauli locus inf. cap. 4. 13, ubi *per Legem est conditione Legis implenda addita*, ut Beza & Piscator animadverterunt. Fides autem illa non est, credere Christi sanguinem ad Deum placandum esse fusum, sed, ut antea ex Epist. Hebr. cap. 11 docuimus, credere Deum esse, & esse remuneratorem eorum, qui ipsum quærunt, & id quidem hodie per Christum, per quem Deus nos remunerare, & salutem nobis largiri constituit Johan. 5. 21, 22, 26, 27. vi. 39, 40, 44, 54. x. 18. xvii. 2. Act. 5. 31, & cujus præceptis obtemperando Deum quærere debemus, & favorem ejus ambire, Johan. 14. 21; quod dum facimus, per Christum in Deum credimus, ut Petrus loquitur 1 Ep. 1. 21. Eaque differentia est inter Christianorum fidem, & eorum qui ante Christum in Deum ab initio mundi crediderunt. Cum vero obtemperationem divinis legibus nominamus, & eam fidei nomine non obscure comprehendimus, non eam intelligimus præceptorum divinorum observationem, quam Paulus nomine *operum Legis*, interdum etiam *operum* simpliciter, *ἔργα νόμου* sumpta

voce, exprimit. Operum enim nomine Paulus ejusmodi significare solet obedientiam, quæ omnibus numeris sit absoluta, perque universam vitam continuata; adde etiam nostro revera ac labore præstita, non vero magnitudine divinorum promissorum, ex mera benignitate nobis oblato, excitata, auxilioque divino perfecta; breviter, ejusmodi, quæ sua vi justificationem mereatur. Sed ejusmodi nos intelligimus pietatem, ut quis ingentium præmiorum à Deo propositorum spe excitatus, saltem plerumque postquam Deum vere cognovit, præceptis ejus pareat, & ab omnibus peccatorum habitibus immunis, contrariis virtutibus sit præditus. Hæc obedientia, partim quia Deo ejusque gratiæ potissimum imputanda est; partim quia imperfecta, & plerumque ejusmodi, ut eam varia, gravissimaque peccata antecesserint, quæ sæpe etiam majorem vitæ partem occupant, nullam nobis gloriandi materiam, præsertim si infinita præmii magnitudo consideretur, suppeditat: imo Lex ex fidei, ut loquitur Paulus Rom. 3. 27, hoc est doctrina, quæ hujusmodi tantum fidem, & in ea comprehensam obedientiam, ad justificationem ac salutem consequendam à nobis postulat, omnem operum gloriationem, omnem in Lege fiduciam excludit.

Addit Grotius Partic. 83: *Finem hunc* (nempe *justitiæ punientis demonstrationem*) *etiam ex forma rei de qua agitur, quæ pœna sit, colligi.* Sed formam hanc Grotius docere non potuit, eamque justitiæ divinæ ratio, ut ostendimus, prorsus evertit.

Subjicit Partic. 84: *Item ex causa antecedente, quam ostenderit esse meritoriam. Non posse autem alicujus actionis causam impellentem esse meritoriam, nisi & finis sit τὸ ἀνταποδοῦναι* retribuere.

Est quidem una ex causis mortis Christi antecedentibus meritoria, sed non talis, quæ mortem Christi sit merita, sed quæ nostram. At inde non sequitur, finem mortis Christi esse *τὸ ἀνταποδοῦναι*, eamque retributionem in ipsa morte fuisse peractam; nisi forte dicere velis, nosmetipsos morte Christi punitos, quemadmodum interdum quilibet conjunctæ personæ morte plectitur, ut parentes liberorum: id quod sustineri non potest. Ideo enim mortuus fuit Christus, ut nos impunitatem ac supremam felicitatem consequeremur. Cui ergo Deus in ea morte aut per eam quicquam retribuit? an nobis, ad quos nihil ex ea redundavit mali, sed suprema felicitas? an Christo, qui nihil fuerat commertus, nec quicquam fecerat, ut Deus illi posset aliquid mali *ἀνταποδοῦναι*? Fieri autem posse, ut actionis alicujus causa antecedens sit meritoria, nec tamen finis ejus sit *τὸ ἀνταποδοῦναι*, si causa illa non sit meritoria istius ipsius actionis, multis exemplis demonstrari potest, atque inter alia patet ex verbis illis Moysis Deuter. 9. 18: *Panem non comedi, & aquam non bibi propter omne peccatum vestrum, quod peccaveratis, &c.* Neque enim finis actionis hujus fuit *τὸ ἀνταποδοῦναι*, imo ideo hæc fecit Moyses, ne populus peccati sui pœnas lueret. Hæc de priori fine rei, de qua agitur, à Grotio constituto.

Fiaem alterum Partic. 87, non satisfactionis, sed mortis Christi, qui est nostra impunitas, libenter agnoscimus, ut & illa, quæ de significatione vocis *Itæ* disputat; itemque ista, impunitatem hanc receptis

* Vide cap. 7. pag. 122.

ceptissima phrasi Sacrae Scripturae vocari peccatorum remissionem, in eaque consistere justificationem nostram, & nonnulla his similia; quanquam aliquibus interjiciuntur animadversione digna. Nam primum in loco Hebr. 2. 14, quem Grotius hic citat, nihil dicitur de *impetratione* veniae, sed simpliciter sermo est de destructione ejus, qui mortis seu mortiferum habet imperium, per mortem Christi, h. e. ea interveniente, facta, per quam generatim intelligi potest imminutio atque abolitio potestatis ac virium, quas Satanas ad homines perdendos, & sub imperio mortis tenendos habuit, quod tum perfecte coepit fieri, cum Christus supremam per mortem adeptus est potestatem, qua potest sibi subicere omnia, hostesque suos ac suorum abolere Psal. 100. 2. 1 Cor. 15. 24. & seqq. Phil. 3. 21. Nam licet ipsa quoque mors Christi per se non parum ad eam rem habeat momenti, tamen eatenus potissimum per eam id factum dicitur, quatenus hac demum via & conditione interveniente Christo suprema potestas à Deo fuit concessa, qua totum id penitus absolvitur.

Deinde quod ait, *remissionem peccatorum*, quam eandem cum impunitate nostra esse dixerat, *proprie mortem Christi consequi*, quia id vult, eam non esse effectum mortis Christi, sive cum ipsius praedicatione, sive cum resurrectione atque exaltatione communem, (nam alio quodam sensu id ferri posse, tum supra diximus, tum paulo post dicemus) dictum negamus; praesertim si de remissione seu liberatione à poenis, quae actu ipso fiat, sit sermo, de qua loquuntur loca ista duo à Grotio de impunitate nostra paulo ante allata Rom. 5. 9, (vers. 10. habet Grotius) quod attinet ad posteriora ejus vers. verba, *servabimur (per ipsum omisit Grotius) ab ira*. Nam quod ad priorem ejus vers. particulam attinet, in qua justificationis fit mentio, ea inferius, cum de *justificationis* voce agit, iterum adducit, ut appareat, eum superius ad posteriora verba, in quibus liberationis ab ira, de qua eorum occasione differit, fit mentio, respexisse, & impunitatem, quae cum remissione peccatorum eadem est, in iis exprimi, dicere voluisse. Alter locus est 1 Thess. 1. 10. At in iis non morti Christi, praesertim proxime, sed potius vitae, & potestati illi, quam vivens exercet, atque in adventu suo plenissime exferet, liberatio ab ira, adeoque impunitas nostra, seu peccatorum remissio, adscribitur. Nam in priori aperte de re futura, non de praeterita, sermo est; & eandem sententiam in sequentibus repetens Apostolus ita ait: multo magis reconciliati *servabimur in vita ejus*, hoc est Christi; vitam consequutam morti aperte opponens. Alterius loci eadem revera est sententia. Ita enim habet: *& expectare filium ejus (Dei) ex caelis, quem excitavit à mortuis, Jesum eruentem nos ab ira futura*. Ubi itidem de re non jam olim in morte Christi peracta, sed de ea, quam Christus adhuc praestet, atque adeo perfecte tum demum praestiturus sit, cum à caelis veniet, qua de causa ejus redditam tantopere expectare debemus, sermonem esse, quivis facile ex ipsis verbis perspicit.

Ut autem nostra de tota hac re sententia fiat manifestior, quaedam nobis dicenda sunt explicatius. Remissio peccatorum, seu justificatio nostra atque impunitas, nihil est aliud quam liberatio nostri à reatu

ac poena, quam peccatis nostris fueramus commiseriti. Sed ea duplici fit ratione: primo, cum Deus jure suo, quod ad poenam repetendam habet, vel simpliciter, vel sub certa conditione cedit, & sic nobis, qui deliqueramus, jus veniae reipsa obtinendae, seu immunitatem ac securitatem à poena concedit; deinde cum actu ipso à poena nos liberat, praesertim tunc, cum puniendi est tempus ab ipso praestitutum; & quidem ideo, quia jus suum persequi plane nolit. Atque hoc posterius ex priori, vi justitiae divinae necessario consequitur, idque vel statim, cum nulla adjungitur conditio, quod tamen in nostro negotio minime contigit, vel tunc, cum conditio addita impletur, in eoque tota remissionis vis & utilitas, quae ad nos redire debet, revera consistit. Itaque distinctionis causa dicere possemus, priorem illam remissionem in jure consistere, posteriorem in actu; quam distinctionem Grotius quoque infra c. 7 indicat, de loco Rom. 5. 9, 10 agens, ubi illam jus ad rem, hanc ejusdem rei exhibitionem vocat. Quod ad priorem attinet, ea iterum duplici ratione considerari potest, unde duplex ejus oritur in Sacris Literis significatio. Vel enim ad Deum refertur active, ut loquuntur, vel ad nos passive. Illo modo sumitur pro ipsius Dei peccata remittentis actione, seu pro abdicatione ac renunciatione juris, quod ad poenam persequendam habebat: hoc vero modo accipitur pro immunitate nostra à poena, seu pro jure, quod habeamus, ad poenam reipsa effugiendam, id quod ex ista abdicatione juris divini statim ac necessario, ipsa rei natura ita ferente, proficiscitur. Jam quod ad Dei ipsius peccata remittentis actionem seu abdicationem juris attinet, ea tunc revera censetur fieri, cum is aperte voluntatem hanc suam declarat, ac certis argumentis comprobatur. Nam licet quis tacito etiam animi decreto possit quodammodo jure suo cedere, & sic peccata remittere, praesertim cum sine ipsius voluntate nemo alius poenam est exacturus: tamen siue communem loquendi consuetudinem, siue Sacrarum Literarum usum spectes, tunc quispiam vere dicitur jure suo cedere, eo se abdicare, ei renunciare, & impunitatem alteri dare, vel peccatum ei remittere ac condonare, absolvere denique ac justificare, cum vel per seipsum, vel per alium quempiam testatur, se jus suum persequi nolle, praesertim si id fiat adhibitis testibus, aut solennibus verborum formulis, aut aliis quibusdam signis, quae promissum revocare amplius non patiantur, quemadmodum revocari res poterat, cum adhuc in animo haeretur, maxime si decretum nondum sit absolutum aut bene firmum. At ubi talis intervenit renunciatio, tunc alter quidem jure suo vere se privat, quanquam nunc absolute, nunc cum conditione; alteri vero jus ac potestas poenam, si quae forte ei postmodum ob culpam semel condonatam intentetur, depellendi datur, qua caruisset, nisi aperta alterius partis accessisset declaratio, etiamsi tandem decretum aliquando antecessisset. Tutum quidem praestare ipsum potuisset à poena decretum immutabile in animo alterius latens, sed securum nunquam. Hinc Paulus 2 Cor. 5. 19 ait: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, *non imputans illi delicta ipsorum*, hoc est, juri suo quod ad peccata eorum vindicanda habebat, aperte renun-

renunciatis. & Eph. 4. ult: *Deus in Christo condonavit vobis*, h. e. delicta vestra punire se nolle per Christum testatus est. Qua de causa iis etiam, per quos declaratio illa fit, seu qui alieno nomine remissionem hanc denunciant ac promittunt, actio hæc tribuitur. Quemadmodum fit in loco, qui huic plane responderet Coloss. 3. 13, ubi loco ejus, quod ad Ephes. dixerat Apostolus: *Sicut Deus in Christo condonavit vobis*, hic ait: *Sicut Christus condonavit vobis*. Christo nempe, Dei internuncio, id tribuitur, quod ibi Deo: sicut alibi Apostolis quoque Johan. 20. 23. Matth. 16. 19. & Ecclesiæ Matth. 18. 18. In quorum testimoniorum primo Grotius infra hoc cap. ait, *solvere esse solum declarare*. Ex quibus Joh. & Matth. locis illud quoque constat, ex ejusmodi declaratione effectum quoque ipsum remissionis seu liberationis à pœna consequi, quanquam ad eum novam aliquam Dei ac Christi actionem intervenire oportere, duo apud Matth. loci satis aperte indicant, dum asserunt, *in caelis id ratum fore*. Quapropter patet, iis rebus, quæ declarant, præsertim evidenter ac manifeste, Deum velle nobis peccata condonare, quæque ab ipso met eum in finem adhibentur, ut suam ea de re voluntatem nobis testetur, seque nobis ad eam præstandam obliget, peccatorum remissionem, quocunque tandem ex iis, quos explicuimus, modis accipiat, recte adscribi. At ejusmodi est mors Christi quæ tum universi Fœderis Novi, tum inprimis remissionis peccatorum, in eo apertissime promissæ, Jerem. 31. 34. Hebr. 8. 12. x. 16, 17, sanctio est ac confirmatio, & peculiarem quandam, ex ipsa ei natura, cum ea conjunctionem habet, ut supra jam exposuimus. Adde, quod ea conditio fuerit, Christo à Deo imposita, qua præstita demum tantam adeptus est potestatem, qua posset nobis peccata reipsa condonare, & ex omnibus scelerum pœnis, atque inprimis ex morte æterna, quæ proprium quoddam est peccati stipendium, ereptos, extra omne supplicii periculum ponere: quod ut tanto promptius faceret, ipsa mors fuit adjumento: ac denique, quod ea nos quoque ad conditiones, quas nobis Deus imposuit, si peccatorum veniam reipsa consequi velimus, amplectendas & implendas permoveat: quæ omnia suo loco docuimus. Itaque si remissionis nomine vel declarationem divinæ voluntatis de peccatis nostris condonandis, vel impunitatem nostram, securitatemque à divinis suppliciis accipias, ea proxime, & quidem peculiari ac propria quadam ratione, ex Christi morte consequitur; & ex pacto Grotii dictum, cujus occasione hæc disseruimus, admitimus. Quod si remissionis nomine ipsum actum liberationis à pœna intelligas, ea partim ideo ex Christi morte proficiscitur, quia tale jus, quale jam explicuimus, ad pœnam effugiendam nobis largitur, & Deum ad remissionem actu ipso nobis præstandam obstringit; partim quia conditio ac causa fuit in Christo eorum, ex quibus ea liberatio proxime proficiscitur; partim denique quia in nobis causa est conditionum ad remissionem actu obtinendam necessariarum. Quod autem est causa causæ, est etiam causa causati, ut alibi jam monuimus. Ex quibus omnibus, præsertim priori loco commemoratis, satis patere potest, cur Sacrarum Literarum, quando

concisius, & simul etiam, cum quadam elegantia & emphasi loquuntur, morte Christi simpliciter adscribant remissionem peccatorum tanquam causæ mediæ, & hanc illius finem constituent, quod solum evincunt loci à Grotio citati; licet eam, præsertim pro liberatione à pœna, quæ actu ipso fiat, acceptam, alibi mortis Christi consequentibus & effectis, nempe resurrectioni, exaltationi, & æterno ejus sacerdotio, quod coram Dei vultu in cælis apparens administrat, & cui finem in adventu suo est impositurus, tanquam propinquæ causæ adscribant, & iis plus etiam hac in parte quam morti per se consideratæ tribuant. Vide, præter duo Pauli loca superius examinata Rom. 5. 1 Thesalon. 1, etiam illa Rom. 4. ult. 1 Corinth. 15. 18. Esai. 53. 11. Actor. 5. 31. Rom. 8. 34, ubi aperte in nobis à condemnatione liberandis plus tribuitur resurrectioni Christi, sessioni ad dextram Dei, & intercessioni pro nobis, quæ ad sacerdotium spectat, quam morti. Adde his 1 Johan. 2. 1, 2. Hebr. 2. 17, 18. v. 9, 10. VII. 24, 25.

Cætera, quæ hoc loco differit Grotius, vel nihil habent controversiæ, vel, si quid habent, id partim in superioribus fuit excussum, partim alibi in hac disputatione nostra excutietur.

Sententia sua de hoc mortis Christi fine explicata, accedit Grotius Partic. 86 ad refutationem Socini, quem ait, *hanc connexionem*, quam ipse defendit, *mortis Christi cum remissione peccatorum nobis facta nolle agnoscere, & alias adferre mirum quam alienas à vocibus & scopo Scripturæ. Videri autem omnes istas, quas passim libro suo insperferit, reduci posse ad quatuor capita*, quæ singula subjicit, & examinat.

An rationes, quas Socinus attulit, remissionem peccatorum cum morte Christi connectendi, alienæ sint à vocibus & scopo Scripturæ, partim ex iis, quæ hæcenus diximus, partim ex iis, quæ dicturi sumus, æstimare poterit lector. Capita autem illa quatuor non esse satis recte ex nostra aut Socini sententia à Grotio constituta, quivis facile animadvertet, qui ea cum illis, quæ paulo ante ad sententiam hac de re nostram explicandam proposuimus, & cum ipsius Socini dictis, quæ Grotius citabit, contulerit, quemadmodum paulo post apparebit. Nonnulla recte dicta esse, licet non satis explicate, haud diffitemur.

Ita ergo scribit Grotius Partic. 87: *Primum est quod Christus, cum predicasset pœnitentibus patere peccatorum remissionem, ad ei prædicationi testimonium perhibendum mortem non recusavit*. In margine notat Socin. lib. 1. cap. 2 & 3.

Quo pacto id, quod Socino hic tribuitur, ad connexionem remissionis peccatorum nostrorum cum Christi morte faciat, quod ex Grotii dictis vix potest intelligi, nos paulo ante ostendimus. Non est autem is modus à Socino explicatus locis à Grotio citatis. Nam cap. 3. lib. 1 ostendit quidem Socinus, salutis viam morte Christi confirmatam: sed illud revera non docet, hunc esse modum remissionem peccatorum cum morte Christi connectendi, licet id ex dictis ejus deduci aliquo modo possit: multo autem minus id docetur cap. 2 ejusd. libri. Adduci potius debuit lib. 2. cap. 2, ubi de redemptione

agens, quædam habet huc pertinentia. Verum quo pacto Grotius hæc refellit?

Sed hic sensus, inquit Partic. 88: Mortem Christi magis effectum facit remissionis, quam remissionem mortis. Nam rei existentia causa est testimonii, non contra. At Scriptura dicit nos remissionem consequi per sanguinem Eph. 1. 7. Col. 1. 14, & sanguinem delere peccata nostra 1 Joh. 1. 7, item sanguinis effusionem esse aliquid antecedens, sine quo non fiat remissio Hebr. 9. 22.

Atqui res illa, cui mors Christi testimonium præbuerit, ut Grotii verba, quibus Socini mentem explicat, habent, non est ipsa peccatorum remissio, sed prædicatio ejus, quod pœnitentibus remissio peccatorum pateat. Quapropter ex ratione Grotii non sequitur, mortem Christi magis constitui effectum ipsius remissionis, quam remissionem mortis: sed tantum, mortem Christi magis constitui effectum prædicationis istius, quam contra hanc illius. At aliud est prædicatio remissionis, præsertim sequuturæ demum, aliud ipsa remissio: quemadmodum aliud vita æterna, aliud illius prædicatio. Sed ita capiamus verba Grotii, ac si dictum à Socino fuisset, mortem Christi perhibuisse testimonium ipsi remissioni, quod aliquo modo dici posse arbitramur, si vel testimonium sumatur pro annunciatione tantum ac confirmatione rei, etiam futuræ; vel remissio peccatorum accipiatur eatenus, quatenus adhuc in Dei decreto, eoque non absoluto, sed conditionato hæret, non vero quatenus jam re ipsa existit: inde tamen non sequetur, mortem Christi constitui effectum potius quam causam remissionis peccatorum, in eum sensum, qui Sacris Literis usitatus est, acceptæ. Nam sive eo nomine accipias solennem ac pleniorē quandam abdicationem juris, quod Deus ad nos puniendos habet; sive nostram impunitatem in jure consistentem, ac securitatem à suppliciis divinis, de qua loci à Grotio adducti in primis loquuntur; sive denique ipsum liberationis à pœnis actum, qui præstitis demum conditionibus consequitur; remissio peccatorum testimonii hujusmodi, quale mortem Christi esse volumus, effectus est, non causa, ut supra fuit explicatum. Simili quapiam ratione dicimus, nos vi Fœderis Novi remissionem peccatorum ac salutem adipisci, aut eandem ex Novo Fœdere pendere, cum tamen fœdus nihil præstet aliud, quam quod eam nobis testetur seu promittat, & sic Deum quidem ad eam re ipsa præstandam obliget, nobis vero jus ad eam obtinendam largiatur, & certam ejus spem ac fiduciam ingeneret, atque ad conditiones, sine quibus obtineri non potest, servandas nos adducat: quamquam aliquid hic est inter mortem Christi & Fœdus Novum discriminis, ut paulo inferius dicemus. Neque vero est, quod quis dicat, nullam esse vim juris illius, quod confirmatio remissionis nobis largiatur, ad eam re ipsa obtinendam: siquidem jus istud Deum ad eam nobis præstandam haud quaquam impellat, cum is decreto suo, suæque voluntatis constantia satis ad eam rem moveatur. Nam primum cur non liceat dicere, Deum simul & decreto suo, & promissis eorumque confirmationibus, quibus semetipsum nobis obstrinxit, ad rem exhibendam moveri? Videmus certe viros divinos promissa

ipsius aut juramenta commemorare, ut ipsum ad ea, quæ illis sunt consentanea, facienda impellant. Nec aliam ob causam fidelitatis ac justitiæ Dei, tum in hoc remissionis negotio, tum alibi fit mentio, quam quia Deus promissis suis obligetur, & sic fidelitas ac justitia ipsius requirat, ut illa præstet. Deinde considerandum est, cum Deus hujusmodi rebus, quales sunt solennes stipulationes, juramenta, & alia confirmationum genera Hebr. 6. 17, 18, in quibus jam ponitur, Deum esse qui loquatur, aut quippiam promittat, nostræ imbecillitati succurrere voluerit, & fidei nostræ infirmitatem sublevare; Sacras Literas huic Dei consilio, nostroque captui sese accommodantes, atque interim ad humanos quosdam ritus ac mores alludentes, sæpe non tam eas rerum aut promissionum exhibendarum causas, quæ in Deo latent abditæ, licet forte potiores, quam manifesta earum signa atque indicia, quibus nobis à Deo cautum est, & quibus nos, ut in humanis sit, munire, ac veluti jure cum Deo agere possumus, exprimere; vel causas utraque conjungere; vel denique, ut modo commemoravimus, eas afferre, quæ promissionem aliquam ac stipulationem, ut loquuntur, præsupponant. Unde Socinus in non paucis Sacrarum Literarum locis, ex quorum numero sunt etiam illa à Grotio citata Eph. 1. 7. Col. 1. 14. 1 Joh. 1. 7, in quibus de jure obtinenda remissionis sermo est, ait remissionem peccatorum, aut redemptionem, aliasve similes voces pro ea positas, accipi pro remissione, quatenus eam spe adipiscamur, vel etiam pro ejus declaratione, quia jus illud nostrum, seu impunitas, eatenus potissimum ibi consideratur, quatenus certa ejus rei notitia ad homines pervenit, qua animi nostri à divinis suppliciis securi queunt reddi, & sese adversus divina judicia munire; non vero eatenus præcipue, quatenus Deus ad remissionem nobis concedendam impellitur. Eadem de causa remissio peccatorum non tam aperte aut tam crebro ipsi Fœderi Novo, aut Dei promissionibus in eo comprehensis, tanquam causæ cuidam adscribitur, quam morti Christi. Quia cum mors Christi fœderis illius, atque in primis remissionis peccatorum inibi promissæ insignis sit confirmatio, clarius res patet, morte Christi commemorata, quam Novi Fœderis sigillum esse, tanquam jam notum in ejusmodi locis ponitur, quam nuda fœderis mentione facta. Adde quod Fœdus Novum tum demum ex Dei voluntate ratum fuit, & vim effectumque suum habere cœpit, postquam mors Christi intercessit; quemadmodum D. Auctor Hebr. 9. 15, 16, 17, à testamentis ducta similitudine ostendit; nempe quia hac conditione interveniente Christus eam potestatem adipisci debebat, atque adeo adeptus est, qua promissa hujus Fœderis Dei nomine nobis re ipsa præstaret. At ex Dei decreto nemo alius ejus Testamenti esse debebat exsequutor. Quare morte Christi nominata, indicatur, nihil jam esse cur de remissione peccatorum ex vi Novi Fœderis aut Testamenti adipiscenda dubitemus, siquidem mors testatoris intervenerit, adeoque Testamentum ratum fecerit. Id vero non significaretur, sola fœderis mentione facta. Fœdera enim antequam sanciantur, vim in præsens nondum habent, sed post sanctionem demum habitura sunt: ac

præterea revocari nonnunquam eas ob causas possunt, ob quas jam sancita irrita fieri nequeunt.

Quod porro addit Grotius Partic. 89: *si vera esset hæc interpretatio, possent & Martyres dici sanguinem fuisse in remissionem peccatorum, & nos per ipsorum sanguinem consequi remissionem: cum tamen Scriptura hoc privilegium soli Christo tribuat: Ad id supra* responsum est, cum de materia disputaremus. Quare ea inde petantur.*

Tertia Grotii ratio est Partic. 90: *Accedit quod causa interfectionis Christi quoad homines non proprie fuerit prædicatio pœnitentiæ & remissionis peccatorum, sed quod Deum dixisset Patrem suum, parem se faciens Deo Johan. 5. 18: Ac proinde Deum se profiteretur Johan. 10. 33. Quamobrem mors ejus proprie huic professioni, non prædicationi veniat testimonium præbuit.*

At primum, etiam si quoad homines hæc causa proprie non fuerit; inde tamen minime sequitur, Christum ex Dei, suoque ipsius consilio, eum in finem non esse mortuum, ut prædicationi remissionis peccatorum testimonium præberet, aut hunc effectum ex Christi morte non fuisse consequutum. An fieri non potuit, ut aliud homines ad Christum interficiendum proprie impelleret, aliud vero Deus ac Christus ea ratione testari vellet? quemadmodum sine uterque summam suam erga nos charitatem commendare ac testari voluit; unde statim remissionis peccatorum ab eo promissæ ac sperandæ patet certitudo: qua tamen de re interfectores Christi ne cogitarunt quidem. Quid? an non satis aperte docent Sacræ Literæ, & unanimes consensu fatentur omnes, mortem Christi confirmationem esse Novi Fœderis, de quo interfectores Christi proprie cogitasse quis dixerit? non magis certe de eo cogitarunt, quam de remissione peccatorum pœnitentibus proposita, qua in re totius Novi Fœderis vis consistit. Deinde hoc ipsum, cujus causa Christum proprie mortuum esse Grotius docet, totam Christi doctrinam, & sic remissionem peccatorum pœnitentibus propositam, ad quam ipsius doctrina proprie spectat, mirifice confirmat; ut ab initio disputationis hujus docuimus. Qua de causa, ut ibidem monuimus, Johannes I Epist. cap. 5, cum testes divinos produxisset, qui maximo consensu testentur, Jesum esse Dei filium aut Christum, inter quos est etiam sanguis, cum quo Christus venit; postea summam testimonii divini, quod testes dicti edant, his verbis exprimit v. 11: *& hoc est testimonium, quod vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio ejus est.* Vita vero æterna remissionem peccatorum in sese includit, aut, ut loquuntur, necessario præsupponit.

Quarta Grotii ratio est Partic. 91: *Testatio denique de doctrina non minus, imo magis etiam per miracula Christi facta est, quam per mortem. At miraculis nusquam tribuitur effectus hic, quod per ipsa habeamus peccatorum remissionem.*

Miracula quidem doctrinam Christi generatim consideratam, nulla habita ratione rerum ipsarum, quæ in ea proponuntur, magis videntur confirmasse, quam mors, imo etiam quam resurrectio Christi, quæ ipsa quoque miraculis potissimum Apostolorum fuit demonstrata, aliisque effectis miraculo-

rum similibus: at si natura & proprietas doctrinæ Christi, & promissorum in ea comprehensorum speciatim consideretur, magis ea morte ac resurrectione fuit confirmata quam miraculis, quæ cum promissis in ea comprehensis nullam peculiarem ex rei natura habent conjunctionem, qualem, ut sup. partic. 26 ostendimus, habet mors cum remissione peccatorum, de qua hic agitur, resurrectio cum resurrectione nostra. Quo respicientes Sacræ Literæ, cum remissionem demonstrare volunt, mortis, cum resurrectionem, resurrectionis Christi potissimum faciunt mentionem, miraculorum in neutra. Potuisset enim Christus, rei natura inspecta, nil nisi minas Dei nomine, ut ei parere vellemus, proponere, & tamen doctrinæ suæ confirmandæ causa stupenda edere miracula. Miracula magna edidit olim Deus per Moysen, quia tamen remissionem peccatorum resurrectionemque pœnitentibus non promisit, sed maledictionem omnibus, qui legem integram non servassent, est minatus. At non potuit fieri, ut Christus unigenitus Dei filius, doctrinam suam, & salutis viam in ea propositam à Legali diversam, confirmandi, & nos ad eam adducendi causa Dei voluntate moreretur, quin simul ingens Dei ac Christi erga peccatores charitas appareret, & sic certa remissionis spes in animis nostris oriretur. Adde, quod Sacræ Literæ morte Christi nominata sæpe ea etiam comprehendere soleant, quæ illam sunt consequuta, unde miravis ad remissionem peccatorum confirmandam morti accedit, quæ in miraculis non apparet. Non repeto illud, quod itidem supra monuimus, Sacras Literas libenter in hoc negotio alludere ad ritus varios, atque in primis ad sanguinem fœderis, aut victimarum expiatoriarum, aut ad pretium redemptionis: quæ allusiones perirent, miraculorum mentione facta.

Secundum caput constituit Grotius Partic. 92: *quod Christus morte sua consequutus sit jus donandæ remissionis.*

Si Grotius Juris nomine plenissimam potestatem ac virtutem pœnas peccatorum, præsertim æternas, re ipsa tollendi comprehendit, recte, atque ex Socini sententia loquitur: sin Jus à potentia & virtute hac sejungit, (potest enim fieri, ut quis jus ad rem aliquam habeat, interea tamen viribus ad eam præstandam destituatur;) aut potestatem intelligit temporarias tantum pœnas ab hominibus auferendi, non recte Socini mentem explicat, qui de æternæ pœnæ ablatione potissimum loquitur, & non Juris, sed Potestatis voce hac in re utitur, ut vel locus à Grotio citatus lib. 2. cap. 4 docet, & ille lib. 1 cap. 6. In quo tamen Socinus non ostendit, qua ratione remissio cum morte Christi coherereat, nec demonstrat, Christum morte sua potestatem donandæ remissionis consequutum, ut locum intuenti patebit.

Objicit Grotius Partic. 93: *Sed evertit hanc positionem Socinus ipse: qui ostendit Christum in terris viventem hoc jus habuisse atque exercuisse. Quod autem meum est, id amplius meum fieri non potest.*

At nusquam ait Socinus, Christum in terris viventem, plenissimam habuisse potestatem pœnas etiam æternas à nobis auferendi; sed tantum peccatorum veniam in hac vita plenissimam concedendi, hoc est temporarias pœnas auferendi. Ita enim expresse di-

* Vid. Partic. 19.

etum suum limitat eo loco, quem Grotius citavit. Quod ad æternas pœnas attinet, eas non reipsa tollendi, sed de futura earum ablatione testandi, jus & auctoritatem plenam Christi in terris adhuc viventi tribuit. Potestatem enim, ultimum nostrum hostem, qui mors est, in nobis extinguendi, & in eum nos statum transferendi, unde nullus sit amplius in eam lapsus, quo facto peccatorum nostrorum remissio penitus absolvetur, tunc demum adeptus est Christus, cum ad dextram Dei collocatus est, & omnia pedibus ejus sunt subjecta Phil. 3. 20, 21. 1 Cor. 15. 24 & seqq. & v. 54, 55, 56. Hebr. 10. 13, quo pertinent etiam loca superius à nobis allegata, in quibus resurrectioni atque exaltationi Christi remissio peccatorum adscribitur.

Sed occurrit huic responsioni Grotius Partic. 94: *Ac ne quis existimet (quod Socinus innuit magis quam affirmat) hanc Christi potestatem ad pœnas duntaxat spectasse temporales & vitæ præsentis, notandum est, cum Christus dicitur Matth. 9. 6 jus habuisse remittendi in terra peccata, non illo aditamento in terra effectum restringi, sed actionis locum ἰουδαίας denotari. Nam & Apostolis dicitur Matt. 18. 18, quæcunque solveritis in terra: ubi quanquam solvere est solutum declarare, illud tamen in terra locum tantum actionis designat: sequitur enim, soluta erunt in cælo. Illud ergo voluit Christus, sibi, quantumvis in terris agenti, jus tamen illud adeo eximium ac cæleste competere: neque aliud miratur populus quam jus tantum hominibus (hoc est ἡμεῖς ἀπὸ τοῦ ἀριθμοῦ) uni ex hominum numero) datum.*

Imo vero Socinus sententiam istam satis manifeste expresserat, cum dixisset lib. 2. cap. 4, Christum, quacunque ratione illi placuit, & cuicunque voluit, veniam delictorum dum in terris fuit, plenissimam in hac vitâ dedisse. Quod ad rem ipsam attinet; vel hic excipit tantum Grotius; vel ex loco Matth. 9. 6. Marc. 2. 10, ubi dicitur, Christum habuisse potestatem in terris dimittendi peccata, contra Socinum argumentatur. Si prius, frustra est, cum Socinus ex eo loco non probet, Christum in terris degentem non habuisse potestatem auferendi pœnas æternas, sed temporarias tantum. Admittit enim eam quoque verborum in terra sententiam, quam urget Grotius, ut non sint limitatio remissionis peccatorum, cujus potestatem jam tum Christus habuit, sed determinatio loci, ubi hanc potestatem exercuit; licet suspicetur, illam potius quam hanc eorum esse sententiam; cum & veritati, & scopo Christi sit valde consentanea. Si posterius facit Grotius, ut quidem debebat, probandum illi est, eo loco intelligi potestatem plenam æternas etiam peccatorum pœnas reipsa auferendi. Nos vero vel ex Grotii verborum in terra explicatione facile probare possumus, de ea hic non agi. Ait enim Grotius, additamento illo in terra, locum actionis ἰουδαίας denotari. Actio autem hoc loco est remittere peccata. In terris igitur existens Christus id faciebat, quod verbis illis remittere peccata hic designatur. At à quonam homine Christus in terris degens æternas pœnas re ipsa abstulit, aut auferre debuit? Populus autem nil est miratus aliud, quam potestatem tam stupenda patranda opera, atque adeo tam graves peccatorum pœnas, quæ in hac vita divinitus infligi solerent, ab hominibus auferendi.

Dum vero addit Grotius Partic. 95: *Christum prius*

peccata remittere paralytico, quam paralyticum, pœnam scilicet temporalem, tollat, non animadvertit, verba ista remittuntur, aut remissa sunt tibi peccata tua, per enallagen, quam figuram in verbis Matth. ad finem hujus historiæ scriptis agnoscit Grotius, de re mox ac certo futura accipi posse; quasi dixisset Christus, bono sis animo, mi fili: mox enim tibi peccata tua remittentur, & pœna, à qua liberari tantopere desideras, auferetur. Quod si nolis usitatam alioquin Sacris Literis in rebus hujusmodi temporum enallagen admittere; remissio intelligi poterit ea, quæ in jure potius quam in actu ipso consistat, & nihil sit aliud quam liberatio à reatu pœnæ temporariæ. Verba enim ista de condonatione pœnæ æternæ intelligenda non esse, id satis docet, quod nec verisimile sit, in paralytico illo eam jam fuisse fidem, ob quam in æternum servari deberet; & Christus ea verba pronuncians, respexerit fidem non tantum ipsius paralytici, sed etiam eorum, qui tanto cum labore, ut ex Marco constat, eum ante Christum demiserant, certo sperantes, eum à Christo sanatum iri. Nam fides aliena, ea præsertim, quam homines isti tum habuerunt, ad temporariæ pœnæ condonationem vim habet magnam, ad liberationem ab æterna non item. Quod si etiam de remissione pœnæ æternæ hic esset sermo, non sequeretur tamen, eam tum re ipsa fuisse à Christo homini illi præstitam, sed tantum declaratam ac promissam.

Illud etiam non tam valido nititur fundamento, quam valide à Grotio asseritur Partic. 96: *Christum aperte jus utrumque (nempe remittendi peccata, & pœnam temporalem auferendi) distinxisse, & alterum per alterum probasse, invisibile per visibile. Nam, quod est tam apertum hujus rei argumentum? aut ubi duplicis istius juris fit mentio? Possunt autem ita sumi Christi verba, ut non jus unum per alterum, sed potestatem pœnas auferendi, quæ per se ipsam erat invisibilis, nec nisi per effecta in oculos incurrebat, per effectum ejus proprium ac manifestum demonstrasse censeatur. Quanquam nos illud quoque, quod ait Grotius, eo, quo paulo ante diximus, sensu admittere possumus.*

Objicit tandem Grotius Partic. 97: *Scripturam modum connexionis inter mortem & remissionem peccatorum explicare voce placaminis, aliisque similibus, quæ ad jus donandæ veniæ aptari nequeant.*

At nihil constat, voce ἱλασμεν, propitiatorii, aut ἱλασµὸς propitiationis, quam Grotius placamen vertit, omnes istos modos, quibus remissio peccatorum cum morte Christi connectitur, exprimi. Deinde vox ἱλασµὸς, & ἱλασµὸς propitiare vel expiare, etiam eatenus de Christo usurpatur, quatenus potestate à Deo per mortem accepta, nobis peccata condonat; qua de re agitur cap. 7. & 10.

Tertium caput constituit Grotius Partic. 98: *quod in Christi morte exemplum nobis patientiæ & obedientiæ proponitur. In margine citat Socini locum lib. 1. c. 4.*

At Socinus cum de remissione peccatorum ex morte Christi proficiscente nominatim agit, nusquam exemplum patientiæ commemorat, quod remissionem peccatorum cum morte Christi connectat, imo nec exemplum obedientiæ in eodem præstitæ, nisi forte eatenus, quatenus id simul, resurrectione consequuta,

quæta, viam salutis confirmavit & sanxit. Quamquam etiam, ut mox docebimus, etiam per se ad remissionem consequendam nobis prodest. Socinus loco à Grotio notato, nec mortis Christi, nec patientiæ, nec remissionis peccatorum expressam facit mentionem, sed tantum demonstrat, nos Christum imitari posse, & hanc salutis æternæ viam esse, & præter alia, ob id etiam Christum jure Servatorem nostrum appellari. Erravit nempe Grotius, partim dum ea, quæ Socinus lib. 1. de ratione universa, qua Christus noster sit Servator, disputavit, peculiariter ad Christi mortem retulit; quod etiam ex cæteris tribus capitib. à Grotio constitutis apparet; partim dum ea, quæ conjungenda erant, disjunxit. Rectius enim fecisset, si, quemadmodum nos ab initio disputationis nostræ fecimus, de vi mortis Christi in salutis nostræ negotio agentes, dixisset, eatenus quoque, ex Socini mente, mortem Christi remissionis peccatorum esse causam, quatenus nos movet ad conditionem illam implendam, sine qua remissionem adipisci nullo pacto possumus: inter eos autem modos, quibus mors Christi istud efficiat, hunc etiam ex Socini sententia esse, quod obedientiæ illius, sine qua peccata nobis à Deo non remittuntur, exemplum nobis præbet. Atque hoc pacto id, quod Socino tribuit Grotius, agnoscimus: quanquam validior foret inter mortem Christi, & remissionem peccatorum nexus, si plures illi modi, quibus nos mors Christi ad conditiones remissionis adipiscendæ impellit, fuissent conjuncti, & ad unum caput revocati. Sed videamus quomodo Grotius id, quod Socino tribuit, refellat.

Exemplum hoc, inquit Partic. 99, ad sanctificationem, & quæ eam sequitur gloriam æternam aliquo modo, ad remissionem vero peccatorum plane non pertinet.

Sed cur ad remissionem peccatorum plane non pertinet, quod ad sanctificationem aliquo modo, ut fatetur Grotius, revera autem plurimum facit? cum sanctificatio hæc conditio sit remissionis peccatorum, sine qua eam adipisci nequaquam possumus? An non passim inculcant Sacræ Literæ, ad remissionem consequendam opus esse conversione seu resipiscentia? Quid vero ea est aliud, quam mutatio animi & vitæ in melius? Quoties inculcatur, fide nos justificari, & remissionem peccatorum consequi? At fidei spiritus ac complementum sunt bona opera, ut docet Jacobus cap. 2. 14, qui ait, Abrahamum etiam ex operibus fuisse justificatum, & fidem, quæ ei ad justitiam fuit imputata, operibus fuisse consummatam. Nonne Paulus Rom. 8. 1, 4 aperte pronunciat, in iis demum, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum, nullam esse condemnationem, & Legis justificationem perfici? Quid vero illis Johannis verbis clarius 1 Joh. 1. 7? *Si in luce ambulaverimus, ut ipse (Deus) est in luce, communionem habemus inter nos invicem, & sanguis Jesu Christi filii ejus purificat nos ab omni peccato?* Quod ergo hujus pietatis in nobis est causa, (ut sane est tam illustre in fidei nostræ duce illius exemplum,) cur non etiam remissionis peccatorum censeatur esse causa? Tanto vero magis id statuendum esse patebit, si consideretur id, quod Socinus non uno loco

indicavit, justificationem nostram, licet à gloriâ æterna distingui aliqua ratione queat, tamen tum demum vere completum iri, cum ab ira futura, seu morte æterna, quæ proprium peccati stipendium est, reipsa liberati, resurgemus incorruptibiles ac gloriosi Rom. 5. 9. 1 Thes. 1. 10. Rom. 6. 23. 1 Cor. 15. 52, quam ad rem istam Socini rationem aliquo modo pertinere fatetur Grotius. Nam tum perfecte tanquam justii tractabimur, aut, ut Apostolus loquitur Rom. 5. 19, justii constituemur, ubi præmium, quod justis solis conveniebat, quodque ea de causa Justitia nominatur, nos qui gravissime peccaveramus, adeoque injusti fueramus, accipiemus. Unde ait Apostolus Gal. 5. 5: nos spiritu ex fide spem justitiæ expectare, hoc est, rem speratam, quæ justitia aut justificatio est: & sibi in illa die à Domino, justo illo judice, datum iri coronam justitiæ 2 Tim. 4. 8, hoc est, coronam illam, quæ sit justitia, quæ eodem pacto corona vitæ aut gloriæ nominatur Jac. 1. 12, & justitia in novis illis coelis & nova terrâ Apoc. 2. 10, quæ expectamus, habitare à Petro 1 Petr. 5. 4. 2 Petr. 3. 13 dicitur. Ideo ut supra vidimus, in non paucis S. Script. locis Jerem. 31. 34. Hebr. 8. 12. x. 17. Luc. 24. 47, confer Marc. 16. 15, 16. Act. 5. 31. x. 43. xiii. 38, 39. Rom. 4. 6 & seqq. ex Psal. 31, ubi promissorum divinorum & bonorum à Christo sperandorum summa exprimitur, nulla vitæ æternæ, quæ tamen inter promissiones divinas est potissima, & maximum bonorum, quæ à Christo in nos profisciscuntur, expressa sit mentio, sed tantum remissionis peccatorum; quia hæc illam in se comprehendat, & felicitas nostra in ea collocata sit. Cur autem remissionis potius quam vitæ æternæ iis in locis aperta fiat mentio, causa superius est explicata. Quare si Socini ratio ad æternam gloriam aliquo saltem modo, ut Grotius fatetur, vel potius plurimum pertinet, qui ad remissionem peccatorum, quæ illam in se continet, plane non pertineat?

Sed rationem dicti sui affert Grotius Partic. 100: *Christus enim, inquit, sua obedientia & patientia nullam sibi veniam consequutus est, ut qui peccatum non haberet. Quare ubi Christus imitandus nobis proponitur, ut viam, quam ille ingressus est, insistentes, ad eandem metam perveniamus, nihil esset magis alienum, quam remissionis peccatorum ullam mentionem facere.*

Etiamsi Christus obedientia & patientia sua nullam sibi veniam fuerit consequutus; inde tamen non sequitur, exemplum istud nobis ad remissionem peccatorum consequendam non prodesse. Satis enim est, quod ad obedientiam Deo præstandam exemplum istud nos moveat; id quod Grotius negare non potest. Ea vero obedientia, ut ostendimus, conditio est ad remissionem obtinendam necessaria, & per Dei benignitatem ex parte nostri sufficiens. Deinde etiamsi gloria illa, quam Christus obedientia patientiaque sua consequutus est, ipsius respectu non includat remissionem peccatorum: respectu tamen nostri, qui peccavimus, includit: cum non possimus justitiæ præmium adipisci, ac tanquam perfecte justii tractari, quin simul peccata nobis re atque effectu ipso condonentur. Quare dum exemplo patientiæ ac obedientiæ Christi movemur, ut viam, quam ille ingressus est, insistentes, ad eandem me-

tam perveniamus; simul etiam incitatur ad eam viam sequendam, quæ ad remissionem peccatorum nos ducit. Nam & via est eadem, & meta respectu nostri eadem. Quanquam præterea exemplum patientiæ & obedientiæ Christi nobis proponi potest, nulla facta mentione metæ, ad quam ipse pervenerit: quemadmodum sane tum patientiam Christi, tum alias quasdam virtutes, in morte ipsius spectandas Sacræ Literæ nonnunquam exhibent, nulla mentione adjecta præmii, quod ea ratione fuerit consequutus; ut nonnulla ex iis docent testimoniis, quæ ab initio, de Christi exemplo in morte nobis proposito differentes, adscripsimus. Alias fatemur, cum exemplum Christi nobis ita proponitur imitandum, ut simul meta, ad quam nobis una cum ipso sit perveniendum, exprimatur, non remissionis, sed alio aliquo nomine eam efferri solere: nec ab hac consuetudine recessit Socinus, ut supra monuimus.

Altera Grotii ratio est Partic. 101: *Et phrasēs Scripturæ: Sanguis nos mundat. Per sanguinem ipsius habemus remissionem, plane hunc sensum respuunt.*

Cur vero? an non eatenus etiam nos sanguis Christi mundat, aut per ipsius sanguinem habemus remissionem, quatenus nos à peccatis revocat, & ad conditionem remissionis obtinendæ adducit? id quod etiam obedientiæ suæ præstat exemplo. An non eatenus etiam, quatenus, consequuta resurrectione, salutis viam nobis hoc pacto sanxit? Adde, quod prior phrasis de abstractione à peccatis recte queat accipi, quanquam non in omnibus Scripturæ locis.

Restare, ait Partic. 102, quartum, quod maxime placuerit Socino, ita ut hoc ipsum plurimis locis velut causa sua statumen inculcet: Esse autem hoc, quod mors Christi nobis id ipsum persuadeat, quod ad remissionem peccatorum obtinendam requiritur, fidem scilicet, jive ut Socinus ipse explicat, spem consequenda vite æternæ.

Hoc caput à primo vel non debuit divelli, vel indicari, illud quoque huc facere. An enim testimonium prædicationis de remissione peccatorum pœnitentibus proposita, quod primo loco commemoravit Grotius, fidem in nobis non excitat, & id ipsum nobis non persuadet, quod ad remissionem peccatorum requiritur? Quin ne tertium quidem caput omnino ab hoc separandum erat; cum ad præstandum remissionis impetrandæ conditionem, exemplum quoque illud nos impellat; ac præterea consequuta resurrectione, ut non semel monuimus, viam salutis sanxerit, & eam ad vitam iter esse demonstrarit. Quod attinet ad cap. 5 lib. 1, qui primus est Socini locus, à Gr. citatus, ne verbum quidem ibi habet Socinus de morte Christi, sed de resurrectionis tantum vi agit. Causa erroris Grotii in explicatione capitis præcedentis dicta est. Præterea non minoris, sed majoris etiam momenti apud Socinum est secunda ratio à Grotio constituta, remissionem cum Christi morte connectendi, unde hæc etiam ultima magna ex parte pender. Maxima enim mortis Christi vis ad pariendam nobis remissionem in eo sita est, quod ea interveniente, ex decreto Dei, tantam consequutus est potestatem, ut peccata nostra reipsa nobis condonare, & eorum pœnas tollere

posset, voluntatemque Dei de salute nostra ad finem perducere.

Sed refutare Socini sententiam conatur Grotius Partic. 103: *Quid, inquit, magis à vero alienum est, quam mortem innocentissimi hominis tam cruentam per se ad hoc valere, ut nobis persuadeat, sancte viventibus summa gaudia à Deo esse preparata.*

Sed quid Grotius sibi vult verbis istis, *per se*, quæ in Socini sententia, quam sibi oppugnandam sumisit, non posuerat? An ut excludat respectum mortis Christi ad doctrinam ipsius, in qua sancte viventibus æterna gaudia promittuntur, cujus confirmandæ causa mors fuit suscepta? aut respectum ad alias, quas non uno loco explicuimus, utilitates, ad salutem nostram ex ea redundantes, quarum causa Deus filium suum, Christus vero seipsum lubens in mortem tradidit: siquidem iis alias, ita ferente rei natura, nobis fuisset carendum? Iis autem mortis Christi fructibus positis, summa Dei, qui, ut illis potiremur, rem omnium durissimam filio unigenito imposuit, & Christi, qui eam lubens in se suscepit, erga nos apparet charitas, qua quid potest esse aptius ad spem salutis in nobis excitandam aut confirmandam? quemadmodum inter alia ex Pauli verbis Rom. 5. 5 & seqq. usque ad finem vers. 10 & cap. 8. 31 & seqq. usque ad finem, patet, & tum à Socino, tum à nobis ostensum est. Quod si Grotius vocibus *per se*, respectum ad eas, quas diximus, utilitates à morte Christi sejungit; nec ex usu Sacrarum Literarum id facit, nec Socinum ferit, qui eo pacto mortem Christi non considerat. Si vero Grotius particulam istam ideo apposuit, ut à morte sejungeret ea tantum, quæ illam sunt consecuta, ut sequentia videntur ostendere; primum Socinus, quod ipse Grotius mox docebit, ista mortis nomine hic solet comprehendere. Deinde ne sic quidem Grotius recte loquutus est; cum modo adducta Sacrarum Literarum loca à Socino etiam citata, morti Christi vim, remissionem & felicitatem futuram confirmandi, insignem tribuant, ut mirum sit Grotium id ausum esse negare. Sed præterea non est Christus hic tantummodo considerandus ut homo innocentissimus, ut Grotius velut ex nostra sententia facit: sed considerandus est etiam ut Christus Dei filius, seu Rex Israël, quod morte hac asseruit, & quod in tabella supra caput ipsius cruci affixa omnibus legendum fuit propositum, ita ut sanguis ipsius in cruce effusus id unicuique clarissime testaretur. Confirmavit id ultima Christi vox, Deum, cui spiritum suum commendabat, Patrem suum vocantis Luc. 23. 46, quam, nisi verissima fuisset, ut superbam nimis & jam aperte vanam, excutere potuissent crucis infamia & tormenta. Itaque postea, miraculo consequuto, ita alte ea res in multorum animos descendit, ut ab impiis etiam militibus rei veritas agnosceretur Matth. 27. 54. Luc. 3. 47, 48.

Pergit Grotius Partic. 104: *Quare hujus commentii absurditatem videns Socinus, ait mortem quidem hoc non efficere, sed resurrectionem Christi, & quæ porro resurrectionem ejus sunt consequuta. Mortem autem debuisse precedere.*

Nimis inconsiderate, ut leni utar verbo, Grotius id commentum vocat, & absurdum esse ait, quod apertif-

apertissimis Sacrarum Literarum verbis, quæ omnibus sunt obvia, est expressum. Deinde in verbis, vel sententia Socini referenda, apparet Grotii, ne quid dicam gravius, negligentia. Ubi enim apud Socinum uspiam legit, mortem Christi spem felicitatis nostræ non efficere? An non claris verbis contrarium Socinus scripsit part. 2. cap. 2, quem locum paulo post citat Grotius. Ita enim ibi ait: *Fidem autem, quam ejus (Christi) verbis habeamus, ut supra vidimus, potissimum (potissimum ait, non solum) gignit ipsius resurrectio, ad quam non nisi per mortem pervenire poterat; & ipsius in cælis æterna ac beata vita atque majestas: ad quam, ita Deo statuente, per ignominiam & mortem acerbissimam perducere necesse erat* Luc. 24. 26. Hebr. 2. 10, præterquam (attendat Grotius) quod ipsa mors, ut ante demonstratum fuit, promissiones nobis ab eo Dei nomine factas, mirifice confirmavit. Quis enim de Dei benevolentia, quæ in Christi promissis continetur, deque ipsorum promissorum veritate dubitare potest, cum Deus Christum ipsum, suum charissimum filium, ut nobis, dum ipsi Deo, ut par est obedire studemus, innumeris calamitatibus undique circumdatis, atque in ipsa morte perpetuo versantibus, æternæ felicitatis ac vitæ spem faceret, tanquam facinorosum quempiam ab hujus mundi principibus cædi & martiri voluerit? & in hanc sententiam citat verba Pauli Rom. 8. 32, 35, quæ ipsa satis monere poterant Grotium, ne vel commentum id diceret, vel à Socino ejus absurditatem visam assereret, & ipsam mortem Christi spem salutis nobis non ingenerare, eum dicentem faceret. Præterea mors Christi non simpliciter tantum resurrectionem antecessit, ut Grotius tum hic tum infra ponit, sed etiam illius causa ex Dei creto fuit.

Cur Scriptura tam frequenter, ubi de remissione peccatorum agitur, mortis Christi faciat mentionem, non vero perpetuo resurrectionis & consecutæ gloriæ, quod Grotius Partic. 105 objicit in sequentibus; supra partic. 26 & 29 docuimus. Itaque eo lectorem remittimus. Mirum autem est, cum Socinus ad hoc lib. 2. cap. 4 satis fuse responderit, Grotium, id vel non animadvertisse, vel refutare neglexisse.

Sed urget Grotius, propinquum aliquem effectum, non longe remotum mortis Christi indicari tam frequenti, in hoc negotio, mortis mentione: *Quæ enim, inquit, ista sunt ambages? Remissio peccatorum non contingit nisi sancte viventibus (ita enim loquitur Socinus:) ad sanctimoniam vitæ facit fides & spes certa præmi: hanc fidem ingenerat exemplum Christi ob vitæ sanctimoniam (ut vult Socinus) à mortuis excitati & glorificati: istam excitationem mors antecessit: recte ergo apteque dicitur remissio per Christi mortem obtineri. Nonne hoc vere est, quod ipse in aliis reprehendit: Utinam ne in nemore Pelio? Pro causa enim non propinquum aliquid, aut saltem modico intervallo remotum, sed quod longissime ab effectu distitum est, adfertur: quod si uno in loco Scripturæ fieret, esset forte minus mirum, sed toties tam obscure, imo tam frigide loqui Scripturam, quis sanus crediderit?*

Verum ad hoc quoque jam patet responsio. Nam cum ipsa etiam Christi mors magnum ad eam fidem, per quam remissionem peccatorum adipiscimur, no-

bis ingenerandam robur habeat, & præterea ob id ipsum, quia Novi Fœderis sanctio est, propinqua remissionis peccatorum sit causa: etiam si ratione hujusmodi, de quo nunc agimus, pluribus ab ea distet: non est simpliciter asserendum, causam hanc non modico intervallo, sed longissime ab effectu distitam esse; vel ut supra Gr. aulus est asseverare, de phrasi *Pro peccatis* agens pag. 4, ex *Socini sententia hunc finem non potuisse morti tribui nisi remotissime*. Neque vero ambages hæ sunt Sacris Scriptoribus indignæ, nec illud? *Utinam ne in nemore Pelio*, hic recte objicitur; cum partim necessarius ex divino decreto, partim admodum arctus ex rei natura sit inter causas illas nexus; & magna huic loquendi modo subest emphasis, quam Sacri Scriptores libenter sectantur; atque ut jam ostendimus, mors Christi etiam per se ad hunc effectum concurrat, eaque ratione non remota, sed propinqua sit illius causa; quorum nihil ibi contingit, ubi illud recte potest objici: *Utinam ne in nemore Pelio*. Neque etiam obscura aut frigida, multo minus, ut Grotius loquitur, *tam obscura & tam frigida* ejusmodi loquendi ratio est censenda, sed, ut * diximus, emphatica, & communi loquendi usus admodum consentanea. Quæ de re quia satis dictum est alibi, ideo illis repetendis hic supersedemus. Veruntamen antequam hinc abeamus, querere libet ex Grotio si illud ad Rom. 4. v. ultimo, *Christus resurrexit propter justificationem nostram*, ita explicetur, quemadmodum ipsi magis placet, nempe statum Christi gloriosum, quem Paulus resurrectionis nomine appellet, hunc habere inter cæteros finem sibi propositum, ut Evangelii præcones mittantur, & uberrima vi spiritus ipsorum opera promoveatur; hoc illorum præconium atque operam eo spectare, ut hominibus ingeneretur fides; hanc eo, ut homines peccatorum veniam adipiscantur: nonne hic erit ambitus, uno tantum gradu minor eo, quem in Socino tantopere exagitat, & quidem longe minori phræseos *ἐμψυχοῦν*, quam in illa est, qua morti Christi peccatorum remissio adscribitur? At ambitus iste ex Grotii verbis, quæ paulo post sequuntur, apertissime colligitur. Quod si id obscure aut frigide dictum noluerit, ne id Socino objiciat. Quid? si quis ad explicandum Pauli dictum 2 Cor. 4. 17, momentaneam levitatem afflictionum nobis parere abundantissimum atque æternum gloriæ pondus, uteretur illa ejusdem Pauli deductione Rom. 5. 3, 4, 5: quia afflictio operetur patientiam, patientia probationem, probatio spes, spes autem non confundat, adeoque ad æternam illam gloriam nos deducat; an dicturus esset Grotius, eum loquendi modum esse frigidum, & objecturus illud: *Utinam ne in nemore Pelio?*

Quæ de loco Rom. 4. 25 hoc loco ait Partic. 107, illa nihil adversus nos, quanquam jam vidimus, ipsum quoque Grotium, ambitum isti Socini similem in iis verbis explicandis facere.

Quod ait Partic. 108, *istam seriem*, quam in priori hujus loci explicatione constituit, nempe, *quod Christi resurrectio in nobis generet fidem, fides remissionem peccatorum, manifeste ostendi* Actor. 13. 33, 38; Rom. 1. 4, & x. 9, id in istis locis minime apparet.

* Sup. Partic. 26 & 85.

Nam Act. 13 ostenditur quidem nexus inter remissionem peccatorum & fidem; sed nexus inter resurrectionem & fidem, quæ ex illa generetur, non ostenditur, nedum manifeste Rom. 1. 4. nulla fidei, nulla remissionis peccatorum fit mentio. Locus Rom. 10. 9, resurrectionem Christi non tanquam efficientem fidei causam, sed tanquam objectum considerat; quod autem ea fidem, hoc est, fiduciam in Deo & Christo collocatam, & in ea comprehensam obedientiam efficiat, id aliunde cognoscendum est. Quanquam non videmus, qua ratione Grotius asserere possit, resurrectionem Christi nobis ingenerare fidem eam, per quam ex ipsius sententia justificamur. Hanc enim supra dixerat esse eam, qua Christi sanguis ad Deum placandum fusus credatur. Hoc autem qua ratione ex resurrectione Christi patet, præsertim, ut hic vult Grotius, manifeste & sine ambitu? cum id ne obscure quidem inde possit colligi. Christum quidem esse mortuum exinde recte colligitur: sed ejus sanguinem ad Deum placandum esse fustum, minime.

Ait Partic. 109: *Mors, tantum abest, ut apta sit fidem ingenerare, ut contra maxime homines ab ea fide absterreat. Ideoque in prædicando Evangelio Apostoli ignomina crucis, & mortis miseria, resurrectionem semper opponunt.*

Homines quidem malitia sua excæcatos ac perire dignos, ideoque leviter rem æstimantes, atque ad carnis sensum ac judicium omnia revocantes, vehementer absterret à fide mors Christi; sed non homines probi animi, & recte rem æstimantes: quæ eadem totius Evangelicæ doctrinæ Luc. 2. 34, Rom. 9. 32, 33. 2 Cor. 2. 15. 14. 34. 1 Petr. 2. 7, 8, & aliquo modo etiam confirmationum ejus interiorum, ut ita dicam, ac paulo reconditorum, quæ proprietatem ejus propius attingunt, omnium natura est. Iis enim tale quippiam solet esse adjunctum, ob quod apud improbos fidem aut non inveniunt ipsæ, aut non excitent. Discrimen illud, quod diximus, Paulus satis aperte indicavit 1 Cor. 1. 18, cum inquit: *sermo crucis iis quidem qui pereunt* (hoc est, perire ob suam malitiam jure debent) *stultitia est; iis autem qui servantur*, (seu servandis) *vobis potentia Dei.* Et iterum 1 Cor. 23 & 24: *Christum crucifixum* ait esse *Judeis quidem scandalum, Grecis stultitiam, sed ipsis vocatis esse Dei virtutem ac sapientiam.* Nempe quia hi, resurrectione consequuta, quod hic Paulus, ut nos quoque facimus, præsupponit, summam Dei virtutem ac sapientiam inde cernunt; unde illi ad fidem in Christo collocandam, & ad extremum usque retinendam, maxime incitantur, iisque caro & sanguis Christi, assidua meditatione usurpatus, vere cibis ac potus est animi, quo ad spiritualem, atque inde ad æternam vitam alantur Joh. 6. 51 & seqq. cum cæteris, ipsorum culpa fiat venenum. Quod si aliter sese res haberet, qua ratione dici posset, sanguinem Christi Novum Fœdus, ut Grotius supra falsus est, & fatentur omnes, confirmasse? qua ratione idem sanguis inter testes divinos 1 Joh. 5. 7, qui pronunciant, Deum nobis dedisse vitam æternam, & hanc vitam in filio ipsius esse, collocaretur? quo pacto argumentum esset summæ Dei ac Christi erga nos charitatis? An enim confirmatio Novi Fœderis,

testis promissæ nobis in Christo vitæ, argumentum Dei ac Christi erga nos charitatis, à fide maxime absterret homines, homines, inquam, probos ac recte rem expedientes? (Nam cæterorum culpam, quos Deus hoc pacto merito irretit, & eorum consilia atque astutiam justo suo judicio implicat 1 Cor. 1. 19, 20, 21. iij. 19, quis præstet?) Quod si mors Christi à fide maxime absterret, maxime etiam adducit à Deo ac Christo; cum non nisi per fidem ad Deum accedamus Hebr. xi. 6, nec aliter ad Christum, confer Joh. 6. 35, 36, 37, 40, 44, 45. Atqui Christus mortuus est, ut nos ad Deum adduceret 1 Petr. 3. 18, ipseque pronunciavit Joh. 12. 32. se, ubi exaltatus fuerit de terra, (hoc est, in crucem sublimis fuerit actus) omnes ad se tracturum. Hoc quidem verum est, mortis Christi vim, quam habet ad fidem in nobis excitandam, vix fuisse apparituram, imo prorsus disparituram, si resurrectio atque exaltatio Christi non fuisset consequuta: sed postquam ea consequuta est, vis mortis apparet maxima Act. 2. 34 & seqq. conf. 1 Cor. 15. 25. Phil. 2 & alibi. Nam nisi Jesus resurrexisset, & Christus seu Rex populi divini re ipsa evasisset, nullam vim habiturum fuisset testimonium, quod morte sua ea de re præbuit Hebr. 2. 8, 9, 10; nec via salutis exemplo ipsius fuisset confirmata, si in morte mansisset, & ad vitam gloriamque sempiternam hac via non pervenisset: nil profuisset nobis Christi erga nos charitas morte ipsius demonstrata, si potentiam nos juvandi nullam postea habuisset. Quamquam vix etiam demonstrari potuisset, nisi resurrectio fuisset consequuta; quod idem multo magis de Dei erga nos charitate dicimus. Quid item profuisset, omnia illum, quæ nos patimur mala expertum, si Pontifex ac Servator noster non evasisset Ib. 17, 18. 14. 15, 16. v. 9, 10. Act. 5. 31? quem effectum etiam habuisset Dei promissio, qui potestatem nos servandi, si mortem subiret, ei fuerat pollicitus? At resurrectio & exaltatio consequuta animam, ut ita dicam, & spiritum illis mortis effectis dedit, aut redidit; quemadmodum ex dictis intelligi potest: & ipsa vicissim à morte magnum ad nos in spe ac fiducia nostra confirmandos robur accepit. Quapropter jure statui potest, non ideo tantum Apostolos in prædicando Evangelio resurrectionis mentionem morti solitos adjicere, ut hujus scandalum tolleretur: sed etiam ut tum hujus tum illius vis ad salutem nostram spectans tanto magis elucesceret.

Subjicit Grotius Partic. 110: *Per mortem, quæ causa proprie non sit resurrectionis, sed antecedens duntaxat, ipsam resurrectionem velle indicatam, nihil esse aliud, quam noctem nominare, ut intelligatur dies.*

At nos Grotius non concedimus, mortem Christi antecedens tantum fuisse resurrectionis, & quam hoc nomine comprehendimus gloriæ, summæque potestatis ipsi concessæ, ac non etiam causam. Imo causa hæc fuit, ex decreto divino necessaria; cum hac conditione ipsi fuerit à Deo promissa, ut supra non semel docuimus. Unde propter obedientiam ad mortem usque crucis in summam sublimitatem erectus dicitur. At quis talis est inter diem & noctem nexus? neutrum alterius causa est. Non repeto ea, quæ de emphasi singulari, quæ est in hoc loquendi genere,

genere, jam non semel diximus. Quæ vero emphasis si per noctem intelligere velles diem? Mortis autem, aut crucis nomine, resurrectionem quoque interdum solere à Sac. Scriptoribus comprehendere, vel ea docere possunt loca, ubi sermo crucis, aut Christus crucifixus Dei virtus seu potentia dicitur. Tolle resurrectionem à cruce, & virtutem ac potentiam divinam ab ea removeris.

Præterea inquit: *Si ad remissionem peccatorum mors non pertineret, nisi propter resurrectionem secutam, quomodo accidere potuisset, ut remissio hæc ad resurrectionem raro admodum, ad mortem autem innumeris locis referretur.*

Hic iterum pro concessio sumitur, mortem Christi ex Socini sententia non pertinere ad remissionem peccatorum, nisi propter resurrectionem sequutam, quod nos falsum esse satis superque docuimus. Quod vero fatetur Grotius, remissionem peccatorum ad resurrectionem referri, licet id raro admodum dicat fieri, ex eo cernere potest, non recte à se præcedenti pagina affirmatum fuisse, remissionem peccatorum esse proprium mortis Christi effectum, non communem, nempe cum resurrectione ac gloria.

Addit: *quod morti etiam seorsim, hoc est, quæ à resurrectione & gloria Christi abstrahitur, effectum impetratæ redemptionis Paulus tribuit. Aut enim: Si cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filii ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ipsius Rom. 5. 10. Opponitur mors vitæ gloriose, & ut illi reconciliatio, ita huic conservatio distincte ascribitur.*

At primum Reconciliationis nomine, quæ per mortem Christi facta hoc loco dicitur, intelligendam esse peccatorum remissionem, quam redemptionem vocat Grotius, (nisi forte ipsam remissionis aut reconciliationis vocem exprimere voluit, quæ postea in redemptionis nomen fuit mutata) non decuit. Nos vero infra cap. 7, ubi Grotius hac de re ex professo aget, Domino dante ostendemus, hac voce nostram ad Deum conversionem, atque, ut ita dicamus, initam cum ipso amicitiam ac concordiam denotari, cujus consequens est perfecta peccatorum remissio. Deinde, non dicit Apostolus, mortem Christi solam, non adjutam iis, quæ eam sunt consequuta, reconciliationem hanc effecisse: sed tantum, morte Christi interveniente, eam esse factam; ad id vero, ut per Christum ab ira seu pœna commerita re ipsa liberemur, non interventuram Christi mortem, nec, ut ea interveniat, amplius opus esse; cum id per viventem filium suum Deus facere possit, & porro sit facturum. Unde consequitur, si Deus id fecit, ad quod faciendum filii ipsius charissimi mortem intervenire erat opus; multo magis id facturum, ad quod eam intervenire amplius non est opus. Hoc enim Apostolo demonstrare est propositum. Quare non agitur hic de vi propria mortis Christi, distinctæ ab ipsius vitæ, sed tantum inter se opponuntur duo, ad quorum alterum efficiendum mors Christi intervenit, ac intervenire debuerit, ad alterum minime sit interventura, nec intervenire amplius debeat. Quam sententiam non obscure indicarat Socinus lib. 1. cap. 8, & ratione atque autoritate comprobat. Impetratam autem nobis esse reconciliationem, qua-

tenus nobis parta est, admittimus; sed alio verbum istud sensu accipitur à Grotio, de quo agetur in primis cap. 7.

Illud etiam Partic. 113: *Reconciliationem impetrari inimicis per mortem, ut actum sacerdotalem*, quia non probatur à Grotio, transmittimus.* *Reconciliatos custodiri regia virtute, ad quam aditum fecit resurrectio*, verum est. Quanquam etiam ad ipsam reconciliationem, hoc est conversionem nostri ad Deum, plurimum confert virtus regia, quod ex parte docet Grotius ipse in sequentibus, explicans verba Rom. 4. ultimo. Ex hostium enim manibus nos vindicare & eripere, regii est muneris 1 Cor. 15. 25, 26, 27. Inter hostes autem illos est peccatum, Satanas, mundus, caro, ex quorum servitute cum re ipsa eximimur, Deo reconciliamur.

Pergit Grotius Partic. 114: *Sic & alibi reconciliationem ipsa prædicatione, quæ fidem ingenerat, idem Apostolus priorem statuit: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata ipsorum: & posuit in nobis sermonem reconciliationis: Itaque nomine Christi legatione fungimur, & velut Deo rogante per nos, oramus Christi nomine reconciliemini Deo 2 Cor. 5. 19, 20. Duplex hic reconciliatio ponitur, prior, quæ sermone annuntiatur: altera quæ fit per sermonem: illa est impetrationis, hæc applicationis, illa sermone prior, hic sermone posterior. Nos de priore illa agimus, meritoque negamus eam referri posse ad fidei ingenerationem, quæ fit per sermonem.*

Sed unde constat, unam reconciliationem esse sermone priorem? sermone, inquam, seu prædicatione simpliciter, non vero Apostolica tantum? An forte, quia antequam sermo reconciliationis in Apostolis poneretur, jam præcesserat reconciliatio mundi cum Deo per Christum facta? At hinc non sequitur, reconciliationem illam simpliciter fuisse sermone priorem, sed tantum sermone Apostolico, non autem ipsius etiam Christi. An forte inde id concluditur, quod sermo Apostolis demandatus dicatur sermo reconciliationis, quasi antegressam reconciliationem denunciens? Sed præterquam quod jam diximus, de Apostolica tantum prædicatione sermonem hic esse; materiam quidem seu objectum sermonis Apostolici fuisse reconciliationem, verba ista docent, sed non quippiam antecedens. Sic verbum fidei dicitur Rom. 10. 8, cujus objectum esset fides, & quod fidem inculcasset, atque ad eam hominibus ingenerandam prædicaretur, non quod fides verbum vel sermonem istum antecederet. Eodem modo accipiuntur verba vitæ hujus Act. 5. 20, sermo salutis hujus Act. 13. 26, non quod vita aut salus ista sermonem antecederet; sed quod sermo iste de vita & salute ageret, ad eamque totus spectaret. Est quidem hic mentio duplicis reconciliationis, sed cujus natura est eadem, tempore tantum & causis mediis distinguitur. Altera enim per Christum in terris versantem, & Dei nomine legationem obeuntem facta est; altera per Apostolos, Christi nomine postea legatione fungentes. Utraque in conversione hominum ad Deum consistit, & prædicatione peragitur. Unde rogare se dicit Apostolus, ut homines reconciliari velint Deo, hoc est, ad Deum

* Hæc in editione superius alicubi citata omiſſa sunt.

penitus se convertere, & cum eo stabilem concordiam inire, atque ex sua quoque parte fœdus sancire. Quod altera reconciliatio sit impetrationis, altera applicationis, nullo fundamento nititur. Sed hac de re denuo copiose aget Grotius capite 7, in quem locum cætera, quæ hic dici possent, rejicimus.

Addit Partic. 116: *Accedat illud Johan. 3. 16, ubi Christus dicitur datus (in mortem scilicet) ut credentes non pereant. Ad aliud ergo prodest, quam ut credant.*

Recte: sed nihilominus etiam ad hoc prodesse potest, ut credant. Finis ultimus non excludit intermedios, nec ei, cui ulterior finis tribuitur, negatur ceterior ac propior. Sic resurrectioni tribuitur justificatio Rom. 4. ult. qui est finis illius quoad nos ultimus, nec interea tamen negatur intermedium, qui est fides; imo ponitur, ut ipse Grotius docet. Sed Grotius, ut apparet, arbitratus est, quia hoc loco finis mortis Christi non constituatur fides, sed fidei ex Dei decreto consequens, nempe immunitas ab interitu, & vita æterna credentibus danda, tacite negari, mortem Christi, fidei hominibus ingenerandæ causa susceptam fuisse. Quæ ratio si firma est sequetur, Euangelium quoque non eo pertinere, ut homines credant, sed tantum, ut qui crediderint ferventur, quia Paulus dicat Rom. 1. 16, *Euangelium esse potentiam Dei ad salutem omni credenti*: ubi Euangelii finis non constituitur fides, sed salus ei, qui fidem habuerit, danda. At quis nescit, proprium ac proximum Euangelii finem esse, fidem animis hominum inferere? Sic cum Christus infra apud eundem Johannem ait Johan. 12. 46: *Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat*; si Grotii ratio firma est, sequetur, Christum doctrinæ suæ lucem mundo ideo non intulisse, ut homines in eum crederent, sed tantum, ut, qui credidissent, in tenebris non manerent; quod nemo non falsum esse animadvertit: cum id unice Christus in terris vivens egerit, ideo docuerit, miracula ediderit, & doctrinam suam variis modis confirmarit, divinamque suam auctoritatem asseruerit, ut omnes in se crederent, & sic in tenebris non manerent. Imo hoc ipsum dicere hic videtur Christus, quanquam concisius loquatur, se lucem in mundum venisse, seu veritatis cœlestis lumen hominibus attulisse, ut omnes in ipsum crederent, & sic in tenebris non manerent. Nec absurde hæc ipsa Johannis, de quibus controvertimus, verba, eodem pacto acceperis, ac si dictum fuisset: Deum in mortem tradidisse filium suum, ut omnes in ipsum crederent, atque ita credentes non perirent, sed haberent vitam æternam. Satis id convenit scopo loci, & similitudini superiori, ad quam illustrandam, & aliqua ratione comprobandam hæc verba subjiciuntur. Quemadmodum enim serpens æneus à Mose ideo fuit in altum erectus, ut omnes in universis castris cum contueri possent, & hoc pacto per Dei benignitatem ac virtutem à lethifera serpentum vi servarentur: ita etiam Deus Christum, dum illum in crucem tolli, eaque via in ipsum cœlum solumque suum elevari voluit, velut in sublimi & illustri loco conspiciendum omnibus proposuit, & causam plenissimam dedit, ut in ipsum crederent, atque ita per Dei benignitatem interitum ef-

fugerent, æternamque vitam adipiscerentur, quo pertinent verba Domini Jesu apud eundem Johan. cap. 12, 32, quæ ab aliis quoque ad istorum illustrationem afferri solent, & à nobis supra fuerunt adducta, ubi ait: *Et ego ubi exaltatus fuero de terra, omnes traham ad meipsum*. Quin & illa, quæ eodem cap. v. 23, 24 habentur, huc referri queunt, ubi Christus de glorificatione sua per mortem adipiscenda loquens ait: *Amen amen dico vobis, nisi granum tritici cadens in terram moriatur, ipsum solum manet, si vero moriatur, multum fructum fert*. Quanquam vero nulla est causa, cur ea, quam attulimus, verborum capitis 3 sententia rejiciatur: tamen si quis eam nolit admittere, sequetur quidem, fidem ipsam mortis Christi tanquam effectum hic non abscribi, nec tamen etiam negari; contra vero salutem, credentibus ac fidem habentibus dandam, ei aperte attribui. Id quod duplici fit ratione: partim, quia Deus morte filii sui unigeniti, tanquam amoris ac promissorum suorum pignore, sese nobis obstrinxit ad nos ab interitu vindicandos, & æterna vita donandos, ac nobis jus quoddam ad tanta bona repetenda dedit; partim quia Christum ea ratione ad supremum in omnia imperium evexit, & fidelem ac misericordem Pontificem effecit, eum ipsum in finem, ut nos ab æterna morte liberatos, vita æterna bearet.

Ait Partic. 117: *Idem non obscure monstrare eum ipsum locum Pauli, quem Socinus sententia sua firmanda causa adducat: Qui traditus est propter peccata nostra, resurrexit propter justificationem nostram*. At primum non apparet, ubinam ex his verbis probet Socinus, mortem Christi nobis ingenerare fidem. Notare locum debuit Grotius. Deinde non vidimus, quomodo contrarium inde probetur, etiamsi Grotio concedatur, vocem *propter* in priori loci membro causam impulsivam, in posteriori finalem significare; quod quominus fiat nos non pugnamus, licet rationem, qua id Grotius probat, infirmam esse supra docuerimus. Imo vero si resurrectio eatenus ad justificationem nostram refertur, quatenus nobis fidem ingenerat, ut vult Grotius: certe cum mortis Christi resurrectionis & gloriæ illius causa fuerit suscepta, etiam fidei ingeneratio mortis finis erit, licet, hoc quidem pacto, non proximus & immediatus.

Quod Grotius Partic. 118, videtur malle resurrectionem eo loco accipere pro toto statu glorioso Christi, nec tanquam argumentum ad persuadendam fidem spectare, in eo Socinum habet sibi consentientem. Is enim lib. 2. cap. 21 hæc verba aliqua ratione explicans, ait, * se putare, Resurgendi verbo Paulum supremam quoque potestatem Christi complecti; & satis ostendit, ideo potissimum resurrectioni Christi eo loco justificationem adscribi, quod Christus ejus vi nobis peccatorum remissionem vitamque æternam, in qua justificatio nostra continetur, sit largiturus.

Pergit Grotius Partic. 119, & ex Pauli Rom. 4 verbis id, quod dixerat, probat: *Utro modo sumas, apparet resurrectioni, qua à morte distinguitur, finem aliquem adscribi peculiarem. Vicissim morti, sive traditioni in mortem separatim adscribitur, quod ob peccata*

* Pag. 182, 183.

contigerit. Id autem ipsum & resurrectioni nusquam ascribitur, & hoc loco eidem non obscure adimitur. Mors ergo Christi in hoc negotio & à resurrectione & à fidei ingeneratione sequestranda est, & in iis locis, quæ ex morte Christi remissionem deducunt peccatorum, distinctus quidam effectus intelligendus est, quem præ se fert ipsa verborum simplicitas, consentiens cum aliis Scripturæ vocibus, quæ Christum ob peccata nostra mortuum cruenta morte, pœnasque nostrorum criminum ab ipso exactas fuisse pronunciant: cumque illis, quæ Deum nobis per Christi sanguinem placatum ac reconciliationem, sanguinem ejus pretium fuisse pro nobis datum, Christum vice nostra mortuum, & piæ mentis non obscure testantur, de quibus infra agendi erit locus.

Finem aliquem peculiarem resurrectioni, quæ à morte distinguitur, hoc loco adscribi non apparet, præsertim cum ex Grotii sententia resurrectionis tantum finis sit expressus, mortis non nisi causa impulsiva. Quid vero prohibet, quominus finis iste, qui resurrectioni adscribitur, idem etiam sit mortis? imo aliqua ex parte eundem esse necesse est, quatenus finis resurrectionis, non potest non esse etiam finis mortis, quæ ob resurrectionem fuit suscepta. Quod enim ad finem intermedium refertur, refertur etiam ad ulteriorem, cui medius est destinatus. Discrimen tantum est, quod finis ulterior huic quidem est propior, ab illo remotior, idque à Paulo indicari cum justificationem resurrectioni peculiariter adscribit, concedere possumus; præsertim si de justificatione, quæ actu ipso fiat, sermonem esse statuas, ut nos cum Socino arbitramur. Quod si verbis illis, *propter peccata nostra* velit quispiam finem intelligere, quod nos credimus fieri posse; non sequetur tamen, finem resurrectionis non esse etiam finem mortis, & hanc ab illa, ea in re esse sequestrandam. Simili enim ratione liceret argumentari infra cap. 10. 10, ubi dicitur: *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem*, quia salus separatim adscribatur confessioni, hunc finem aut effectum non esse tribuendum fidei. Id enim tum cum aliis Sacris Literis locis, tum cum hoc ipso pugnaret. Paulus enim & in vers. præced. cujus hic offertur probatio quædam, fidei & confessioni simul salutem adscripserat, & vers. 11, ubi hæc iterum probantur, fidei soli aperte adscribit, (nam non pude fieri nil est ibi aliud quam *salvum fieri*, ut explicatur vers. 13) quod etiam alibi fit sæpissime: cujus rei hæc est causa, quia fides, si sit firma, omnino ex se pariat confessionem. Itaque Sacræ Literæ cum concise loquuntur, fide simpliciter adscribunt salutem 2 Cor. 2. 12, confessioni raro, imo expresse, si hunc locum excipias, fortasse nullam, (aliis interdum vocibus id fieri fatemur Matth. 10. 32. Luc. 12. 8,) licet salus ei hic proxime annectatur: nempe quia alibi Sacræ Literæ fidei nomine etiam ejus effecta, inter quæ confessio, comprehendunt. Idem in nostro fit negotio, quia enim mors Christi resurrectionis fuit causa, effectum ex Dei decreto necessario habitura; ideo Sacræ Literæ concise & emphatice loquentes, morti simpliciter adscribunt justificationem, resurrectioni raro, & si hunc locum excipias, expresse vix uspiam: (aliis

verbis id fieri supra * vidimus:) nempe quia alibi mortis nomine etiam ejus effecta, inter quæ resurrectio, comprehendant. Verbis autem *propter peccata*, si ea de fine sumus, intelligi poterit peccatorum abolitio, ut alibi dictum, quæ separatim potuit subungi morti, ut & justificatio resurrectioni; quemadmodum supra vidimus cap. 5 hujus epist. v. 10, reconciliationem, quæ cum abolitione peccatorum eadem est reipsa, proxime adscribi morti, liberationem ab ira, quæ eadem cum justificatione, vitæ Christi. Quod si malis ea verba de causa impulsiva capere, non significabitur tamen morti, ut vult Grotius, distinctum à resurrectione finem adscribendum; sed potius, quia nullus morti subjungitur finis, sed tantum resurrectioni; contra causa impulsiva hujus expresse non commemoratur, sed tantum illius; indicabitur, causam quidem utramque morti & resurrectioni esse communem, & mortem finem suum, qui justificatio est, non fuisse assequuturam, nisi consequuta esset resurrectio, quod Apostolus clarissime docuit 1 Cor. 15. 17, 18: contra etiam resurrectionem aliquo modo contigisse propter peccata, (quod enim sit propter eorum remissionem, quæ justificatio est, sit etiam propter ea ipsa; quemadmodum quod sit propter sanitatem recuperandam, sit etiam propter morbum:) sed tamen alteram causam alteri rei arctius cohærere, quam alteri: h. e. mortem quidem magis susceptam ob peccata, quam resurrectionem; hanc contra arctius cum justificatione cohærere, quam mortem, præsertim si sumatur de ea liberatione ab ira, quæ actu fit, utrumque patuit alibi. Nam, quod ad prius attinet, quod hic urget Grotius, si peccata generis humani non extitissent, atque ita homines vi Legis justificari potuissent, Christum violentam mortem subire, & sic novam atque à Legali diversam justitiæ consequendæ rationem sancire non fuisset opus: at resurrectio, præsertim si hoc nomine totum Christi statum gloriosum intelligas, ut hic una cum Socino facit Grotius, nihilominus Christo contingere potuisset. Quid igitur mirum, si mors quidem propter peccata expresse dicatur suscepta, resurrectio non dicatur? siquidem illa ex peccatis nostris ita pendit, ut absque illis non fuerit extitura: hæc non item. Taceo sermonis elegantiam & emphasin, quæ major est, cum ostenditur, quam indignis modis Christus alienam ob culpam fuerit tractatus, quam si propter eandem culpam ad vitam supremamque gloriam dicatur traductus atque evectus. Unde ubi sermonis elegantia permittit, aut etiam aliqua ratione exigit, verba ejusmodi, quæ de resurrectione & exaltatione expresse nominata nunquam usurpantur, de morte autem crebro, adjiciuntur iis rebus aut actionibus, quæ ad gloriosum Christi statum præcipue pertinent, ut cum Christus dicitur *pro peccatis nostris* obtulisse aut offerre, quod de ipsius in cœlum per sanguinis fusione ingressu, & coram vultu Dei apparitione atque intercessionem intelligendum esse, docebitur cap. 10, quamquam id supra jam alicubi attigimus. Eodem pertinet, quod Christus apud Patrem degens dicitur esse propitiatio pro peccatis tum nostris tum totius mundi. Ex quo etiam concludere licet, id *propter*

* Vid. partic. 85.

peccata fieri. Quicquid enim fit *pro peccatis*, id fit etiam *propter peccata*, præsertim apud Grotium, qui eandem utriusque phrasis vim esse supra urfit.

Cætera quæ Grotius hic subjicit, partim superius jam sunt discussa, partim suis locis, Deo dante, excutientur.

RESPONSIO

Ad Caput II. quod inscripsit Grotius:

Quomodo in hoc negotio Deo considerandus sit: ostenditur considerandum ut Rectorem.

Hoc capite Grotius ad disjiciendas, ut ait, Socini objectiones, quas illi sua ratio, vel potius abusus rationis dictarit, gradum sibi struit, & Deum hic ut Rectorem statuit considerandum.

Partic. 1: Quod ad nostram sententiam attinet; siquidem triplex Dei actio in hoc negotio venit spectanda, quarum prima est, peccatorum nostrorum remissio; altera sanctionis divinæ, quæ poenas æternas peccatoribus, nulla resipiscentiæ habita ratione, comminabatur, relaxatio, imo & abrogatio quædam; tertia denique, traditio Christi in mortem: quarum actionum prima finis rationem habet, cæteræ duæ mediorum; quamquam secunda à prima ratione tantum hic differre videtur: in omnibus quidem his actibus Deus præcipue spectandus est ut dominus absolutus, isque liberrimus, ac nullius alterius potestati subjectus: sed aliquo modo etiam ut Rector, præsertim in duobus actibus posterioribus. De primo actu, de quo nobis hoc capite potissimum erit agendum, paulo post dicitur explicatius. Quod ad secundum attinet, licet Rectoris, quæ talis est, sit Legem vel relaxare, vel abrogare, quemadmodum & ferre; qua de causa diximus, Deum hic etiam spectandum esse ut Rectorem: tamen quia Deus ideo primo Rector noster est, & quæ vult officia nobis præscribit, ac poenas transgressoribus sancit (præscribit autem ac sancit ea tantum, quæ rectitudini & æquitati sunt consentanea,) & eadem quoque, si rectitudo permittat, relaxat atque abrogat Luc. 2. 29. Act. 4. 24. Apoc. 6. 10. Esai. 45. 6 & seqq. Jerem. 18. 6 & seqq. Conf. cum antec. Rom. 9. 20 & seqq. Quia dominus est noster absolutus ac herus, ipso creationis jure; cum quanti quanti sumus, ipsius simus, ab ipso toti producti: ideo etiam quicquid Deus juris habet, qua Rector est, in Legibus ac poenis sive faciendis, ac constituendis sive relaxandis aut etiam tollendis, id ex dominio ipsius absoluto primo pendet, & inde fere æstimandum est, quantum ei hac in parte liceat. Videtur enim regimen ac potestas gubernandi, quam Deus in nos habet, aut herus quivis in suos servos ac mancipia, ab absoluto dominio, quod in eosdem habet & exercet, eatenus præsertim, quatenus servorum voluntatem accedere oportet, ratione tantum distingui, & medii cujus-

dam instar esse, quo finem atque usum domini, quod in eos habet, consequitur. Quia enim, ut eum usum à servis ac mancipiis capiamus, quem jure nostro ab iis requirimus, eorum voluntatem sapissime accedere oportet; cum ii naturalem habeant arbitrii facultatem, & eatenus actionum suarum, quas ab illis exigimus, sint domini; ideo illos præcepto, & poenæ comminatione præcepto addita, ad id, quod volumus, faciendum adigimus: quod dum facimus Rectorum partes, quatenus illæ in herum cadunt, obimus. Quatenus enim servi arbitrium habent, eatenus sui quodammodo sunt, & dominorum non penitus proprii. Itaque eatenus etiam præcepta illis dari ac Leges ferri, & poenæ, ni pareant, constitui possunt; id quod regiminis est proprium, & ad eam potestatem spectat, quam habemus in alios & aliena, ut docet Grotius. Eatenus etiam injuria possunt afficere dominum, & vindicta in eos cadit: siquidem jus * secundum analogiam dictum hac in parte est inter dominum & servos, quemadmodum & societas atque amicitia, quæ pari quodammodo passu cum jure ambulant, qua de re nunc non est silius differendi locus. Hac igitur de causa diximus, Deum in sanctione, qua poenam peccatoribus fixerat æternam, nulla resipiscentiæ habita ratione, relaxanda abrogandaque, præcipue esse spectandum ut dominum absolutum, non *proprie* aut *proxime*. Siquidem propior ac magis propria est hic Rectoris *σχέσις*, *respectus*, seu *consideratio*, quæ ex illa pendet. Quod idem fere de tertia quoque Dei in hoc negotio actione: h. e. de traditione Christi in mortem, diximus. Nam quia Deus omnium hominum, ut aliarum quoque rerum universarum, dominus est absolutus; ideo etiam in Christum, qui natura homo erat, inque ejus vitam ac corpus jus domini absoluti habebat. Itaque pro eo jure ipsum nostræ salutis causa poterat in mortem tradere, & corpus ipsius cruci affigendum dare. Et licet ordinaria vi Legis Mosaicæ inspecta, quam exacte servaverat Christus, jus quoddam habuisse censeatur, ad mortem tam truculentam & execrabilem evitandam: tamen quia Deus omnes istos cruciatus præmio infinitis partibus majori compensaturus erat; jure tanquam Dominus absolutus, de eo statuendi habuit arbitrium. Quo fere pacto Prophetæ aliique viri Sancti, qui sub Lege vixerunt, præmio in ea manifeste propositio, quod ad hanc vitam spectabat, non sunt potiti Matth. 5. 12. 23, 30, 31, 37. Act. 7. 52. 2 Thess. 2. 15. Hebr. 11. 35 usque ad fin. cap. cum, si quisquam alius, eo essent dignissimi, sed atroci atque infami nonnunquam morte fuerunt sublato, Deo majus illorum pietati præmium reservante. Verum quia gravissimis de causis, quas ex cap. 1 hujus disput. colligere licet, opus erat, ut voluntas Christi libera & non coacta accederet, non vi, ut domino absoluto alias liceret, Christum morti objecit, sed præceptum ei hac de re dedit, & præmium divinissimum, si pareret, proposuit. Qua in parte rectoris æquissimi, & benignissimi amantissimique Patris, ad dura quidem, sed præclara tamen filium hortantis, fecit officium.

Quod ad primum Dei in hoc negotio actum atti-

* Arist. lib. 5. Eth. c. 6. lib. 1. Polit. cap. 6, Pacio. lib. 8. Eth. cap. 10, ibid. c. 8.

net, qui est peccatorum nostrorum remissio, seu à poenis peccatorum omnibus, præsertim æternis, liberatio: in eo, ut specialem etiam Dei *gratiam* exprimamus, Deus considerandus est primo ac præcipue ut pars offensa, sed (ut in generali quoque *gratia* explicanda addidimus) liberrima, & nullius alterius potestati subiecta. Deus enim quia dominus noster est absolutus, ac herus, hunc usum, hocque officium ac ministerium à nobis servis ac mancipiis suis jure suo exigit, ut mandata ipsius ac leges, sive naturaliter, sive alia quapiam manifesta ratione nobis præscriptas, servemus, & gloriæ ipsius unice serviamus: ideo cum mandata ipsius transgredimur, & officium ei debitum negamus, cum offendimus, & quantum in nobis est, lædimus, atque injuria afficimus. Intelligendum enim est, herilis imperii, quale Deum in nos habere diximus, (quamquam id si ejus administrandi modum, ac fructum ex eo ad nos redundantem spectes, ipsius benignitate, præsertim sub Novi Fœdere, vere paternum evasit) hanc esse naturam, ut ipsius imperantis causa primo ac per se comparatum sit, (a) & ad ipsius utilitatem, quæ variorum dominorum respectu potest esse varia, jure referri: quemadmodum & absolutum dominium, (b) ex quo herile imperium nasci diximus, cum eo interveniente dominii usus ac fructus exigatur & percipiatur. Quare Deus jure optimo sui ipsius causa omnibus imperat, & teipsum primo in nobis regendis respicit, licet interim utilitati nostræ summopere consulat. Hinc de Deo pronunciat Salomon Prov. 16. 4. *eum omnia propter semetipsum fecisse, aut facere, etiam impium ad diem malum.* Hoc est, etiam hoc, quod impium poenæ destinavit, aut destinet, & ad supplicii tempus reservet. Idem docent illa Scripturæ loca, in quibus dicitur, *in ipsum*, aut *propter ipsum esse omnia* Rom. XI. ult. 1 Cor. 8. 6. Hebr. 2. 10, quia in ipsum tanquam ultimum finem spectent: quemadmodum etiam *ex ipso*, aut *per ipsum sint omnia*, tanquam causam efficientem ac conservantem. Merito enim is, qui prima est omnium rerum causa efficiens, est etiam ultimus omnium finis. Conditionem istam divini imperii, quod Deus in nos, tanquam herus in servos suos habeat, indicavit Paulus, dum de nobis, quatenus redemptionis jure Dei servi ac mancipia sumus, loquens ait 1 Cor. 6. 19, 20: *non estis vestri. Exenti enim estis pretio. Glorificate ergo Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei.* De quo loco cap. I nonnihil diximus. Gloriæ nimirum divinæ nos totos ut consecremus præcipit, quia etiam toti sumus Dei, qui hunc usum à nobis servis ac mancipiis suis jure suo postulet. Ista autem glorificatione Dei, quæ tum corpore tum spiritu nostro perficiatur, universam nostram pietatem & obedientiam comprehendit. Neque enim Deus eas, quas alii domini quærun, à nobis exigit utilitates, cum iis nec indigeat, sed omnibus ipse suppeditet Act. 17. 25. 1 Sam. 15. 22, 28. Psal. 50. 7, usque ad 15 & 16 ult. Joh. 4. 23, 24. Eccles. 15. 14 & seqq. verum obedientiam, & gloriam ei conjunctam, ac spiritum, unde illa proficisci debent, seu cor nostrum, quod in nostra potestate posuerat; cum arbitrium voluntatis nobis dedisset. Debetur ergo pie-

tas & obedientia nostra universa Deo, jure dominii, ut Christus quoque apud Lucam satis aperte ostendit cap. 17. 7, 8, 9, 10, eaque non præstita offenditur. Etiam si autem interdum alia etiam aliqua persona delictis nostris lædatur, nihil minus tamen solus Deus tum censeri potest offensus atque injuria à nobis affectus: cum injuria illa personæ cujuscunque in ipsum, tanquam absolutum omnium dominum, redundet. S. rvis enim ipsis nulla fieri (a) injuria intelligitur, sed domino per eos fieri videtur. Unde etiam nobis vindicta jure suo interdixit, & pronuntiavit, suum esse vindictam, se redditurum Rom. 12. 19. Hebr. 10. 30. ex Deut. 32. 30. Quia vero Deus delictis nostris offenditur, jure etiam irascitur, ac poenam expetit, quam (b) misericordiam, quæ iræ contraria est, & non secus atque illa, liberæ ipsius voluntatis est effectus, remittit; nec minus tum, cum alios quoque simul, si naturaliter rem spectes, læsus est, quam cum ipse solus. Hinc triplex nobis nascitur argumentum, quo probatur, Deum, qua pars offensa est, jus habere ad poenam repetendam, seu, quod eodem hic recidit, ei jure absoluti dominii poenam deberi; ac proinde in hoc negotio ut partem offensam, & ut creditorem ac dominum poenæ esse considerandum. Ostendimus enim primum, Deo à nobis deberi obedientiam legi ipsius præstandam jure dominii absoluti. At cum ea non est præstita, in ejus locum succedit poena. Quare hæc eodem jure debetur Deo, quo obedientia, hoc est, jure absoluti dominii. Deinde parti læsæ naturaliter debetur compensatio injuriæ, ut infra docet Grotius. Ergo & Deo, quem in nostro negotio partem offensam esse docuimus, & fatetur Grotius. At si ulla hic est compensatio, ea per poenam fit, qua delictum luitur, quod etiam in civili judicio sæpe contingit. Nam alias nihil vel dari Deo à nobis potest ad compensandam injuriam; cum omnia si ut Dei jure dominii absoluti: nihil etiam ipsius causa à nobis post delictum potest fieri ad eandem injuriam sarcindam, quod ei ante delictum non debuissimus eo jure, quo naturaliter ipsi eramus obstricti. Quod autem meum est, id amplius meum fieri non potest, ut supra dixit Grotius. Restat ergo, ut, si Deus jus suum persequi velit, per poenam fiat compensatio, ut qui non satisfecerat parendo, satisfaciat patiendo. Et etiam si tandem alius quispian restaret compensandi modus, tamen Deus hunc pro arbitrio suo, siquidem natura sua injustus non est, eligere ac statuere posset. Præterea ira, ut supra loquutus est Grotius, de ira ipsius Dei in hoc negotio differens, puniendi est affectus, seu mavis puniendi voluntas ac desiderium. Quod si ergo Deus jure irascitur, ut certe non nisi jure irasci potest, jure etiam poenam vult atque expetit. At irascitur ut pars offensa. Quapropter etiam ut pars offensa jure poenam vult atque expetit; & cum nullius potestati sit subiectus, qui poenæ inflictione ipsi possit interdicare, eam quæ vult ratione, vel per seipsum, vel per quemcunque alium infligit. Irasci autem Deum ut partem offensam, licet per se satis videatur liquere, ex iræ natura probatur, quæ secundum Cic. (b) est cupiditas (quamquam ipse ex

(a) Arist. 1. 8. Ethic, cap. 10 & 11. (b) Grotius inf, hoc cap.

(a) lib. 4. Infit, tit. 4. (b) l. 4. Tuscul. qu.

Stoicorum sententia libidinem habet) puniendi ejus, qui læsisse videtur injuria. Cum quo consentit Aristoteles, (a) qui ait, iram esse appetitionem apparentis pœnæ cum molestia conjunctam, ortam ex opinione contemptus sive sui, sive alicujus ex suis, non convenienter, hoc est, qui contemptus non convenire videatur ei, qui eo afficitur, seu quo is, qui contemnitur, appareat indignus. (b) Ita ergo seu pœnæ appetitio læsorum est, atque injuria affectorum, quales sunt, sive illi in se ipsis sint læsi atque contemti, sive in aliis, ob quamcunque conjunctionem, quam cum illis habere videantur: & si quidem vere sunt offensi seu injuria affecti, justa est ipso genere tum ira, tum pœna, ad quam illa fertur; quod si modus etiam in utraque legitimus observetur, utraque prorsus justa est: si vero ii offensi atque injuria affecti videantur tantum, non autem revera sint; ira, ac pœna inde orta, injusta est per se; & si modum alterutra superet, eatenus etiam injusta est. Nec est quod quis dicat, Deo improprie tribui iram, ut & alios affectus. Nam tribuuntur nihilominus Deo per analogiam; idque abstractis tantum iis, quæ imbecillitatis humanæ sunt propria: cætera Deo relinquenda sunt. Quod idem de aliis quibusdam vocibus, quibus aut ipsa Scriptura, aut nos, consentiente Grotio, in hoc negotio utimur, dictum volumus. Vix enim quicquam est, quod de offensa parte, injuriam suam juste ulciscente, generatim dici potest, quod Deo vel à Scriptura ipsa non tribuatur, vel Scripturæ convenienter tribui nequeat. Tolle igitur ab ira perturbationem, quæ in hominibus solet contingere, tolle veram molestiam ac dolorem, quem irati sentiunt, cui in Deo displicentia peccati, & si quid huic displicentiæ statim ex rei natura annectitur, respondet; cætera Deo conveniunt. At esse partem offensam, pœnam velle atque expetere, etiam in Deum cadunt. Quare quæ illis, qua talia sunt, competunt, ea Deo quoque recte tribuuntur. Quod si pars offensa, qua talis est, pœnam vult atque expetit, & si vere est offensa, jure id facit; idem de Deo est statuendum. Constat ergo, Deum ut partim offensam jus habere ad pœnam repetendam, eamque ipsi deberi. Quod multo magis verum esse apparebit, si consideres id, quod & Grotius asserit, & ratio dicat, pœnam omnem utilitatis causa compratam esse. Quicquid autem utile est, alicui est utile. At utilitas ista ad quemnam redire debet jure, nisi ad illum, qui damnum ex delicto, cujus pœna exigitur, sensit? is vero est læsus, qui in nostro negotio præter Deum est nemo. Adde quod, si tota illa communitas, cui Deus præest, peccet, quod per naturam non est impossibile, & in hoc negotio aliqua ratione contigit; cujusnam bono pœna tunc jure quodam exigitur? Non ipsius communitatis, quæ pœnam solvere debet, non vero illam suo jure postulare, qua carere longe etiam mallet; præsertim si extremum supplicium singuli debeant luere, quod ipsorum utilitati servire nequaquam potest. At hic utrumque contingit. Nam & universum genus humanum peccarat, & pœna, quam ferre debebant omnes, erat interitus sempiternus, extremaque infelicitas, nunquam prorsus in melius mutanda. Quare pœna hæc nec poterat, nec, si

(a) l. 2. Rhet. cap. 2. (b) l. 5. Eth. cap. 8.

potuisset, jure aliquo debebat in hominum utilitatem cedere. Quod si nihilominus utilitatem aliquam ea pœna habere debebat, ut certe debebat, cum alias ne exigi quidem potuisset, præsertim à Deo, qui nec frustra quicquam facit, nec facere ob sapientiam suam potest; eam utilitatem ad Deum spectasse oportet. Nam quod alia quædam extiterit communitas, ad quam fructus aliquis redundare potuisset: id respectu ejus pœnæ per accidens est; cum nullum ei communitati ad pœnam illam, aut ejus fructum repetendum jus esset, nisi ea simul statuatur esse læsa & injuria affecta: ac præterea potuisset nos Deus in æternum ob scelera nostra jure punire, etiamsi præter homines creatura rationalis extitisset nulla; aut etiamsi nemo quicquam de ea pœna scripturus fuisset. Cui enim ulla facta fuisset ea in re injuria, cum nos pœnam illam prorsus mereremur? Patet ergo Deo pœnam deberi, & eum jure suo proprio eam repetere posse, eodemque modo de ea, quantum velit, remittere: id quod juris est dominii absoluti. Ideo supra de generali Dei in hoc negotio *ἡσίου* agentes diximus, Deum in tribus istis, quos constitui-mus, actibus, præcipue spectandum esse ut dominum absolutum: quamquam id diversimode. Nam dominium istud Dei, in primo actu præcipue referendum est ad rem, hoc est, ad pœnam, quæ Deo tanquam domino ipsius absoluto debeatur: in duobus posterioribus actibus potissimum ad personas, hoc est, ad nos, & Christum. Considerari quidem potest etiam in primo Dei actu dominium ipsius respectu nostri ipsorum, sed tanquam causa remotior ejus juris, quod ad pœnam repetendam habet. Quia vero Deus remissionem pœnæ ad correctionem morum nostrorum direxit; siquidem ea ratione nos sibi mirifice devinxit, & ad sibi parendum in posterum obstrinxit, eamque conditionem lege nobis imposuit; possis Deum in hoc etiam actu aliquo modo considerare ut Rectorem. Quamquam privatus etiam, qui læsus est, conditionem hujusmodi, quæ sane æquissima est, potest imponere ei, qui læserat, si injuriæ condonationem obtinere velit; id quod ipsi legis instar erit. Hæc nostra est de partibus, quas Deus in hoc negotio sustineat, sententia, quæ postea pluribus confirmabitur, Grotius, qui Deum quidem partem offensam esse statuit, sed ei, qua talis, nullum ad pœnam repetendam jus relinquit, ideoque eum de suo nihil hic remisisse, sed de eo tantum jure, quod communitatis alicujus causa comparatum sit, quæ communitas in nostro negotio ipsum genus humanum est, cessasse arbitratur, summam Dei erga nos misericordiam ac beneficentiam, quæ in peccatis nostris condonandis cernitur, quantum in se est, penitus tollit; adeoque in Deum, quem & jure isto, & hac beneficentiæ laude, quæ longe maxima est, privat, admodum est injurius; & hic error, quod ipse Socino objicit, Deum ut partem offensam hic considerandum esse statuenti, dici possit in hac materia esse ipsius *τὸ πρῶτον ψεύδος*, *primum falsum* seu *primus erroris fons*. Quapropter ut error ipsius melius pateat, videamus quæ scribat.

Probare igitur conatur Partic. 2, *omnino hic Deum considerandum, ut rectorem. Nam pœnas infligere, inquit, aut à pœna aliquem liberare quem punire pos-*

sis, quod justificare vocat Scriptura, non est nisi rectoris quatales primo & per se: ut puta in familia patris: in republica regis, in universo Dei.

Pœnas infligere, aut à pœnis liberare, concedimus quidem esse etiam Rectorem; sed aut non primo, aut non per se, verum eatenus, quatenus vel ipsimet sunt læsi, ut in nostro negotio contingit, vel partis læsæ, quæcunque illa tandem sit, jus persequuntur. Lædi autem præter Rectorem, qui pœnam reipsa exigit, potest vel dominus ejus communis absolutus, cui rector iste præest, aut Princeps eo superior, qui per rectorem sibi subordinatum injurias suas persequi ac vindicare potest: quo pacto Rectores ac magistratus omnes Dei sunt ministri in coercendis delictis Rom. 13. 1 usque ad v. 7. 1 Pet. 2. 14, præsertim eatenus, quatenus ordinem ac tranquillitatem publicam, bonorumque securitatem turbant ac convellunt. Lædi præterea potest ea ipsa, cui rector aliquis præest, Societas seu communitas, vel alia quævis; vel subditus aliquis, aut etiam quispiam alius. Nihil enim prohibet, quominus rector, (quemadmodum in nonnullis etiam privati, præsertim amici,) vel rogatus, vel sponte sua, amicitiae, aut ipsius humanitatis, quo inter nos devincti sumus, jure impulsus, causam alterius cujuspian suscipiat, & sic jus alienum, illius, cui id competit, nomine, inque ejus utilitatem, persequatur. Idem in debitis, quæ exigere per se creditorum est, accidit, cum debitores non nisi vi ad solutionem adigi possunt, aut de debito est controversia. Neque vero mirari quispiam hic debet quod nunc statuamus, homines quoque ipsos lædi & injuria posse affici, & sic etiam jus ad pœnam repetendam habere; quod tamen antea vix sumus negare, propterea quod omnes Dei sint servi; servus autem nulla injuria fieri intelligatur, sed domino per ipsos. Animadvertendum enim est, nos, dum hominibus quoque id tribuimus, eos considerare ut natura liberos, quemadmodum in jure civili considerari solent, ubi homines cum hominibus hac in parte, non cum Deo conferuntur. Quamquam, ut supra diximus, servi, quia arbitrio sunt prædiri ac voluntate libera, etiam dominorum respectu, aliquo modo liberi censendi sunt, tanquam actionum suarum domini, & sic sui, non alieni. Quatenus autem libertas cuiuspiam comperit, eatenus etiam juris ac injuriæ capax est, earumque rerum, quæ jus aut injuriam consequuntur. Unde etiam quæri sæpe solet, cujus rei exempla in ipsis Sacris Literis habentur, an Deus hoc aut illud jure possit potueritve hominibus imponere nec ne; & Deum justitia & æquitate adversum nos uti asseritur, etiam nullo ipsius promisso, quo se nobis expresse obligarit, antegresso. Quia ex conjunctione inter Deum & creaturas mente atque arbitrio præditas, statim jus quoddam oritur, quod ab ipso ampliari pro arbitrio potest, quod sit promissis ipsius à libera voluntate manantibus. his enim jus acquiritur ei, ad quem pertinent. Quæ de re nunc non est fusius differendi locus.

Quod vero Grotius ait, à pœnis aliquem liberare, quem punire possis, à Scriptura vocari justificare; id licet velut aliud agens interseruerit, ideo tamen addidisse videtur, ut ostenderet, remittere peccata non esse nisi rectoris. Nempe quia justificare non sit nisi judicis: judex autem, quatales, sit re-

ctor. Verum ne de eo nunc quicquam dicamus, quod justificare, cum de remissione peccatorum accipitur, non significet, quempiam sententia sua justum pronunciare, quod judicis videtur esse proprium: sed tantum, eum, quem ut injustum ac fontem tractare posses, tanquam justum ac fontem tractare, seu à reatu ac pœna liberare, utut eum injustum ac nocentem interea sive censeas, sive pronuncies. Id vero non tantum in judicem cadit, sed etiam in eum, qui judex quidem non sit, sed jus tamen ad pœnam per alterum repetendam habeat, quemadmodum creditor ad repetendum debitum, quique proinde si jure suo cedat, nocentem impunitum præstare possit, non secus ac creditor, si debitum remittat alteri. Fatetur enim Grotius partem offensam Lege positiva posse fieri pœnæ creditorem. At cum creditor jure suo plane cedit, nemo debitum illud jure exigit. Ut, inquam, illud mittamus, animadvertendum est, judicare non esse rectorum, quatales, primo, sed eatenus, quatenus alienum jus persequuntur, cujus persequendi potestas non naturali, sed positiva Lege illis aut demandata est, aut permessa. Omnes enim illi, qui nulli superiori potestati sunt subiecti, & sic de jure suo statuendi liberrimam habent potestatem, etiamsi non sint rectores eorum, qui illis quocunque nomine debent, tamen de eo, quod illis debetur, naturali jure, ac ordinarie judicare possunt; & his id primo competit, cæteris propter illos. Nemini enim, dum sui tantum repetendi causa id faciunt, ea in re inferunt injuriam. Quapropter jus illud de re sua judicandi, à natura habent, quod tamen, ubi rectoris alicujus potestati se permiserint, aut quacunque de causa subiecti fuerint, lege positiva, qua naturalia jure restringi, & ad communem utilitatem & societatis humanæ conservationem magis attemperari solent, in rectorem transfertur. Quod cur fiat, postea explicabitur. Quod si quis objiciat, neminem idoneum esse in causa sua judicem: præterquam quod id de Deo, qui justissimus est, nec à rectitudine & æquitate ullo pacto abduci potest, nemo dicere ausit: is autem nobis hic potissimum spectandus est: Grotius ipse inferius hoc cap. id non juris naturalis, sed positivi, ideoque nec universale esse pronunciat; quia id plane non habeat locum in summis rectoribus, quo nomine & parentes quoad familiæ curam comprehendit. Nos Grotii dictum latius extendentes dicimus, id locum non habere in iis, qui superiori potestati non subint, & quibus proinde lex positiva, quam ipsi sibi non ferant, ferri atque imponi nequeat. Neque enim ideo revera summi rectores lege illa positiva non tenentur, quia rectores sint; (potest enim ea teneri rector inferior) sed quia sint summi, seu nullius alterius potestati subiecti. Alias enim ratio Legis in rectoribus æque valet, atque in aliis. Ideo enim nemo in sua causa idoneus censetur judex, quia privati affectus, amor nempe sui, ac propriæ utilitatis, aut contra ira atque odium in partem adversam, non videantur passuri, ut judicium sit incorruptum, & æquitati consentaneum: cum affectus illi menti nebulas soleant offundere, & vix permittere, ut verum ac justum pervidere queas, aut quod justum cernis, pronunciare ac facere velis.

Unde si quem adeo rigidum virtutis & æquitatis custodem videmus, ut ne in sua quidem causa videatur à recto discessurus, imo æquius etiam ac mitius, quam in aliena causa iudicaturus, ei nonnunquam libenter de causa communi iudicium permittimus, atque adeo malumus ipsum, quam quempiam alium sententiam ferre. Privati ergo affectus, & metus injuriæ efficiunt, ut neminem in sua causa idoneum statuamus esse iudicem. At id æque in rectoribus habet locum, atque in iis, qui non sunt rectores. Quare quod summi rectores nihilominus in sua causa possint esse iudices, id non ideo revera accidit, quod rectores sint simpliciter, sed quod sint summi, quibus potestas in sua causa iudicandi à nemine potest eripi; quod idem habet locum in aliis omnibus, qui plane sunt liberi, & superiorem potestatem non agnoscunt, etiam si aliis regendis non præsent. Decipit fortasse in hoc negotio Grotium, quod vix quisquam sit, aut cogitari queat, qui, cum alienæ potestati non sit subiectus, non sit simul etiam rector, & quidem in suo genere summus. Omnes enim ita sunt naturæ lege inter se copulati atque devincti, sapientissimi naturæ Architecti (a) consilio, ut vix quisquam possit absque societate vivere: in societate autem, si illa consistere debeat, necesse est vel regere, vel parere, (b) vel etiam utrumque tempore aut respectu diverso, facere. Itaque si quis sit, qui nulli plane potestati subiectus est, eum rectorem simul esse consentaneum est, & quidem summum. Nisi enim summus esset, jam alienæ potestati foret subiectus. Hæc igitur inter alias videtur fuisse causa, cur Grotius illa, quæ iis, qui nullius potestati sunt subiecti, qua talibus conveniunt, ad rectores summos retulerit, non qua simpliciter sunt summi, h. e. nulli alteri subiecti, sed qua rectores sunt, & alios sibi habent subiectos. Atqui per accidens fit, ut is, qui nullum agnoscit superiorem, ipsemet sit superior aliis, & qui ab alio non regitur, regat alios. Quare quod competit supremo, vel, ut rectius loquar, ei qui prorsus est liber, & nulli potestati subiectus, quatenus talis, id per accidens, aut secundo, seu propter aliud, competit rectori, qua talis est. Ut igitur ad propositum redeamus: potest etiam is, qui rector non est, iudicare, & sic etiam justificare atque absolvere: maxime autem Deus à nobis offensus, qui cum nulli prorsus potestati sit subiectus, ac præterea iustissimus ac sapientissimus, ut falli in iudicando, aut à rectitudine discedere nequaquam possit, ac denique potentissimus, qui sententiam latam semper & adversus quemcunque possit exsequi, omnia perfectissima ratione habet, quæ in iudice desiderare queas; nulla interim habita ratione ejus, quod aliis regendis præsit. Veruntamen quia diversæ illæ in Deo schefes, nempe Rectoris, & ejus, qui simpliciter sit summus, quique ut pars offensa sententiam de poena sibi debita ferat, ratione tantum distinguuntur; non mirum esset, Sacris Literas, quæ populariter loqui solent, & *ἀνεξέτητον* accuratorem istam, quam, ita volente Grotio, hic sectamur, non adeo spectant, ejusmodi vocem huic actui, de quo agimus, accommodare, quæ proprie actum rectori per se competentem

significet. Quapropter, etiam si justificare proprie loquendo non nisi rectori, qua talis est, primo ac per se conveniret; non tamen protinus sequeretur, Deum hic spectandum ut Rectorem. Verum ea responsione nobis hic opus non esse, ex dictis apparet.

Sed videamus quo pacto Grotius probet *Punire, aut poenis aliquem liberare, quem punire possis, non esse nisi rectoris qua talis primo & per se.*

Probat id ergo hac ratione Partic. 3: *Quod poena sit ultimum in coactione: coactio autem non competat, nisi superiori, τῇ ὑπερέχουσῃ ἐξουσίᾳ, superiori vel eminenti potestati.*

Cum Grotius per *superiorem* hoc loco cum intelligat, qui alteri regendo præest, qua talis; haud est concedendum, coactionem non competere nisi superiori. Competit enim naturaliter cuivis, cujus rem alius per vim detinet, aut etiam invadit: in illud, ut restituat, in hunc, ne eripiat. Rei autem nomen tam late sumimus, ut omnia illa, circa quæ versatur læsio & injuria, comprehendamus. Id quod dicimus, videtur per se manifestum. Nam ab eo, qui vi quippiam detinet, vi repetere rem naturali jure licere, nulla habita ratione regiminis aut imperii, quod in illum habeas, quis dubitat? hinc enim jura belli, & si quid bellis respondet in singulis. At ubi vi res repetitur ab eo, qui eam detinet, coactio est. Hinc multos videmus incidere casus, ubi ipsa natura & ratione dictante vis adhiberi etiam à privatis potest, & cogi is, cui regendo illi haudquam præsent, ut prædam v.g. ablatam restituat, aut compescatur, ne nocere queat. Nec necesse est jus illud rectores largiri privatis, sed satis est, ut, quod habent à natura, illis non negent aut eripiant. Hoc pacto, ut Grotius infra etiam ex Sacris Literis docet, & alias manifestum est, regi à rege ob injuriam illatam bellum indici atque inferri potest jure naturali, potestque cogi alter ab altero, atque adeo etiam puniri. At rex iste, qui bellum infert, non est rector alterius regis: sed ad eum se habet, ut privatus ad privatum, qui uterque liber est, nec juris alieni: regiminis ratione sunt pares, idque hic per accidens tantum concurrat. Hoc quidem requiritur, ut qui cogere velit alterum, præsertim vi aperta, eo, ut jure, ita & viribus sit superior, & hoc pacto *ὑπερέχων*: sed vires non cogendi jus largiuntur, sed ejus, ad quod faciendum jus jam habes, exsequendi facultatem, ac possunt etiam in eum cadere, qui jus cogendi habet nullum: nec ea res est rectorum propria.

Partic. 4. Quod ad Senecæ dictum attinet, qui clementiam definierit *lenitatem superioris erga inferiorem in constituendis poenis*; id primum non probat, poenam constituere esse solius superioris: sed tantum, hujus solius in poenis constituendis lenitatem clementiam dici, quæ in aliis, licet idem forte facientibus, hoc nomine insigniri non solet. Deinde non constat, an Seneca eum tantum vocet superiorem, qui alteri gubernando præsit, qua talis est; an vero quemvis, qui viribus ac potentia ita sit altero superior, ut facile ac tuto injurias suas in eo vindicare aperta vi possit, sive ob imperium id fiat, sive aliam ob causam. Nam in cæteris, ut idem docet, * non vindicare injurias, infirmitas videtur, non clementia. Atqui ea virium

a Arist. 1. 1. Polit. 2. b ib. c. 1.

* Lib. 1. de Clem. c. 7.

ἐπιτομή, etiam si cum imperio fere soleat concurrere, & quo majus id est, tanto magis, non est tamen imperii ita propria, ut Reſtori, qua reſtor eſt, ſolum competat. Videtur ſane ipſemet Seneca alicubi de clementia diſputans ſuperiorem ab inferiori diſtinguere excellentia fortunæ, dum ait: (a) *Vita etiam ſuperiori eripitur, nunquam niſi inferiori datur. Servare, proprium eſt excellentis fortunæ.* Quapropter nec clementia ſua natura reſtoris, qua talis eſt, propria cenſenda erit: nec reliquæ clementiæ definitiones, quas eodem loco affert Seneca, (b) id poſtulant. Unde videmus, cum Principes alieno etiam ſubdito, in quem injurias ſuas facile poſſent vel per ſe vel per alios vindicare, offeſas ſuas condonant, eos clementia dici uſos. Atqui id illi non faciunt revera qua reſtores, ſed qua potentes ſimul, & offeſi. Itaque etiam ſi ejus tantum eſſet conſtituere pœnam, cujus etiam eſt clementia uti: non ſequeretur tamen, conſtituere pœnam eſſe ſolius reſtoris, qua talis. Verum ut tanto minus de Senecæ auctoritate nobis hic videatur laborandum, ipſemet efficit Grotius, qui paulo inferius, ejusdem dictum de clementia pro ſe adductum quaſi confirmaturus, non obſcure corrigit. Poſtquam enim Senecæ dictum attuliſſet: *Clementia liberum arbitrium habet, non ſub formula, ſed ex æquo bono judicat*; ubi ſub formula judicare, & judicare ex æquo bono, inter ſe oppoſuntur, & ei, qui formulæ adſtriſtus eſt, non obſcure adimitur, ex æquo bono, ſeu ſecundum æquitatem, quæ ſtriſto jure oppoſitur, judicandi poteſtas: Grotius ita ſubjicit: *Æquitas enim eſt etiam adſtriſti formulæ judicis: at clementia proprie ita dicta non eſt niſi ſummi in quaque communitate reſtoris.* Quæ verba priorum ſententiam, quod ad poſtერიorem dicti iſtius partem attinet, corrigere nemo non videt. Quid autem de ipſius Grotii pronunciato, *clementiam proprie ita dictam non eſſe niſi ſummi in quaque communitate reſtoris*, ſtatuendum ſit, ex modo dictis intelligi poteſt; ut & illud, quouſque Senecæ dictum, *præter Regem ſervare poſſe neminem*, admitendum, dicta enim hujusmodi: *οἱ ἐπὶ τὸ πολὺ ὡς plurimum* vera ſunt, nec aurificis, ut ille ait, ſtatera, ſed quadam populari trutina ſunt examinanda. Idem de Auguſtini, quod ſubjicitur, dicto, quod videtur eandem continere ſententiam, dici poteſt. Quamquam id, cum de reſtoribus tantum qua reſtores ſunt, ſit ſermo, ſimpliciter admitti poteſt.

Ex dictis aliquo modo jam poteſt æſtimari, quid de eo ſit ſentiendum, quod Grotius ſubjungit Partic. 5: *Vindicationem, qua privatis & nulla ſuperiori poteſtate inſtructis tribui videatur, aut facti eſſe, non juris, quæ pugnet cum ipſa naturali æquitate, aut jus aliquod ſignificare non primo aut per ſe alicui competens, ſed aliena conſeſſione: aut denique non ſignificare ipſum puniendi actum, ſed poſtulationem duntaxat pœnæ infligendæ, aut à Deo, aut ab alio reſtore.* Nam ſi homines conſiderentur ut natura liberi, & non cum Deo, tanquam cum domino ſuo abſoluto conferantur, in quem omnes illorum redundant injuriæ, ſed potius cum hominibus, quo pacto injuriæ cenſentur eſſe ipſorum; non eſt id, quod Grotius aſſerit, univerſaliter admittendum, ut poſtea fiet clarius.

(a) Ibid. cap. 5. (b) Lib. 2. cap. 3.

Ait porro Partic. 6: *Hanc aſſertionem eo minus probationis indigere, quia Socinus alicubi fateatur, Deum in puniendis abſolvendisque hominibus ſtatuendum eſſe tanquam Principem: quo nihil verius dici potuerit.*

Sed animadvertere debuit Grotius, Socinum, ſuæ ipſius ſententiæ habita ratione, non conſiderare Principem eatenus, quatenus reſtor eſt, ſed quatenus omnino liber, & nullius alterius poteſtati ſubjectus; adeoque eum non opponere illi homini, qui liber quidem ſit prorsus, ſed ſuperiori in alios poteſtate non inſtructus: multo autem minus parti offeſæ, cui Principis ſcheſin, tanquam à Socino hic conſeſſam, infra Grotius oppoſit. Socinus enim Principem tantum oppoſit judici ſub Lege conſtituto, qui propterea liberam pœnas condonandi poteſtatem non habeat. Ita enim loquitur eo, quem Grotius citavit * loco: *Deum in hominibus vel puniendis, vel abſolvendis, non tanquam judicem aliquem ſtatuendum eſſe, qui de alieno jure agat, cuique non liceat à legum præſcripto recedere: ſed tanquam dominum & principem, cujus ſola voluntas, cum de ipſius jure tantum agatur, omnium rerum lex ſit, & perfectiſſima norma.* Apparet ergo, Socinum non eatenus revera hic ſpectaſſe principem, quatenus reſtor eſt, ſed quatenus alienæ poteſtati non ſubjectus. Hac enim in parte ei judex ſub lege conſtitutus oppoſitur, non qua reſtor eſt: ſiquidem & Princeps reſtor eſt, & judex eſſe ſolet, præſertim is, qui de alieno jure ordinarie agit. Sumſit autem Socinus ideo potius Principem, quam aliquem alium, plane quidem liberum & alienæ poteſtati non ſubjectum, ſed privatum tamen, & nulla ſuperiori poteſtate inſtructum, partim quia libertas illa, ut ita dicam, abſoluta ac perfecta, in Principe omnium maniſeſtiſſime conſpicitur, præſertim quia, ut antea monuimus, vix quiſquam poteſt cogitari plane liber, ac nulli ſubjectus, quin ſimul etiam ſit reſtor, & is quidem in ſuo genere ſupremus: inter reſtores autem ſupremum locum obtinent Principes; partim etiam quia, ut tacitæ adverſariorum objectioni, cui hic occurrit Socinus, tanto magis ſatiſfieret, judici Princeps potius, quam privatus aliquis videbatur opponendus. Potuiſſet enim quiſpiam arbitrari, non mirum eſſe, eum, qui communitati alicui regendæ non præſit, offeſas ſuas nulla ſatiſſactione accepta remittere, & jure ſuo cedere; ſed eum, qui aliis ſimul gubernandis præſit, & judicis partes ordinarie obeat aut obire debeat, qualem conſtat eſſe Deum, id recte faſturum, dubitare potuiſſet. Quapropter, ne huic exceptioni locus eſſet, Principem nominavit, in quo reſtoris ac judicis partes cum ea, quam Socinus revera voluit exprimere, ſcheſi concurrunt. Itaque ſcheſin Reſtoris, quæ Principis voce continetur, adverſariis potius largitus eſt, quam ſibi ſumſit, aut ad ſuæ ſententiæ explicationem pertinere voluit; indicavitque hac ratione, ſi Princeps, licet reſtor ſit ac judex, offeſas ſuas libere, ſine ulla ſatiſſactione, condonare queat, & jure ſuo cedere, ſine ulla injuſtitie nota; æque, aut etiam multo magis Deum, licet reſtor ſit ac judex, id facere jure poſſe: præſertim cum Princeps liberis hominibus imperet non ſervis, ac proinde in pœnis vel infligendis vel

* Lib. 3. cap. 1.

remittendis communitatis ejus, quam regit, videatur rationem habere debere: Deus autem nobis tanquam herus ac dominus absolutus imperet, qui proinde communitati, cui præsidet, nihil hic debeat, cum ea tota sit illius; & in ejus usum comparata. Quia de causa Socinus priori loco commemoravit *dominum*. Quia hoc pacto melius exprimitur genus imperii proprium, quod Deus naturali jure in homines habet, quam Principe nominato. Denique vel eam ob causam Principis potius quam privati alicujus mentionem facere potuisset Socinus, quia ad explicandam veram hujus beneficii, quod in remittendis peccatis cernitur, magnitudinem non parum pertinet, considerare, quantus is fuerit, & quam potens, qui offensas suas nobis remiserit. Magis enim elucet clementia, & quæ hac continetur, benignitas, in magna potestate, quam ibi, ubi exiguae sunt ad ulciscendum vires. In *privatis*, ut sup. monuimus ex Seneca, *non retulisse gratiam ledentibus, infirmitas videtur, non clementia. At cui ultio infacili est, is omissa ea certam mansuetudinis laudem consequitur*. Eo pacto Christus in parabola illa Matth. 18, Dei in hoc negotio benignitatem tanto clarius ante oculos positurus, regem introduxit servo suo debita remittentem; licet non qua rex, sed qua creditor, ea remitteret: sed beneficentiam auget, & exemplo, quod nos Dei mancipia inde capere debemus, pondus addit, quod is remiserit, cui debitum exigere, & quidvis in nos statuere, esset promissimum. Adde quod majus est delictorum nostrorum pondus, ob majestatem offensi, & offendentium vilitatem. Non debuit autem Grotius, cum Socini sententiam de schesi, quam Deo in verbis citatis tribuat, referens, eam ita mutilare, & alteram ejus partem, eamque potissimam, quæ est, quod Deus sit pars offensa, & sic de suo tantum jure agat, omittere, atque, ut infra facit, duas ejus *ῥέσας* partes à se mutuo penitus divellere, & alteram alteri opponere. Deum enim ut partem offensam, & sic jus in poena habentem, non ut principem tantum, considerandum esse, tum in verbis præcedentibus aperte significarat Socinus, tum in iis ipsis, quæ adduximus, reperit, cum dixit, Deum esse considerandum ut principem, *de cujus ipsius tantum jure agatur*. Jus autem Dei solius hic agitur eatenus, quatenus ipse solus partis offensæ rationem habet. Quare duo hæc ad schesin, quam in hoc negotio Deus sustineat, ex Socini mente concurrunt: prius est, quod is sit pars offensa, atque ob eam causam jus ad poenam repetendam habeat, & quidem solus, cum solus sit offensus: posterius est, quod nulli sit potestati subiectus. Itaque eum opponit judici, non tantum sub lege constituto, sed etiam de alieno jure agent, hoc est, alienam causam, non suam disceptanti. Priorem respectum removet Principis appellatione; posteriorem vero eo, dum ait, de ipsius tantum jure agi, utrumque aliquo modo appellatione domini, quam primo loco collocarat.

Addit Grotius Partic. 17: *Nec aliud significavit Jacobus, cum dixit, unum esse Legislatorem, qui possit servare & perdere*, Jac. 4. 12.

Quia Jacobo hoc loco *servare & perdere*, non est vel salutem reipsa in aliquem conferre, vel puniendi

ac perdendi actum exercere: sed, quinam salute donandus, aut contra perdendus, pro arbitrio discernere ac definire; ideo etiam non eam in Deo expressit schesin, secundum quam ei prius istud conveniat, sed secundum quam posterius. Indicat id non tantum vox legislatoris, cujus, qua talis, non est, poenam reipsa infligere, sed eam Lege sancire ac definire, & quinam ea dignus sit, statuere: verum etiam scopus Jacobi, qui est ostendere, eos, qui aliis obtrecent, eosque judicent ac damnent, seu poena atque interitu dignos pro libitu pronuncient, id sibi sumere, quod solius Dei sit proprium. At cum illi tantum arbitrium de poena decernendi, aut sententiam de ea ferendi sibi sumant, non vero poenarum ipsarum inflictionem sibi arrogent; non eam Dei schesin debuit exprimere, secundum quam hoc posterius illi competit, sed eam, secundum quam prius. Idem statuendum est, etiam si cum vetustis quibusdam exemplaribus Græcis, ut notavit Beza, Syriaca item & Latina interpretatione legas: *unus est legislator & iudex, qui possit servare & perdere*; quod non male videtur congruere, tum ob ea, quæ de iudicandi damnandique licentia præcesserunt, tum ob id, quod statim sequitur: *Tu quis es, qui iudicas alterum?* Nihilominus enim de sententiæ tantum damnatoriæ latione, non vero de poenarum inflictione, quæ judici alias convenit, sermo esset. Est enim tum legislatoris tum iudicis poenam definire, & de ea pronunciare: illius quidem generatim in primis & absolute, nulla facta mentione certæ alicujus personæ, quæ poena sit digna; hujus vero speciatim, ac de certa aliqua persona, quæ deliquerit. Quamquam etiam Legislator hoc posterius veluti consequenter facere censendus est. Qui enim certum aliquod delinquentium genus damnat, ac puniendum statuit, is, simul ac quispiam contra Legem latam deliquit, eum poena dignum sententia sua pronunciat. Verum etiam si Deo, ut judici, ipsarum poenarum inflictio hic tribueretur, id tamen sententiam Grotii nequaquam confirmaret. Quandoquidem ostendimus, iudicare primo non esse rectoris, sed ejus qui sui plane sit juris, ac nulli superiori subiectus, quatenus quidem de ejus jure agitur. Alia, quæ adhuc de loco isto dici possent, mittimus.

Postquam porro Grotius Partic. 8, tum ratione, tum auctoritatibus docuisset, Deum hic non esse spectandum ut iudicem sub Lege constitutum, quod idem Socinum voluisse paulo ante vidimus; subjicit: *At Socinus, quamquam loco supra citato Deum ut summum principem statuit, passim tamen in omni hoc actu longe aliam ipsi *ῥέσιν* tribuit, nimirum, partis offensæ. Vult autem partem omnem offensam esse poenæ creditorem: atque in ea tale habere jus, quale alii creditores in rebus sibi debitis, quod jus sæpe etiam domini voce appellat: ideoque sapissime reperit, Deum hic spectandum ut partem offensam, ut creditorem, ut dominum, tria hæc ponens tanquam tantundem valentia. Hic error Socini cum per totam ipsius tractationem latissime diffusus sit, & dici ferme possit in hac materia esse ipsius τὸ πᾶν τοῦ ψῦδους accurate refelli debet.*

Hic jam aperte patet Grotii in Socini sententia explicanda error. Duas enim illius *ῥέσας*, quam in hoc negotio Deus sustineat, partes, quas Socinus con-

conjunxerat, divellit, & inter se opponit, tanquam scheses duas diversas, non tanquam unius partes. Neque vero quemquam movere debet, quod Socinus interdum, nulla facta mentione ejus, quod Deus nulli prorsus potestati sit subjectus, offensas tantum ipsius commemoret, & eum creditori, qui debita sua remittat, comparet. Nam nec uspiam revera propositum Socino fuit, illam schesin, secundum quam ei tum puniendi tum remittendi actus conveniat, accurate ac subtiliter definire: sed tantum probare, Deum jure potuisse, aut etiam voluisse absque satisfactione peccata nobis remittere; vel ad aliorum objectiones respondere. Quod si hac occasione schesin Dei in hoc negotio attingit, id ex eventu quodammodo factum est, nec ea in parte requirenda ab ipso est *αξιωμα* ista, quæ desiderari fortasse posset, si id ei vere fuisset propositum. Nam dum argumentamur, aut ad argumenta respondemus, vim rationum tantum expendimus, multa interim, quæ ad naturam rerum ipsarum accuratius explicandam pertinent, omittentes; vel quia ad vim argumentationum aut responsionum nihil pertinent; vel quia aliunde nota, quemadmodum id est, quod à Socino crebrius omitti diximus; vel quia jam antea dicta. Quod si vero ullus est locus, in quo Socinus schesin istam voluit exprimere, is est, quem nos antea ex ipso adduximus, & ex quo nobis Grotius mutilam Socini ea de re sententiam attulit, qui quidem est in ipso disputationis illius, in qua suam sententiam Socinus probare instituit, limine; ubi si quid explicatum est, quod ad totius disputationis summam pertineat, id, etiam si postea non repetatur, tamen tanquam jam dictum tacite ponendum est, præsertim ibi, ubi expresse repetere nihil est opus, adeoque omisso illa, pro tacita negatione habenda non est. Cum ergo isto in loco duas ejus scheseos, quam Deus in hoc negotio sustineat, partes, à Socino videamus constitutas; nullam errandi causam habuit Grotius, qui eas à se invicem disjunxit. Quod si sententiam Socini vel non percepit, vel male retulit, quomodo eam recte aut accurate, ut se facturum non obscure profitetur, refellere potuit?

Quod vero Socinus velit, partem omnem offensam esse pœnæ creditorem: quamquam ubi id expresse dixerit, deprehendere non licuit, quemadmodum nec illud, quod jus hoc dominii voce sæpe, ut Grotius ait, appellaret, quod fortasse nuspiam fecit aperte: admitti tamen potest utrumque prius quidem, si jus naturale spectes, quod non servis, sed liberis revera competit, qui soli etiam pro parte læsa habentur: servi eatenus tantum, quatenus libertatis quodammodo videntur participes: posterius vero, quatenus jus crediti sub jure dominii continetur. Itaque eatenus etiam tantummodo concedimus, Socinum ista tria, partem offensam, creditorem, dominum, ponere tanquam tantundem valentia, quatenus jus, quod pars offensa habet in pœna, sub jure crediti continetur, tanquam sub genere proximo; hoc iterum sub jure dominii laxius sumti: ita ut istorum trium, quod ad negotium nostrum attinet, eadem sit ratio. Alioqui enim nec tantundem valent, nec tantundem valere à Socino dicuntur; & tertium illud, quod raro etiam ab eo usurpatur, non

tam ad pœnam ipsam, cujus Deus sit Dominus, quam ad nos, qui Dei servi simus, ab eo refertur; licet illud ex hoc posteriori, interveniente hominis delicto, consequatur. Satiùs fuisset vel ipsius Socini verbis sententiam ejus explicare, vel, si suis maluit uti Grotius, ita id præstare, ne lector occasionem inde haberet, falsam de Socini mente sententiam concipiendi. Neque vero id, quod Socinum statuere diximus, ipsius est in hac materia *το πρώτον ψυδθ* *primum falsum*, sed, ut supra monuimus contrarium Grotii.

Ut autem Socini sententiam refellat Grotius Partic. 9, tres ponit assertiones, & eas confirmare nititur. Prima est: *Punire non est actus competens parti offensa qua talis est.*

Imo vero, si pars offensa sit plane libera, jure naturali hic actus ei primo competit, reliquis non nisi propter illam. Unde natura læsis, qua tales sunt, puniendi cupiditatem, quæ ira est, inseruit. Patebit id clarius, ubi docuerimus, partem offensam naturaliter esse pœnæ creditorem. Nam creditori primo ac per se competit exigere debitum: rectori, aut cuicunque alii, propter illum. Quare eodem modo jus pœnam exigendi primo parti offensæ convenit, rectori vero propter illam.

Sed probat sententiam suam Grotius Partic. 10: *quia, inquit, alioqui oporteret omni parti offensa competere per se jus puniendi.* Recte, si pars offensa sit plane libera, & nullius potestati subjecta. Nam hanc conditionem semper addimus, aut additam intelligimus.

Atqui, ait Grotius Partic. 11, *falsum id esse ex eo apparere, quod punire probaverit actum esse τὸν ἀρχόντα ipso etiam Socino fatente, cum Deum hic spectandum dicat ut Principem.*

Sed nos id, quod asserit Grotius, in eum sensum acceptum, quem ipsius sententia postulat, falsum esse docuimus, docuimus etiam, id non fateri Socinum: cum is non simpliciter dicat, Deum hic spectandum esse ut Principem; sed addat, de cujus solius jure agatur. Quapropter concidit jam Grotii argumentum, quod inde ait firmissimum nasci: *Si punit Deus & pœnam tollit ut Princeps, non ergo ut pars offensa. Non posse enim duobus diversis tribui qua talibus:* quandoquidem antecedens hujus argumenti non simpliciter concessum est, nec concedi debet, sed addito eo, *quod is de jure suo tantum agat, id quod faciat ut pars offensa;* quo addito, non tantum non consequitur ex antecedente conclusio, sed ejus vi prorsus evertitur. Non potest quidem duobus diversis idem tribui qua talibus, si utrumque eorum, vel etiam alterutrum separatim sumtum, pro proprio & adæquato subjecto rei, de qua agitur, aut schesi, secundum quam res aliqua subjecto competat, sumatur: sed duo diversa, tanquam partes, ad unam aliquam schesin constituendam, atque ad proprium & adæquatum rei subjectum determinandum concurrere, & sic illis qua talibus quippiam tribui, nihil prohibet. Nihil etiam prohibet, diversis subjectis qua talibus eandem rem tribui, sed sibi invicem quodammodo subordinatis, ita ut alteri primo res conveniat, alteri secundo & propter illud. Utrumque aliquo modo in nostro negotio contingit. Nam duæ sunt scheseos illius, quam Deo in hoc negotio tribuimus, partes, nempe

nempe esse offensum, & prorsus esse liberum: subiectum etiam, cui poenae exigendae jus conveniat, duplex quodammodo est, pars laesa & rector; sed illi primo id competit, huic secundo & propter illam. Socinum autem Principis appellatione, cum Deum dixit hic spectandum ut Principem, de cuius solius jure agatur, habita ratione sententiae suae de potestate, quam is vel ad poenam infligendam, vel ad eam remittendam habeat, nil revera intellexisse aliud, quam eum esse plane liberum, & nullius prorsus potestati subiectum, non vero eum esse rectorem, superius jam explicuimus.

Bene autem est, quod fatetur Grotius Partic. 12, Deum recte dici partem offensam: punire aut impunitum dimittere, ei tribui qua pars offensa, tum superius docuimus, tum in sequentibus docebimus.

Quod ad Lactantii dictum attinet Partic. 13: *Sursumus ad vindictam non quia laesi sumus, sed ut disciplina servetur, mores corrigantur, licentia comprimatur. Hac est ira iusta, qua sicut in homine necessaria est, sic utique in Deo, a quo ad hominem pervenit exemplum*; id si quidem de jure accipiatur, ut hic est necesse, (nam si de eo sumere velis, quod fieri tantummodo soleat, nec ad rem quicquam faciet, & ab ipsa experientia nimis manifeste refutabitur) & de jure quidem ejusmodi, quo puniens naturaliter ita obstringatur, ut ei aliter facere non liceat; id non nisi de rectoribus, quatenus de alieno jure agunt, concedi debet. Quamquam ne sic quidem finis poenae satis recte est constitutus. At hoc modo acceptum nil juvat Grotium, nisi id ipsum pro concessio sumat, quod in controversia versatur, nempe rectores, aut alios, non posse jure quempiam punire ideo quia laesi sint. Id vero falsum esse vel inde patet, quod heri servos suos ideo punire jure possunt, quia in ipsorum utilitates peccarint, & Deus nos, quia obedientiam ipsi tanquam domino nostro debitam non praestiterimus: quod dum facit, disciplinam simul fere sancit, mores corrigit, licentiam comprimit. Nihil enim prohibet, utrumque simul facere, hoc est, ad vindictam surgere tum quia laesus sit, tum eum in finem, ut disciplina servetur, mores corrigantur, licentia comprimatur: praesertim si eo potissimum sis offensus, quia disciplina sit soluta, & licentiae aperta fenestra, atque ad tuam, quam quaeris, utilitatem plurimum pertineat, disciplinam servari, mores corrigi, & licentiam comprimi; quod in heris saepe accidit, & parentibus; inprimis autem in Deo. Quamquam utilitatis, qua usi sumus, vox ad ipsum relata, latius est extendenda, ita ut etiam gloriam & honorem, qui a creaturis in illum redundat, complectatur. Id autem quod asserimus, docuit etiam Seneca, quem aliquoties in hoc libro testem laudat Grotius. Is enim lib. 1 de clementia cap. 20, ait: *Duabus de causis punire princeps solet, si aut se vindicat, aut alium*. Loquitur de poenis justis ac legitimis, ut cuius locum inspicienti patebit. Discrimen autem satis manifestum inter utrumque poenarum genus constituit, dum prius illud dolori deberi, posterius exemplo: illud principis ipsius esse, hoc alienum, docet. Unde principem laesum de poena remittentem liberali comparat, qui quod alteri donat sibi detrahit: plane ut Sac. Literae, & eas se-

quutus Socinus, Deum in hoc negotio considerant: cum vero in alienis injuriis facilis est princeps, ei similem esse non obscure ostendit, qui de alieno liberalis est. Itaque priori poenarum generi eos assignat fines, (a) qui ad laesum proprie spectent, solatium, & in posterum securitatem: posteriori demum eos, qui non ad principem ipsum, qui puniat, sed alios pertineant: (b) qui quidem sunt ista: *aut ut eum, quem punit, emendet; aut ut ceteros meliores reddat: aut ut sublatis malis securiores ceteri vivant*: quos fines possis referre ad eum, quem Lactantius in suis verbis expressit: quamquam eorum ultimum laesi suo sibi jure queunt vindicare; unde securitatem alterum ultionis finem constituit Seneca, tanquam ad eum, qui laesus est, proprie spectantem. Quod si peccatum, quod punitur, exemplo potissimum nocuit aliis, exemplum etiam, quod est poena petitur, & quo vis exempli sceleris ipsius tollitur, iis debetur, quibus facinus nocuit. Hic autem secundus finis potissimum spectat. Primus finis an, & quatenus poenae conveniat, infra dicetur. Necessario autem aliquem alium poenae finem, qui laeso qua laesus est proprie conveniat, esse concedendum, atque inprimis Deo supremo omnium rerum domino, ea ratione supra docuimus, quod Deo jus sit omnes prorsus, si mereatur, in aeternum perdere, & ultimo afficere supplicio; quo tempore, ubi poena foret maxima, finis is, quem cum Lactantio constituit Grotius, nullum haberet locum. Non satis autem expendit uterque naturam irae, dum offensas proprias ab ira poenaeque iusta sejunxit. Nam ira in propriis offensis, si pro injuriis vere habeantur, primum oritur; in alienis eatenus, quatenus eos, qui laesi sint, tanquam nostros concipimus, & iis aliqua ratione favemus. Quod si ira in verum ac proprium feratur objectum, quod fit, cum vera est ea injuria, quam animo concipimus, ac praeterea modum non transgrediatur, natura sua injusta non est, etiam si ad effectum perducatur; tum demum fit illicita, cum is, in cujus sumus potestate, prohibet, ne vel ad vindictae decretum, quod animus ab ira sollicitatus ferat, vel ad ipsum vindictae effectum perveniat. At supremo numini eam Legem nemo ferre potest, & nisi ipsius decretum aliquod obstet, ob offensas suas jure irasci & ad eas vindicandas surgere potest. Deo autem hac in re ii sunt similes, qui praeter Deum subsunt nemini, si à Deo praecipuum de offensis suis condonandis non acceperint.

Partic. 14. Quod possit quis in sua etiam causa esse iudex, nec juris naturalis, sed positivi, adeoque nec universalis sit ea regula, qua nemo in sua causa idoneus dicitur esse iudex; id pro nobis facere supra docuimus, ubi ostendimus, id ad eos omnes esse extendendum, qui nullius alterius potestati sunt subiecti, etiam si rectores non sint, aut non considerentur ut rectores. Eatenus enim, quatenus nullius potestati sunt subiecti, Lex positiva illis ferri non potest, qua illis jus in causa sua judicandi adimatur. Quare jus, quod naturaliter eam ad rem habent, retinent, nisi eo sponte suo cedant.

Conclusionem Grotii quam ex superioribus deducit Partic. 15, nempe, quod *puniant aut impunita dimittant crimina Principes etiam laesi, non tamen qua*

(a) cap. 21. (b) cap. 22.

læsi; subverſis ſuperioribus, ſponte ſua concidere eſt neceſſe. Oſtenſum enim eſt, eos, etiam qua læſi ſunt, id facere; imo eatenus potiſſimum impunita dimittere poſſe crimina, quatenus ipſi ſunt læſi, & ſic ipſorum juſ in pœna agitur: cæteroqui de alieno liberales eſſe, ex ſententia Senecæ videri. Quod ſi tamen alienas injurias juſte remittunt, lege aliqua poſitiva aut conſenſu civium id ipſis juſ acquiſitum eſſe oportet: quo tempore de ſuo remittunt. Quamquam quia tunc quoque minus ſibi videntur detrachere, quam cum ipſimet ſunt læſi, eos etiam tunc parciores eſſe decet in pœna condonanda.

Ad rationem, quam ſubjicit Grotius Partic. 16, vel potius ex ſuperioribus repetit, *quia ſi id facerent ut læſi, jam & aliis læſis idem eſſet juſ, qui tamen lædentem nec punire poſſunt; nec impunitum præſtare*; ex ſuperioribus etiam petenda eſt reſponſio. Faciunt enim id principes non ſimpliciter qua læſi ſunt, ſed etiam qua nulli ſuperiori poteſtati ſubjecti, & Lege aliqua poſitiva non obſtricti. Itaque ſi alii quoque læſi ponantur hujusmodi, idem illis juſ conveniet. At qui alienæ poteſtati ſunt ſubjecti, ideo punire lædentem non poſſunt, quia juſ illud, quod naturaliter habuerunt, aut habituri fuiſſent, ſi rectori non ſubeſſent, in rectorem tranſlatum eſt. Quamquam in liberioribus rebus pub. ubi læſæ parti tantum conceditur juſ in pœna, quantum creditori in eo debito, quod à debitore vi ſit repetendum, quod quidem per magiſtratum fieri ſolet, etiam ii, qui privatim ſunt læſi, pro ſua parte, ſeu quantum ipſorum in pœna intereſt, nocentem poſſunt præſtare impunitum. Quod ſi eum penitus impunitum præſtare nequeant, id ſit ideo, quia non ipſi ſoli fuerant læſi, & ſic pœnæ creditores, ſed ſimul etiam alius quiſpiam, ſive Deus, ſive reſpublica, cujus intereſt nocentem puniri. Rectores autem & magiſtratus Dei quidem in maleficiis puniendis miniſtri ſunt, ſtatus autem publici tutores, iſſque officii ratione incumbit, juſ illius perſequi, & ei tribuere. Unde punire, juſtitie illius, quæ in *ἀποδοῦναι* retributione cernatur, effectum in rectoribus eſſe, infra docebit Grotius; quod idem non obſcure fecit capite præcedenti, ubi de priori fati factionis fine, quem juſtitie divinæ demonſtrationem eſſe voluit, egit. Juſtitia vero illa juſ ſuum tribuit alteri, & id quod ei debet perſolvit.

Illam etiam Grotii Partic. 17 ratio: *ſi punire aut impunitum dimittere Principibus qua læſis competeret, jam juſ illis non eſſet puniendi crimina, in quibus læſi non ſunt*; tum demum foret firma, ſi principibus eatenus tantum, quatenus læſi ſunt, id juſ competere diceremus. At nos iis, etiam qua rectores ſunt, & juſis alieni perſequentionem in ſe ſuſcipiunt, id juſ convenire arbitramur. Quamquam illis eatenus puniendi tantum juſ eſt, non vero abſolvendi, niſi pars læſa conſentiat, aut lege aliqua poſitiva, vel conſuetudine, quæ pro lege ſit, factum fuerit, ut rectoribus juſ ejusmodi alienis injuriis acquireretur.

Quod autem excipit Grotius Partic. 18: *ac ne quis exiſtmet ideo à principe maleficos puniri, quod Reipublicæ noceant, cujus ipſe præſes eſt: videmus ſubditos etiam qui extra territorium & in hominem extraneum graviter deliquerunt, recte & cum laude puniri*; id etiam vim haberet aliquam, ſi affirmaremus, Principem ea-

tenus tantum punire, quatenus vel ipſe privatim eſt læſus, vel ii, quibus ipſe præſidet, ſive univerſi ſimul, ſive ſinguli ſeorſim. At rector cujuſvis læſi cauſſam poteſt ſuſcipere, & partim quidem Dei offenſas, quatenus id ipſi vel aperte mandatum, vel tacite ſaltem permiſſum eſt, vindicare; partim etiam ſuas & ſuorum; partim denique alienas, hoc eſt, ſive rectoris, ſive reipubl. alterius, ſive denique alicujus privati, præſertim opem ejus implorantis. Tanto autem majorem ex ea re laudem confequitur, quanto minus ad id faciendum videbatur obſtrictus, aut minor ejus rei apparebat neceſſitas: quod in alienorum injuriis ſæpe videtur contingere, quamquam non ſemper. Nonnunquam enim alienas injurias & alibi patratas, vel æque, vel etiam magis neceſſe eſt vindicare, quam ſuas aut ſuorum; ut cum pactorum fœderumque ratione Rectores ad alienas injurias ulciſcendas obligantur, aut verendus eſt ſeverior pœnæ non exactæ vindex. Neque vero illud prorsus concedendum eſt, quod hic Grotius tacite pro conſeſſo ſumit, rempubl. eam, cui Princeps præeſt, non lædi, cum ſubditus ipſius extra territorium & in hominem extraneum graviter deliquit. Nam ob privatorum etiam injurias inter ſe committi Principes aut reſpubl. poſſunt, ſuntque magnorum motuum parva ſæpe initia: cum, ut vulgo etiam notum eſt, principia mole ſoleant eſſe parva, virtute maxima; adeo ut hoc pacto nihil ſit parvum, nihil contemnendum. Deinde extranei irritati hujusmodi injuria facile adduci poſſunt, ut quippiam ſimile, in quemcunque alium ejusdem Reipublicæ civem deſignent, & injuria aut contumelia eum afficiant: cujus rei exempla præbet ipſa experientia. Adde, quod verendum ſit, ne ſubditi, quod in alienos ſunt auſi, in ſuos deinde eadem licentia committant, præſertim ſi rector, cui ea de re conſtituiſſe appareat, impune facinus iſtud tulerit. Magnum ad facinora incitamentum eſt, ſemel grande aliquid auſum eſſe, idque impune.

Quid de concluſione Grotii Partic. 19 ſentientum ſit, ex dictis conſtare poteſt. Ea vero eſt: *manifeſte apparere juſ puniendi, non competere læſo, cum nec poſita læſione ſtatim ponatur, nec remota removeatur: contra vero ſuperiori, ut ſuperiori idem juſ competere. Nam ſimul atque *ὑπεροχῇ* ponas, & juſ puniendi te ponere: eaque remota remove. Etenim ſi pars læſa alienæ poteſtati non ſit ſubjecta, ei juſ hoc competit, & læſione in hujusmodi ſubjecto poſita, juſ quoque illud ſtatim ponitur, remota removeatur eatenus, quatenus is, à quo removeatur, juſ iſtud non habet primo; quo pacto etiam credito remoto, removeatur juſ exigendi debitum, poſito ponitur. Poſita *ὑπεροχῇ* ſeu poteſtate ſuperiore ac regimine, ponitur quidem juſ puniendi, ſed non primo, verum propter læſum; aut per accidens, quatenus is, qui rector eſt, ſimul etiam eſt læſus. Quapropter multo minus concedendum eſt, remota *ὑπεροχῇ*, remove ſi juſ puniendi, niſi forte per accidens: quatenus nimirum præter rectores nemo exſtat, qui nullius ſit poteſtati ſubjectus, & ſic juſ, quod ei natura dedit ad pœnam infligendam, retineat; quemadmodum ſupra de jure ſeu poteſtate judicandi diximus.*

Et si autem per ea, quæ hæcenus disseruimus, satis sit responsum ad ea, quibus probare conatus est Grotius, jus puniendi primo ac per se competere rectori, qua rector est, non vero, ut nos censemus, parti offensæ liberæ, & nullius potestati subjæctæ: tamen ut omnis tollatur dubitatio, ostendemus, qua de causa factum fuerit, ut jus puniendi, quod læsis primo competebat, in rectores transferretur eos, qui læsi non sunt, (nam de iis, qui inferiorum delictis aut injuriis ipsimet injuria afficiuntur, quales sunt, paterfamilias respectu familiæ, Deus respectu omnium, nil attinet dicere) privatis autem fere adimeretur. Hæc enim res præter eam, quam superius explicuimus, causam, in errorem videtur impulisse Grotium. Inde enim natum est id, quod modo asseruit, quoque potissimum nititur, posita *τῶν ἰσχυρῶν* poni jus puniendi, remota removeri. Partim quod rectores etiam tum, cum ipsi læsi non sunt, puniant, idque faciant officii ratione, seu qua rectores; partim quia nemo appareat, cui jus illud primo competere videatur, quin idem simul sit rector. Nam si quis sit præter rectores, eum vel nulli alii rectori subesse oporteret, vel alicui. Prius contingere non posse videtur, quia ut superius explicuimus, hujusmodi hominem extra communitatem aliquam vivere oporteret; qualis vel nullus est, vel ejus ratio non habetur. Posterius itidem vix videtur admittendum: quia cum privatis ordinarie potestas puniendi non soleat permitti, si quidem aliquando jure puniant, aliena concessione tantum, quæ interdum in legibus est expressa, id facere videntur. Etiam si autem rectores summi etiam qua læsi sunt, & simul nullius potestati subjæcti, puniant: tamen eatenus tantum id eos facere, aut jure facere posse, non facile animadvertitur; partim quia iidem, ut & cæteri rectores, tunc quoque punire solent, cum læsi non sunt, quod quidem faciunt ut rectores; partim quod cæteris læsis id non videamus permitti. Idem in debitis etiam exigendis contingeret, si privatorum nemini actus iste permetteretur ordinarie, sed rectorem adire semper, casibus tantum quibusdam exceptis, foret necesse. Nam tum etiam si magistratus debitum suum exigeret primo qua creditor: tamen quia aliis creditoribus id permitti non soleret, contra vero magistratibus, qua tales sunt, id competere, posset quis arbitrari, jus exigendi debitum primo ac per se competere magistratibus, qua tales sunt, cæteris non nisi aliena concessione. Cur vero idem prorsus non fiat in debitis, quod in pœnis, ex causis iis apparebit, ob quas jus puniendi fuerit in rectores translatum: quæ causæ quatenus debitis ac pœnis sunt communes, idem utrobique fieri videmus, quatenus pœnis propriæ, diversum. Partim ergo concursus duarum scheseon in eodem subjæcto, secundum quas ei jus puniendi conveniat, partim translatio quædam juris à læsis ad rectores, ejus, quod in errorem egit Grotium, causa est. Quod vero ad causas istius translationis attinet, ne illud solum nunc urgeamus, quod id Dei, supremi rerum arbitri, voluntate factum fuerit, sed hujus quoque voluntatis causas manifestas asseramus, ob quas homines ipsi, nulla habita ratione divini istius consilii, id constituerint: prima hæc esse videtur, quod ii qui priva-

tim sunt læsi, non facile videantur modum in pœna legitimum servaturi, ira & dolore ob acceptam injuriam stimulante. Ob hanc enim causam idonei hac in re judices esse non censentur: cum tamen ei, cui puniendi potestas permittitur, etiam judicandi videatur relinquenda. Si quidem puniendi jus ac potestas, non in eo consistit, ut ipse manum admolariis, quod ne magistratus quidem facere solet: sed in eo, ut sententiam ferat, & eam exsequutioni mandare queas. Et si vero idem in rectoribus quoque sit metuendum: tamen inferiores magistratus ac rectores à superioribus coerceri possunt: supremis Legem hanc imponere nemo potest Deut. 10. 17. Psal. 50. 1. 1 Tim. 6. 15. Psalm. 82. 1. Quamquam cum unus tantum simpliciter sit supremus, qui eam ob causam Deus deorum, Rex regum, ac Dominus dominantium dicitur, is omnium causas ad se revocat, & ipsos judices judicat, ipse solus *ἀντιπρόσωπος* *judicio alieno non subjæctus*, in quonullus potestatis metuendus est abusus. Adde quod revocato ad pauciores imperio eo, quod in terris summum est, minus crebro contingit, ut quis in sua causa ita sedeat judex, ut non restet superius inter homines tribunal, itaque injuriæ suæ sit ultor, ut potentior ei non sit metuendus vindex. Quod ad patresfamilias attinet, quorum major est numerus, licet eorum potestas in certis rebus sit summa, non tamen est simpliciter in terris summa, potestque Legibus publicis coerceri, & certa ex parte etiam solet, ne in vindicta modum superet: præterquam quod ipsa natura videatur ei modum ponere, cum ii, qui patresfamilias subsunt, ei adhæreant, vel ut corpus capiti, vel ut partes quædam corpori, vel ut instrumenta & *κατασκευαὶ* *res quæ possidentur* domino: ut in eos gravius animadvertere nequeat, quin seipsum lædere videatur, à qua re natura nos solet avocare. Altera causa est, quod, ut Grotius supra dixit, pœna sit in coactione ultimum, nec quisquam facile, nisi vis intentetur, eam velit subire. At non omnes, qui in communitate, seu Republica vivunt aliqua, vires ad cogendum sufficientes habent, nec iis, qui habent, protinus utile est permitttere, ut alios cogant, atque adeo puniant. Potentiores quidem cives injurias suas vindicare in imbecilliores facilius possent: sed imbecilliores vel non possent, vel non nisi per insidias, aut tumultum. At neutrum istorum in Republ. aut quavis alia Societate, utile est. Illud, quia omnibus jus æquum esse debeat, & ideo sub magistratus ac rectoris alicujus patrocinium, etiam cum aliqua libertatis suæ diminutione confugere soleant homines, ne à potentioribus opprimantur: hoc, quia latam ad varia maleficia viam aperit, & vix quicquam est ad tranquillitatem communem, securitatemque omnium convellendam aptius. Hinc Leges pronunciant: * non esse singulis concedendum, quod per magistratum fieri possit, ne occasio sit majoris tumultus faciendi. Denique hæc quoque ejus rei causa est, quod privatorum etiam injuriæ, præsertim graviore, Reipub. nocere queant: unde ipsius quoque interest nocentes puniri. Nam in privatorum quoque injuriis, Legum, quibus salus civitatis continetur, labefactatur auctoritas, licentiæ aperitur fenestra, atque in uno securitas fere tentatur

* D. de reg. jur. l. 176.

omnium, & sæpe ad pacem ac tranquillitatem publicam turbendam fit aditus. Taceo, quod, cum homines illi læduntur, qui Reipubl. sunt vehementer utiles, & ex quibus salus multorum pendet, sæpe grave vulnus accipiat Respub. Quod si etiam corpora liberorum hominum, non eorum ipsorum, sed Reipubl. esse censeantur, usus autem tantum ipsorum privatorum, lædi ea non possunt, quin simul Respub. injuria censeatur affecta. His igitur de causis rectori potius, quam iis qui privatim sunt læsi, puniendi potestas permittitur. Nam primum Rectorum judicium in causa aliena potest esse sincerius, & poena moderatior: cum ira minus fere soleat in alienis effervescere injuriis, quam in propriis. Si quæ tamen etiam ob subditorum injurias oritur in rectore ira, quia eos cogitet esse suos, non alienos, & eo pacto injuriam ad se pertinere censeat, tanquam ad ipsorum patronum ac vindicem, ea & rationis imperium admittere, & ad severitatem quandam publice utilem prodesse potest. Quatenus enim alienam injuriam suam quodammodo censet Rector, fit, ut animadvertere velit ac cupiat, nec, ut in alienis fieri solet, languide nimis rem gerat: quia tamen aliena potius est, quam propria, fit ut moderate cupiat. Deinde quia rectores viribus & potentia solent & esse debent privatis superiores, non minus potentiores quam imbecilliores ac tenuiores cogere ac punire, & sic jus omnibus æquum administrare queunt. Denique iidem supplicia ad Reipubl. cujus custodes sunt ac tutores, emolumentum attemperare possunt, & cavere, ne privatorum incuria, Respub. eo jure, quod in poena habet, fraudetur. Priores duæ causæ sæpe etiam efficiunt, ut debitorum repetendorum causa magistratus sit adeundus: nempe quia aut controversia est aliqua de debito: aut quia debitor solvere non vult, nisi vi cogatur. In poenis autem id fere semper faciendum est, præsertim ob causam posteriorem. Fere enim fit, ut malimus debita solvere, quam poenas luere. Hoc enim semper nocere censeatur, illud non semper, aut illud magis, hoc minus, cæteris paribus: ut tacem ultimum supplicium, quod omnium debitorum gravitatem superat. Omnes vero causæ à nobis enumeratæ, arguunt quidem, lege positiva recte potuisse jus puniendi, seu actum poenalem exercendi, privatis, quibus naturaliter ac primo competeat, generatim loquendo eripi, & in rectores transferri, non vero jus illud primo rectoribus competere. Neque vero quisquam mirari debet, jus id, quod naturaliter alicui competeat, ipsi in communitate eripi, cum jura ad utilitatem nostram pertineant, quam augeri non minui in communitate decet. Nam si ratio hæc firma est, omnes leges positivæ erunt è Republ. tollendæ: siquidem omnis lex positiva vel id præcipit, ad quod faciendum is, qui natura liber est, non est obstrictus, adeoque id jure potest omittere; vel prohibet id, quod natura facere licebat, & sic quoque jus libertatemque minuit. Deinde id, quod jus puniendi habet utilissimum, relinqui privatim læsis solet. Nam ibi, ubi magistratus, in quem jus illud translatus est, opem implorare licet, per eum poenam etiam repetere licet: quod sæpe tutius, ac minori negotio fieri potest: ubi vero ejus opem implorare non licet, & prius, ut ait

Cicero, injusta fuerit poena luenda, quam justa repetenda, leges ac magistratus se expectari non jubent, quin eatenus vindicta quadam utaris, quatenus legitimam ac necessariam suscipere defensionem sine ea non potes. Quamquam enim pro vindicta vix solet haberi, quod inculpatæ defensionis causa factum est; est tamen aliquo modo. Quia nisi quis facinus aggrediendo injuriam intulisse censeretur, cum cedere aut vulnerare non liceret. Quod autem ob injuriam illatam alteri infertur nocementi, vindicta quædam est. Unde etiam ira ibi locum habet, & quidem natura sua justa. Itaque jus vindicandi ac puniendi iis non penitus ereptum est, sed ad Reipubl. utilitatem temperatum. Æquum autem est, ut qui communitatis alicujus commodis frui velit, libertatis illius ac juris naturalis levem faciat jacturam, sine qua publica utilitas non potest consistere: cum ea res in ipsius iterum cessura sit commodum, & ipse plus ex communitate sit percepturus emolumenti, quam ex ista re damni; idque ipsius voluntate fieri censendum sit: vel quia sponte in talem Legem consentit; vel quia rectoris se permittit potestati; aut ad rempubl. accessit eam, in qua lex ejusmodi viget; vel denique quia in hujusmodi communitate perseverat. Sed hæc hæcenus.

Partic. 24. Quod ad illa Sacræ Literæ loca attinet, in quibus exemplum Dei peccata remittentis nobis proponitur, ut nos quoque læsi alii peccata condonemus; qua re falsum fuisse Socinum suspicatur Grotius; ex iis recte concludi, Deum hic spectandum esse ut partem offensam, & ut poenæ creditorem, inferius docebitur. Quod Deus per seipsum poenam infligat, aut infligendi jus habeat, nos non habeamus, id, quod ad comparisonem istam attinet, fere per accidens est. Dico fere; quia ubi comparatio imparium ea in re instituitur, istius etiam rei haberi potuit ratio, quod factum videtur Matth. 18. Illo enim posito, majus exemplo accedit pondus. Nam si Deus nobis, quos puniendi jus ac potestatem habet plenissimam, peccata remittit, eaque gravissima & innumera: multo magis nos fratribus nostris, in quos ea nobis potestas haudquaquam competit, peccata, quæ istorum respectu & paucissima sunt & levissima, remittere debemus. Quamquam concessio eo, quod iis in locis Deus sit spectandus ut poenæ creditor, facile est inde concludere, eum etiam jure per seipsum poenam sibi debitam posse repetere; cum jus illud creditori primo ac per se competeat, quod ei, qui supremus est omnium Dominus, à nemine potest eripi. Nos cum Deo comparati, nec jus crediti revera habemus, cum Dei simus servi, qui id ad se revocat; nec, si haberemus, protinus id per nos ipsos persequi possemus, Deo, aut aliis etiam rectoribus id sibi jure suo postulantibus. Quid de judicio illo sit sentiendum, quod partim Deo, partim nobis applicatur Matth. 7. 1, 2, ex loco Jacobi supra à nobis examinato constare potest. Judicium ipsum sua natura ejusdem est generis, licet ex diversis causis pendeat, & alterum juris sit, alterum tantum facti. Itaque non est simpliciter dicendum, judicium alterum ab altero distare toto genere; ac proinde exemplum hoc ad id, quod quaerit Grotius, ineptum est: imò, quatenus ex similibus argumentari licet, contrarium ejus inde sequitur. Simi-

Similiter enim statuere licet, remittere peccata, quatenus id nobis æque ac Deo tribuitur, sua natura seu intrinsecus convenire, id quod Grotius negat; extrinsecus aliquo tantum modo; cum cæteroqui discrepent. Siquidem uterque injurias suas, tanquam debita quædam sua, condonat alteri, misericordia impulsus. Differentia præter alias hæc est, quod Deus eas injurias remittat, ad quas vindicandas jus verum ac proprie dictum habebat: nos vero eas, ad quas ulciscendas jus verum ac proprie dictum non habemus, sed speciem tantum & prætextum juris, qui tamen iram æque concitare, & ad ultionem quempiam potest stimulare, imo sæpe magis, quam jus verum ac proprie dictum. Juris enim speciem habet, naturaliter esse læsum; eaque res vindictæ cupiditatem interdum æque incendit, atque si quis non modo naturaliter, sed etiam civiliter seu quocunque modo id efferre velis, ut id ad Deum quoque possis accommodare, sit læsus. Eodem modo possis comparisonem instituere inter herum quemvis, servo ac mancipio injurias suas condonantem, & servum ipsum, eam injuriam, quæ tamen non ipsius, sed domini esse censeatur, remittentem: quorum uterque iram seu vindictæ cupiditatem reprimit, & misericordia adversus alterum utitur.

Sequitur altera Grotii Partic. 21 assertio, quæ quidem est hujusmodi: *Naturaliter pars offensa quæ talis nullum jus habet in pœna. Hoc, inquit, plus aliquanto est quam quod prima assertio collegerat. Ibi enim negavimus actum ipsum puniendi competere parti offensa: hic negamus jus aliquod ipsi competere, non modo ad actum per se exercendum, sed etiam ad obligandum alterum ut exerceat: hoc est, partem offensam non esse in pœna vere creditorem. Quod tamen putat Socinus, & tanquam certissimum sæpe repetit.*

Etiamsi difficile fuerit Grotio ostendere, Socinum id, quod ipsi hic tribuit, sæpe repetere, quod expresse nusquam fortasse dixit: tamen id nunc concedamus. Licet autem pars offensa pœnæ sit creditor: fieri tamen potest, ut, quia potestati alterius subjecta est, de eo jure aliqua fuerit diminutio, ita ut ejus usum æque liberum non habeat, atque tum fuisset habitura, si ipsamet prorsus fuisset libera, & sui plane juris atque arbitrii, eaque de causa non possit rectorem, per quem pœnam repetere, si jus suum persequi velit, ob causam superius explicatam est necesse, penitus obligare ad eam re ipsa infligendam. Tanto autem minus id potest, quanto minus est libera, quantoque propius ad servorum conditionem accedit, rector aut princeps contra ad domini: quod fit, quando plus est in imperio ac regimine libertatis. Jus enim ac libertas pari passu, ut supra diximus, ambulant; & cujus minuitur libertas, ejus etiam jus minuitur, & contra. Hinc supra vidimus, non ipsius servi, sed domini censeari injurias, adeoque non ipsi servo, (a) sed domino per ipsum jus acquiri, de quo, invito etiam servo, remittere pro arbitrio potest. Eodem fere modo per uxorem jus partis læsæ acquiritur marito, (b) per liberos patri; quia nec uxores, nec liberi sub potestate parentum existentes, sui sunt juris, nec caput ipsi habent, sed maritus, aut pater. Quare similiter de sub-

ditis ac rectoribus statuendum est, quatenus illi cum servis, hi cum dominis aliquid habent commune. At si pars offensa sit plane libera, & de jure suo statuenti arbitrium habeat liberrimum, eum, qui se jus ipsi redditurum profitetur, omnino potest obligare, ut eum, qui læsit, ac pœnam eo nomine meretur, puniat. Et si autem initio hujus cap. ostendimus, Deum, qua pars offensa, habere jus ad pœnam repetendam, id quod nobis in hac disputatione poterat sufficere; tamen idem generatim de aliis quoque læsis docebimus in sequentibus. Quamquam etiam ibi, ubi de Deo id probavimus, rationes quasdam attulimus, quæ ad cæteros quoque læsos pertinent, quas, quantum opus fuerit, in seqq. repetemus ac confirmabimus.

Partic. 22 Grotius ut suam sententiam confirmet, primo Creditoris nomen explicat, & eum se dicere intelligere, cui ex quavis causa debetur: tum jus ac debitum distinguit in naturale & positivum, & in quo utrumque consistat, explicat, ac de debito positivo hic non agi affirmat. Quibus subjungit: *Natura ex facto tuo mihi nihil aliud debetur, ac ne deberi quidem potest, quam æqualitas secundum rem, hoc est, ut quantum mihi per te abest, tantundem reddatur. Hoc uno verbo vocare licet indemnitate aut restitutionem. Hinc creditorem τὸν ἰσχυρὸν ἔχοντα minus habentem recte vocavit Aristoteles. Habet autem hoc locum tum in acceptionibus ἐκείναις, voluntariis seu spontaneis in tum ἐκείναις, in voluntariis seu invite factis, ut idem Aristoteles notat. Sicut enim reddere teneris mutuum aut depositum, ita & rem furto sublatam. Et hætenus naturaliter etiam ex delicto creditores fieri possumus. Neque id locum habet in his duntaxat delictis, in quibus rei corporalis acceptio intercedit: sed in aliis etiam factis alicui noxiis. Ita qui alterum vulneravit, debet & mercedes medicis & impendia ob curationem facta, & operarum inter trimentum. L. ult. D. de his qui effud. Mirari sunt quidam quod Aristoteles homicidium quoque posuerit inter συμμαχίαν contractus, in quibus versatur τὸ διορθωτικὸν δικαίον emendativum jus. Sed recte notavit Eustathius, non alia id ratione fieri, quam quia uxori, liberis aut cognatis occisi aliqua soleat fieri compensatio: de qua videre est in l. 4. paragr. 1. ad L. Corn. Sic & is qui mendacio famam læsit alterius, veri professione resarcire debet id quod de dignitate ipsius delibavit. Ex quibus omnibus apparet id quod ex delictis naturaliter debetur diversum esse à pœna. Causa enim naturalis istius debiti est primo & per se non vitiositas actus, sed quia mihi aliquid abest: nam est citra vitium absit, ut in deposito, non eo minus mihi restitutio debetur. Causa autem pœna est ipsa actus vitiositas, non autem quod aliquid mihi abest. Nam etiamsi nihil absit cuiquam, recte actus punietur, ut in gravibus delictis, quæ inchoata tantum & non consummata sunt.*

Verum quidem est, natura ex alterius facto nihil mihi deberi aliud, quam æqualitatem secundum rem, ut quantum mihi per alterum abest, tantundem reddatur; si modo recte intelligatur, quid sit illud, aut quam late pateat, quod mihi per alterum abest in iis factis, quæ pœnam merentur. Duplici enim modo id accipi potest: laxius, & strictius. Laxius eo pacto, quo cuivis læso aliquid censetur abesse, ei contra qui

(a) Lib. 4. Institut. tit. 4. paragr. 3. (b) ib. par. 2.

qui læsit, aliquid accessisse. Unde quivis qui læsit, ut ipse quoque Grotius ex Aristotele monet, plus, qui læsus est, minus, seu lædens lucrum, læsus damnum habere censetur. At tum quoque læsus cuiuspiam censetur, & sæpe quidem graviter, cum facinus aliquod in eum tentatum est, sed irritò conatu; ut cum quis vitæ illius, aut famæ ac dignitati, aut uxoris pudicitie struxit insidias, * aut cum servi fidem corrumpere conatus est. Abest ergo illi aliquid per alterum. Strictius autem sumitur id, quod cuiuspiam abest per alterum, cum id de eo tantum dicitur, in quem facinus non modo est tentatum, sed etiam consummatum, de eo vero, in quem facinus irritò conatu fuerat susceptum, non item. Et hoc posteriori modo verba hæc accepisse Grotium, ultima ejus, quæ adscripsimus, verba docent. Quandoquidem in iis satis aperte asserit, in gravibus delictis, quæ inchoata tantum, & non consummata sunt, nihil abesse cuiquam. At si hoc pacto verba ista sumantur, falsum est, naturaliter ex alterius facto nihil mihi deberi aliud, quam ut quantum per ipsum abest, tantumdem reddatur. Nam quocunque modo cuiuspiam abest per alterum, statim ei debetur compensatio jure naturali: cum jus illud, ut Grotius recte dixit, consistat in ipsa rerum inter se adæquatione. Quare ubi per aliquem orta est inæqualitas, ita ut alter minus per ipsum habere cœperit, jure naturali obstringitur is, per quem id factum fuerat, ad defectum illum compensandum, & pristinam æqualitatem restituendam. Ponantur ergo duo, quorum alteri à latrone, raptore, fure, erepti sint mille aurei, aut id, quod pretium hoc æquat, alteri non quidem sint erepti, sed inchoatum tantum facinus; si Grotii sententiam sequamur, priori tantum læso aberit aliquid, posteriori nihil. At si uterque læsus est, utrique aliquid abesse censendum est, sed inæqualiter. Nam priori desunt mille aurei, qui alteri non desunt: restituantur igitur: nihilominus ei decrit id, quod posteriori. Quicquid autem ad hoc posterius compensandum sit, id, cum ad ipsius rei strictius sumptæ persequutionem aut restitutionem non pertineat, pœna erit, quæ proinde à restitutione rei seu compensatione damni strictè sumti, quod hic est aureorum mille, distinguetur. Quamquam etiam in hujus restitutionis locum pœna nonnunquam succedit, ut postea patebit. Est ergo etiam pœna compensatio ac restitutio quædam, sed latius sumpta compensationis ac restitutionis voce. Nam quemadmodum id, quod alicui abest per alterum, duplici modo sumitur, latius, & strictius: ita etiam compensatio, per quam id sarcitur. Quod si ergo latius sumatur compensatio seu restitutio, pœna sub ea, tanquam sub genere suo continetur; si strictius, ab ea, tanquam à specie diversa ejusdem generis, distinguitur. Retinet autem ea potius compensatio, quæ à pœna distinguitur, nomen illud, quod generi accommodatur: quia de ea magis proprie dici solet, de pœna minus: quemadmodum etiam id, quod alicui abest, magis proprie dici solet de eo, quod per compensationem strictè sumtam sarcitur, quam id, quod per pœnam. Unde Grotius ea verba, vulgarem loquen-

di consuetudinem sequutus, de hoc posteriori tantum usurpavit. Neminem autem ea vocum improprietas, modo de re constet, turbare debet, quam nec Aristoteles, nec Grotius ipse refugit, & vitare vix potuit, ob vocabulorum propriorum, quibus tota hæc res explicetur, inopiam. Nam si lucrum habere, aut habere plus, aut aliquid cuiuspiam accessisse, de eo etiam in hoc negotio dicitur, qui proprie loquendo nihil accepit, & nullum habet ex injuria, quam alteri intulit, lucrum; ut cum occidit quempiam, aut vulneravit, membrumve læsit aliquod, aut ædes resve alterius incendit, aut calumniatus est alterum, quibus ex rebus nullum est lædenti lucrum, nisi forte per accidens, sed læso tantum damnum: cur non simili ratione dici queat, ei, cui proprie ac manifeste nihil decessit, decessisse tamen revera aliquid, eumque minus, seu damnum habere, propter id ipsum, quia læsus sit. Qua vero ratione ei decessit aliquid, isque minus, seu damnum habere censetur, eadem etiam illi restitutionem ac compensationem competere manifestum est. Hoc observato discrimine, quod est inter compensationem strictè sumtam, & eam quæ late; itemque inter illam, & pœnam; non est difficile respondere ad ea, quæ Grotius de discrimine pœnæ & compensationis seu restitutionis disserit.

Ut ergo res tota rectius intelligatur, ponendum est id, quod jam à nobis aliquo modo est ostensum, & cuius videtur esse manifestum: læsionis sive injuriæ hanc esse naturam, ut per eam, qua talis est, aliquid absit alteri. Lædere enim est damnum alicui inferre, & sic quippiam alteri detrahere. Quapropter remotis ab injuria & læsione omnibus iis, quæ illi sunt communia cum contractibus voluntariis, in quibus læsio nulla est, & relicto tantum eo, quod læsionem proprie constituit, ejus ipsius vi quippiam aberit alteri, quod ei sit restituendum. At quod alicui absint mille v. g. aurei, id furto aut rapinæ commune esse potest cum mutuo, commodato, deposito, in quibus tamen per se nulla est læsio atque injuria. Quare id ipsum læsionem & injuriam proprie nondum constituit, & quod eo tantum nomine debetur, pœnam nondum esse fatemur: consequenter aut secundario ejus etiam nomine pœna potest deberi. At quod abest alteri per id, quod læsionem proprie constituit, & in quo ratio ac forma consistit injuriæ, id demum proprie per pœnam compensari arbitramur. Si enim eo nomine debetur læso compensatio aliqua, ut ostensum est, vel strictè sumpta compensatio debetur, vel pœna: nihil enim per se ex injuria potest deberi aliud. At restitutio strictè sumpta eo nomine non debetur. Restat igitur ut pœna debeatur. Quod si autem læsionis nomine debetur, nemini debetur alii quam læso.

Et si autem philosophis circa humana versantibus, ac Ictis eam quæstionem possemus relinquere discipulandam, quidnam sit illud, quod læso præter rem ipsam strictius sumtam absit, & quodnam sit illius damnum, cui res ipsa, quam ereptum iverat alter, vel non fuit erepta, vel postmodum restituta; cum nobis, præsertim ad argumenta Grotii respondentibus, satis esse queat, simpliciter ostendisse, ita se rem habere: tamen ne quis suspicetur, quia id à no-

* lib. 4. Instit. 4. paragr. 1.

bis non explicetur, id revera etiam non esse, & effugium tantum à nobis quæri, (quamvis ipsa natura sensusque communis nos ab hac suspitione vindicare queat, cum sæpissime videamus homines injuria affectos, etiam tum, cum suum receperunt, aut nihil revera perdiderunt, læsos sese jure conqueri, accusare fontes, & naturæ quodam instinctu pœnam expetere:) ideo, quantum instituti nostri ratio fert, id explicare conabimur, accuratiorem hujus rei tractationem aliis relinquentes. Itaque cum Aristoteles (a) alicubi dicat, iram oriri ex apparente injuria, quod Ciceroniana etiam vult iræ definitio; alibi autem, ut supra vidimus, asserat, (b) iram ex apparente *δύσμελεια* seu despicientia, qua indignus sit is, qui contemnitur, oriri: facile colligi potest, in omni injuria contemptum quendam esse ejus, qui illam patitur, præter ipsius dignitatem ac meritum. Ubi autem ejusmodi contemptus est, ibi conveniens ac debitus alteri honor abest; quæ res plerisque vehementer dolet, ideoque iram pœnæque cupiditatem stimulat. Sed deinde, ut propius adhuc ad injuriæ rationem accedamus, & simul ostendamus, quo pacto despicientia & contemptus iste in injuria cernatur, sumenda est differentia, quæ est inter injurias & contractus alios, in quibus, licet alteri absit quippiam, injuria tamen & læsio est nulla. Ea vero ab ipso Grotio (c) est indicata ex Aristotele, qui contractus ex injuria ortos vocat involuntarios seu invite factos, cæteros autem voluntarios seu sponte factos: nempe quia hi posteriores utriusque contrahentium fiant consensu ac voluntate: priores autem altera parte, nempe læsa, invita & non consentiente. Quare cum, ut idem explicuit Philosophus, (d) injuriæ natura in eo consistat, quod quis sciens prudens rem alienam sibi sumere, vel ea uti frui præsumat, invito eo, ad quem ea jure pertinet, & penes quem solum, tanquam dominum, de ea statuendi eaque fruendi arbitrium est ac potestas; dicimus, eum, qui injuriam alteri quocunque modo facit, arbitrium illud de re statuendi, eamve usurpandi, sibi facto suo, sive id inchoatum sit tantum, sive consummatum, sumere, & sic jus, quod alter in rem eam habebat, quantum in se erat, illi eripere, atque ad se pertrahere; cum quantum in se est, perinde circa eam se gerat, atque si ipse illius esset dominus, & nisi impediatur, pro libitu eam accipiat, eave utatur. Hæc autem oppressio ac servitus quædam esse videtur; cum non nisi domino ejus ipsius, cujus est res aliqua, liceat eo invito rem capere, eaque uti frui, & ne id quidem quavis ratione. Itaque simul honor conveniens ei, qui læditur, negari aut minui videtur; quin & securitas ejus attentatur: cum videatur is, qui injuriam infert, si similis sese offerat occasio, & causa peccandi sit eadem, similiter semper facturum; & aliis, quibus eadem, aut etiam major peccandi causa, hoc facto ad idem audendum dedisse licentiam. Unde etiam fit, ut quo magis videtur convulsa esse læsi securitas facto, licet inchoato tantum, tanto etiam gravior esse censeatur injuria. Hæc autem omnia consequi solet dolor & molestia quædam, aut id, quod ei proportionem quadam respondet. Itaque cum in cæteris contractibus, in quibus nostra voluntate

quippiam nobis abest, satis sit rem ipsam, quæ absuit, nobis restitui, quæ nisi abesset, ne contractus quidem foret amplius: in injuriis aliter accedit, ubi, etiam cum res nunquam absuit, aut jam est restituta, contractus tamen aliquis manet, & sic aliquid adhuc ab altera parte jure appetitur, quod nihil est revera aliud quam pœna, qua jus læso quodammodo ereptum asseratur, stabiliatur in posterum securitas, vindicetur honos, dolor denique in autorem rediens à læso tollatur. Magnitudo autem seu gravitas læsionis æstimanda est, primo quidem ex ipsius rei, circa quam injuria versatur, præstantia & utilitate, quam nos merito ex ea potuissimus aut possumus quærere ac capere; & sic etiam ex eo, quam chara ea nobis merito fuerit, aut esse debuerit: tanto enim illibentius ac gravius ferimus, aut ferre jure possumus, quempiam alium, cuius in eam non competit, eam nobis vel re ipsa eripere, vel ereptum ire; qua in re injuriæ ac læsionis rationem consistere diximus: deinde æstimanda est ex aliis etiam circumstantiis, quæ nocentem merito ab isto facinore debuissent abstertere; ut in quibusdam personæ dignitas, aut conditio favore digna, locus aut tempus; in aliis alia. Qua de re jura etiam præcipiunt*. Et hæc quidem læsio aut inde natus dolor ac displicentia, normæ instar est, ad quam pœnæ modus est accommodandus, & cui æquanda est supplicii gravitas ab eo, qui jus suum reddit læso. Nam quemadmodum quanto major videtur esse læsio, tanto major nascitur in animo dolor atque ira, & ex hac iterum pœna, qua dolori atque iræ satisfiat: ita etiam quanto major est læsio, non opinione tantum, sed & re ipsa, tanto major jure potest existere in animo dolor atque ira, tantoque major ac gravior pœna, qua dolori atque iræ justæ satisfiat: & quemadmodum dolor atque ira læsi ultra normam suam progredi non debet, ita nec ultra dolorem pœna: læso autem de utraque remittere licet, quantum vult.

Quia vero injuria, si effectum suum assequatur, duo in se continet, rei absentiam, quam Grotius intelligit, & læsionem ab ea distinctam, hanc quidem tanquam rationem ac formam, illam autem tanquam materiam, & ex parte etiam tanquam causam hujus efficientem; ideo cum injuria, qua talis est, proprie sit causa efficiens ac meritoria pœnæ, id quidem, in quo forma injuriæ consistit, primo pœnam meretur, eoque remoto pœna locum jure non habet: consequenter tamen, & veluti secundo, etiam ipsa rei absentia, quando ei læsionis ratio adhæret, pœnæ causa esse potest, ita ut per eam nonnunquam censeatur damnum stricte sumtum compensari. Unde cum infligitur pœna talionis, quam Lex Mosæica, & leges Rom. veteres, ibi, ubi locum habere potuit, constituerunt, quamque in cæde vindicanda adhiberi solere, ubi vis gentium videmus, nulla sit alia damni compensatio, quæ tamen, ut ipse Grotius infra docet, fieri solet, ubi pœna corporalis remittitur; cum læso omnino debeatur aliqua compensatio. Licet enim ibi, ubi membra hominis liberi læsa sunt, actio ei directa non competit, cum eorum dominus non sit; competit tamen utilis; propterea quod utilitatis membrorum suorum

* 1. 5. Eth. 8. b 1. 2. Rhet. 2. c 1. 5. Eth. c. 2. d ibid. c. 8 & 9.

* lib 4. Instit. 4. par. 9.

fit dominus. Itaque si privatis tum, cum poena corporalis infligitur, à magistratu non fit injuria; siquidem nullam illis compensationem fieri imperat; poenam in compensationis locum successisse necesse est. Quod enim fonti decessit per poenam, id læso, quantum cujusque interest, accessisse censetur; siquidem ipsi per poenam, quoad ejus fieri potest, consulitur. Idem autem fit in illis etiam delictis, in quibus talio quidem locum non habet, sed nec restitutio rei, siue ejusdem, siue similis fieri potest. aut ut fiat convenit, nec compensatio aliqua pecuniaria solet admitti; quia pecunia damnum æstimari vel non possit, vel non deceat id fieri: ut in adulterio & similibus aliis flagitiis contingit.

Recte autem à nobis constitutam esse poenæ causam, ipsa natura arguit, quæ iram, puniendi affectum seu cupiditatem, non aliam ob causam excitat, quam ob injuriam seu læsionem apparentem. Itaque tolle injuriæ cogitationem aut persuasionem, statim sedatur ac tollitur ira, ut præter ipsam experientiam testatur apertis verbis Philosophus*: habetque se ira ad læsionem eodem modo, quo poenam sese habere modo diximus. Exoritur enim ira ob persuasionem injuriæ primo, etiamsi nihil absit: sed tamen ubi injuriæ ac læsionis ratio accessit, oritur etiam ideo, quia quippiam absit; &, quo id nobis fuit charius, quantoque ægrius eo caremus, tanto magis, nisi vim adhibeamus affectui, & naturalem appetitus impetum reprimamus. Itaque apparens injuria, etiamsi nihil abesse videamus, iram provocat: at rei ipsius absentia, nisi injuriæ accedat persuasio, nunquam. Hinc autem alterum nobis nascitur argumentum, quo probatur læso deberi poenam, quod supra etiam explicuimus. Etenim ira solius læsionis nomine poenam cupit ac postulat. Itaque nisi omnem iram natura sua injustam esse dicas, quæ poenam eo nomine postulet, quo nomine minime debeatur, & ab invito repetendam suadeat; necesse est statuere, poenam læsionis nomine deberi. Quod si hoc nomine debetur, nemo non videt, eam deberi læso. Neque est, quod quiquam objiciat, poenam etiam ab eo infligi posse, qui revera non irascitur: quare tum saltem poenam alio nomine infligi jure posse aut solere. Nam etiamsi quis reipsa non irascitur, cum punit, irasci tamen jure potest. Ira vero justa, ut docuimus, statim docet, læsionis aliqujus nomine deberi poenam. Diversitas autem in causa poenæ ἀπονομήν seu interius impellente, non protinus parit diversitatem in causa ejusdem procatactica, seu movente exterius, nec debiti rationem mutat: cum diversæ in homine facultates, voluntas & appetitus, ab eadem causa externa moveri possint, vel simul, vel altera sine altera: quamquam altera, si validior sit, in assensum soleat trahere alteram. Sic debitum exigere potest avarus ob cæcam quandam habendi cupiditatem; liberalis ob beneficiendi voluntatem: debiti ratio interea nihil mutatur. Præterea cum voluntas sit facultas quædam appetitui analoga (est enim ipsa quoque appetitus quidam rationem consequens, ut ille sensum) & motus utriusque facultatis itidem sibi invicem respondeant, unde se mutuo etiam ciere solent: necesse est illum

voluntatis actum seu motum, quo poenam appetit, analogum esse iræ, ac proinde, si non eandem, saltem analogam habere causam, quæ ipsum proprie moveat atque excitet, analogam autem nos hic eadem voce exprimimus. Quod si ergo iræ causa propria est læsio apparens, etiam illius motus voluntatis, quo ea poenam appetit, causa propria erit læsio, si non eadem, saltem illi analoga. Sed nos eandem esse docuimus. Neque enim læsionem ad diversa subjecta, nempe ad Deum & homines, quibus non συνίσταται, sed per analogiam tantum ea communis sit, referimus, sed ad idem.

Hic iterum aliud nobis nascitur argumentum, quo probatur, poenam læso deberi, ex vindictæ natura petitur. Nam cum ira æque definiri possit cupiditas vindictæ, atque cupiditas poenæ; seu æque affectus vindicandi, atque effectus puniendi, ut eam describit Grotius, &, quod ad puniendi vocem attinet, etiam Cicero; quin etiam apud Aristotelem, qui loco superius non semel indicato, iram definit ἐρεξι πινωλειας cupiditatem poenæ, aut vindictæ, liceat vocem πινωλειας æquæ reddere vindictam, ac poenam; præsertim cum idem alibi* pro πινωλειας ἀντιλύπησιν habeat, seu repositionem doloris, quæ vindicta est: satis apparet, poenam & vindictam reipsa eandem esse, vel saltem alteram sub altera contineri. Constat autem aliunde, omnem poenam esse vindictam. Etenim, ut ab initio vidimus, poena tum à Græcis, tum à Jcto definitur vindicta noxæ: usurpaturque vox vindictæ in Sac. Lit. crebro, cum de poenis siue divinis, siue à magistratu infligendis sermo est, ut vel ex illis constat locis, quæ Grotius Partic. 79 superiori cap. de justitia divina agens allegavit. Eadem, ut supra vidimus, utitur Seneca, de poenis, quas Princeps infligat, agens, dum ait: *duabus de causis punire princeps solet, si aut se vindicet, aut alium*. Ubi nemo non videt, eum proprie, tum vindictæ, tum poenarum nomine uti: quod etiam in definitionibus siue iræ, siue poenæ, fieri censendum est: nec ulla est causa cur in Sac. Lit. à proprietate verbi illius in locis dictis discedatur. Vindicta vero ob læsionem atque injuriam primo existit, &, si læso non debetur, non debetur etiam prorsus. At poenam deberi fatetur Grotius. Læso ergo debetur. Distinguitur quidem interdum poena ab ultione, quæ reipsa eadem est cum vindicta; sed tunc ultio (in qua voce id magis videtur contingere, quam in vindictæ nomine) strictius sumitur, estque certa tantum poenæ species, in qua puniens seipsum, quia læsus sit, ideoque irascatur, & vindictæ cupiditate flagret, solum revera spectat; cum possit poena ab eo, qui læsus non sit, infligi ob alienam injuriam; possit etiam à læso, sed non irato revera & vindicæ cupiditate ardente; aut non sui, sed aliorum potius causa: quod fiet, si vel illius ipsius, quem punit, vel aliorum correctionem spectet. Unde Seneca, cum de poenis agit, quas Princeps sui vindicandi causa infligit, ultionis utitur voce: cum de aliis, vindicandi potius aut simili alia. Adde quod interdum pars læsa, aut ipsa læsionis ratio, non est sensibus manifesta: quod tunc inprimis fit, cum delictum, cujus poena exigitur, sua natura non videtur ad aliorum detrimentum pertinere,

* 2. Rhet. c. 3.

* 1. de anima c. 1. tex. 10.

sed per accidens tantum, & nisi legibus esset prohibitum, quibus respubl. sibi cavit, ne id committeretur, à civili Magistratu (nisi forte Dei jussu) puniri vix posset; nec privatus aliquis causam illam suo nomine potest suscipere, sed vel rector tantum, vel quispiam alius nomine totius communitatis. Itaque tunc ultionis vox minus videtur esse ad rem accommodata: quanquam etiam in istiusmodi materia solet à bonis auctoribus nonnunquam usurpari. Est igitur ultio stricte sumta pœnæ species, & quidem, si ira est puniendi affectus, ut est, species pœnæ prima & præcipua; cum ad eam ira primo feratur; & quo propius pœna aliqua ad hanc accedit, tanto magis hoc nomen meretur; quanto longius recedit, tanto minus. Neque enim pœna de suis inferioribus prorsus æqualiter prædicatur, sed secundum prius & posterius, ut loquuntur, participatque, ut in aliis quoque nominibus accidit, tum de natura eorum, quæ dicuntur *αφ' ενός*, ab uno, vel ab una sc. specie, tum de natura analogorum. Itaque castigatio, quæ ab ultione recedit longius, minus etiam pœnæ nomen meretur; imo quatenus ultioni opponitur, pœnæ rationem prorsus non habet. Opponitur autem castigatio ultioni eatenus, quatenus ad emolumentum ejus, qui deliquit, refertur; unde etiam illud consequitur, quod ad ultimum supplicium non progrediatur, nisi castigatio esse desinat. At pœna, qua talis, quemadmodum & ultio, nocumentum ejus, qui deliquit, spectat, nec ipsius conditionem reddere vult meliorem, sed deteriore. Nam si meliorem per se reddere vellet, cum delictum vere ac proprie pœnam mereatur, sequeretur, delictum alicujus mereri, ut conditio ipsius fiat melior: quod nemo non videt esse absurdissimum. Quod si ergo pœna, qua talis, nocere peccanti cupit; quicquid ejus bonum accommodum natura sua spectat, qualis est castigatio, id qua tale, pœna non est. Patet idem ex causis utriusque rei. Nam pœnæ causam propriam, iram esse vidimus, vel id, quod iræ proprie dictæ analogum est: ira vero vicina est odio, & ejus vel pars quædam, vel initium, eandemque ad nocendum vim habet, quam odium, imo sæpe majorem. At bonum alicujus quærere, amoris est ac benevolentiae. Unde S. Literæ Prov. 3. 13. Hebr. 12. 6 & seqq. Apoc. 3. 19, charitatem Dei & Christi in hominibus castigandis cerni asserunt, quia ipsorum emolumentum ea ratione quærat. Veruntamen quia videmus, parentes, & eos, qui patriam fere potestatem habent, dominos item ac magistratus, cum ad castigandum accedunt, frequenter irasci iis, quos castigare volunt, nec quemquam, si modum in ira fervent, iram istam censere injustam, præsertim si gravius deliquerint ii, qui puniendi sunt; apparet, castigationem etiam aliquam vindictæ & ultionis habere rationem, & eatenus læso deberi, sive is sit rector ipse, sive communitas, sive quispiam alius. Miscentur nempe in castigatione affectus contrarii, amor & ira, aut si quid est iræ in voluntate analogum: eodemque modo illorum effectus; iræ quidem nocumentum, amoris autem emolumentum; eaque ita tum sese mutuo, tum castigationem temperant ac moderantur, ut ea inter vindictam & beneficium veluti medium obtineat locum, & de utroque aliquid participet;

ac de eo quidem plus, quo validior affectus impellit. Verum, ut diximus, eorum alia faciunt, ut castigationi pœnæ nomen conveniat, ea nempe, quæ ex delicto, quod propria pœnæ causa est, vere proficiuntur; quæ quidem sunt ira, & exinde natum nocumentum, quod is, qui deliquit, sentire debeat, quæ vindicta est; alia vero, quæ ex causis contrariis, vel saltem longe diversis oriuntur, nempe amor, & exinde profectum emolumentum ac beneficium, faciunt ut pœnæ nomen ei prope negari possit. Sed quia pœnæ ratio in castigatione ipsa cernitur manifestius, ea denominationem rei largitur. Quapropter ut argumentum hoc concludamus, cum pœna, qua pœna est, ultio quædam sit ac vindicta, patet, eam, non nisi læso deberi naturaliter; ejusque primam speciem esse eam, in qua puniens suas injurias vindicat, altera in qua alienos, ut supra etiam ex Seneca vidimus.

Præterea si constet, pœnam alicui deberi à nocente, facile constare potest, eam non nisi læso deberi. Deberi autem alicui, docet primum illud, quod Grotius asserit, & nos quoque volumus, punire in magistratibus, qua tales sunt, per se esse effectum justitiæ illius, cujus per se est *αἰσχροδιδασκαλία*, seu cujus verus ac proprius effectus est retributio circa bene aut male facta, sub qua retributione continetur etiam pœna, à Magistratibus, qua tales sunt, seu officii publici ratione infligenda nocentibus. At justitiæ illius *αἰσχροδιδασκαλία* officium per se nullum est aliud, quam aliis jus suum reddere, & id, quod illis debetur persolvere. Quod si ergo pœnam infligere in magistratibus per se est justitiæ hujus effectus, necesse est pœnam alicui deberi, cui ea Magistratus reddere censeantur, sive respubl. ea sit aut communitas, cui præsent, sive quispiam alius. Patet deinde idem ex fine pœnæ, qui est aliena utilitas, ob quam solam pœna debetur. Hac enim remota pœna expetibilis rationem, ut Grotius asserit, non habet: quicquid autem debetur, aliquam habet rationem expetibilis. Quod si ergo ob alienam tantum utilitatem debetur pœna, iis ipsis debetur, qui eam utilitatem sibi jure suo vindicare possunt, qui quidem præter læsos sunt nulli. Hi enim soli ex delicto, ex quo pœna, & sic etiam pœnæ utilitas proprie proficiuntur, damnum senserunt. Quare naturalis suadet æquitas, ut illi etiam tantum commodum inde sentiant, quod ipsi postea pro arbitrio cujusque alterius utilitati destinare possunt. Quemadmodum enim, ut habet nota juris regula, (a) secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda; aut, ut dicitur alibi, (b) commodum ejus esse debet, cujus periculum est: ita etiam dicere possumus: secundum naturam esse, commoda cujusque rei sequi eum, quem sequuta sunt incommoda; aut commodum ejus esse debere, cujus fuerit periculum. Is autem in hoc negotio est nemo, nisi sit læsus: Quare ne communitas quidem naturali jure pœnæ fructum, ex delicto, illius interventu ortum sibi vindicat, nisi sit læsa.

Ex his autem patet, non quamvis actus vitiositatem propriam pœnæ causam esse, sed eam demum, quæ ad alios spectet, h. e. læsionem seu injuriam actui

(a) D. de reg. jur. l. 10. (b) l. 2. Instit. tit.

adhærentem. Duplici enim ratione actus vitiosus spectari potest, vel quatenus in se tantum vitiosus est, aut non nisi illi, qui admittit, nocet: vel quatenus nocet aliis. Priori modo qui obligare potest delinquentem ad id præstandum, quod utilitatem aliis tantum præbeat? Necessesse enim est ut illud, quod quempiam obliget ad præstandam rem aliis tantum utilem, ad alios etiam relationem habeat. Et factum quidem obligari ad eam rem naturali jure nemo potest, nisi per id alteri quippiam decesserit, quod utilitate aliqua sit compensandum. Restat ergo ut eatenus tantum vitiosus actus ad poenam obliget nocentem, quatenus nocet aliis; ut recte dictum sit à JCto, poenam esse vindictam *noxæ*. Delictum enim quæ nocet, *noxæ* revera est ac dicitur. Etiam si autem delictum aliquod natura sua, ut supra quoque diximus, non videatur ad alterius detrimentum spectare: tamen si lege aliqua cautum sit, ne id à quoquam committatur, (quod ipsum quoque potissimum ob læsionem aliquam auctui vitioso, licet per accidens tantum adhærentem fieri solet) jus quoddam acquiritur ei, cui lege illa cautum est, sive Reipubl. sive rectori, sive cuicumque alii, ejusque censetur interesse, ne delictum istud committatur, & si committatur, is statim fit pars læsa; ubi autem pars læsa evasit, jam jure naturali fit poenæ creditor. Neque enim semper idem prorsus est nexus inter læsionem & delictum alterius, quæ est inter jus crediti & læsionem; fierique potest, ut cum hæc posteriora naturali jure inter se connectantur, priorum duorum vinculum sit jus positivum. Veruntamen istud quoque jus positivum naturali aliqua ratione nititur, & læsionem non prorsus facit, sed in factis ipsis aliquo modo invenit, injuriamque, ut ita dicam, positivam naturali cuidam læsioni superstruit. Solet enim, ut diximus, etiam illis actibus vitiosis, qui sua natura non sunt ad alienum detrimentum comparati, sed noxam suam per se in auctorem vertunt; læsio aliqua adhærere per accidens: partim quia viris honestatis amantibus molestissimum est ista committi, ideoque in communitate ea, cujus vel capita sunt, vel membra, ea ferre nolunt, nec quicquam cum illis volunt habere commune, qui ea perpetrant: vel quia verentur, ne ii, qui ad ipsos proprius pertinent, ut uxores, liberi, pupilli, servi & alii, quos ab iis peccatis volunt esse immunes, exemplo istiusmodi flagitiorum corrumpantur, aut in societatem sceleris trahantur: vel denique quia verendum est, ne ea, (ut fecunda sunt in aliena mala privata quoque flagitia, quemadmodum contra virtutes in alienas utilitates,) damna aliorum secum trahant, & toti denique communitati noceant. Unde cum læsio istiusmodi nimis manifeste delicto cuiquam adhæret, viri honesti, nulla etiam lege posita, indignantur id committi, & quo sunt honestatis amantiores, tanto magis, ideoque poenam expetunt. Eandem ergo ob causam legibus ea prohibentur publicis, quas observare officium est justitiæ universalis. Justitia vero illa sua natura spectat ad alterum, ut docet philosophus; * adeoque cum quid contra ipsam, & sic etiam contra leges peccatur, simul peccatur adversus alterum. Indicat

* lib. 5. Ethic. cap. 1.

autem illud quoque, læsionem primo ac per se spectari in constituendis poenis, non vero vitiositatem actus absolute consideratam, quod in optimis etiam, quæ extant, rebus publ. multa non puniuntur, quæ manifeste vitiosa esse constat, imo haud paulo vitiosiora, quam ea, in quæ satis severe solet animadverti. Nami si quis per iram vulneraverit quempiam, aut alio aliquo affectu impulsus injuriam ei fecerit, punitur, & sæpe quidem graviter, nec quisquam id injustum esse arbitratur. At si quis manifeste, sine noxa tamen alterius, deprehendatur esse avarus, quem idololatram esse Sac. Lit. pronunciant, aut superbus, quod gravissimum sane peccatum esse eadem Sac. Lit. docent, aut invidus ac malignus, aut ebriosus, qui non simplices sunt actus, sed habitus admodum turpes ac vitiosi, qui malitiam quandam arguunt, is non punitur, & leges etiam istis de rebus ferri non solent: quod in Mosaicis quoque Legibus, ad Remp. Israëliticam accommodatis, licet deprehendere. At si vitiositas actus in se considerati, sine alterius noxa, hic primo spectaretur, eaque esset propria poenæ causa, isti, quos diximus, habitus magis forent puniendi, quam actus singulares, qui sæpe à malitia sunt sejuncti, & ex subitis nonnunquam affectibus exoriuntur. Docuimus autem supra, quo pacto cuivis peccato seu actui vitioso læsio quædam seu offensa majestatis divinæ adhæreat; cum Deus partim naturaliter, partim expresse omnia delicta prohibuerit: ac præterea habita ratione objecti peccatorum, semper iis Deus sive directe sive indirecte petatur, atque ab iis inprimis, qui ipsum habent cognitum. Nam vel immediate in ipsum peccatur, vel mediate; quod posterius fit, cum peccatum primo tendit in creaturam aliquam, præsertim rationalem, in quam peccari proprie potest. Nam & ibi peccatur in Deum, ubi in id peccatur, quod totum est Dei, ut suo loco vidimus.

Quod ad Aristotelis sententiam attinet, nulla est causa, cur arbitremur, eum ideo tantum posuisse homicidium inter contractus involuntarios, quos jus emendativum ad æqualitatem reducere conatur, quia uxori, liberis, aut cognatis occisi aliqua fieri soleat compensatio, ut Eustathius, sive quisquis ille est, voluit: imo causa est non una, cur latius ejus verba sint extendenda. Primum enim quid dicemus de adulterio, quod inter eosdem contractus collocavit, & juri emendativo subjecit, itemque de *παρρησία*, per quam, quia inter clandestina facta ponatur, viri docti * sollicitationem alienæ uxoris ad adulterium intelligunt? Earum enim injuriam nomine pretium accipere turpe non sine causa habetur, idque viri magni ac honesti nunquam vel postulabunt, vel admittent, ac præterea per sollicitationem solam, nihil adhuc abest marito; ita ut compensatio stricte sumpta ei hoc nomine deberi nequeat. At debetur quippiam, quia contractu illo invito obligatur lædenti læsus, ideoque jus emendativum circa hanc injuriam versatur, ut id, quod læso abest, lædenti vero accessisse censetur, huic detrahat, & illi restituat, atque ita, quantum ejus fieri potest, pristina redeat æqualitas. Poena ergo

* Muretus,

illi debetur. Quod si pœna debetur læso injuriis aliis eodem loco collocatis; cur idem de homicidio non sit dicendum? Fieri autem potest, ut in homicidio non tantum privati, quos commemorat Grotius, censeantur læsi, sed simul etiam Respub. quæ membro aliquo est privata præter suam voluntatem: ut ex quibusdam Philosophi verbis, quæ paulo post adducemus, videtur apparere. Deinde Aristoteles homicidium simpliciter atque in universum, non vero in certis tantum casibus, nempe tum, cum fit compensatio illa, de qua loquitur Grotius, ad contractus invite factos, atque ad jus emendativum tetulit: & recte. Nam omnes injuriæ simpliciter ad contractus illos, ac jus emendativum pertinent. At homicidium semper est injuria, non vero in certis tantum casibus: cum tamen compensatio illa raro fieri soleat. Nam in homicidio vindicando talionis jus ubivis gentium videtur esse usitatum. At ubi cædes cæde luitur, nulla fit privatim læsis damni compensatio. Quod si nihilominus læso debetur compensatio, eaque non est verisimile privari læsum tum, cum talionis pœnam subit nocens, necesse est, ut ea per pœnam fieri intelligatur: quo pacto læso debebitur pœna. Adde quod Aristoteles inf. eod. lib. 5. Eth. ubi ista habentur, cap. II. ait, eo nomine illum, qui sibi violentas manus intulerit, puniri, & ignominia affici à civitate, quia eam affecerit injuria, & ex illo, tanquam effectu, hoc non obscure probat. Postquam enim dixisset, eum non sibi, sed civitati intulisse injuriam, & priorem assertionis partem probasset, subjicit: *Propterea etiam civitas eum punit: & ignominia quadam inurit eum ei, qui sibi necem conscivit, ut qui civitatem injuria affecerit.* Debetur ergo pœna ex Philosophi sententia injuriæ nomine, & sic illi, qui ea est affectus. Quod si ob vitiositatem actus simpliciter debetur, nec locutus, nec argumentatus esset recte Philosophus. Datio autem ejus non minus in aliena cæde, quam in sua locum habet; nisi quis dicat, rempubl. in aliena cæde vindicanda, ex Philosophi mente privatorum tantum dolori obsequi, & eorum injuriam tantum vindicare: quo pacto sequetur, privatim tantum læsis pœnam persolveri, & si id jure quodam fit, iis etiam tantum deberi.

Quod ad tres sequentes Grotii rationes attinet Partic. 23, quæ sunt: *Quod restitutionis modum & quantitatem ipsa rei natura determinet: pœna etiam si in genere suo causam habeat naturalem aliquo modo, determinari tamen non possit, nisi per actum liberum voluntatis: quodque ante condemnationem pœna, quatenus in dando aut in faciendo consistat, non debeat ordinari: at restitutio omnino debeat: denique quod restitutionis debitum in heredem transeat, pœna non transeat:* ad has, inquam, rationes patet jam ex superioribus responsio. Nihil enim eæ probant aliud, quam discrimen esse non exiguum inter restitutionem stricte sumtam, & pœnam; quod nos libenter agnoscimus. Pœnam autem non esse restitutionem, late accepta voce, nequaquam ostendunt. Veruntamen concedendum non est, pœnæ quantitatem, quod tacite Grotius asserit, naturam non determinasse, secus quam in restitutione accidat, ideoque determinari eam non posse, nisi per actum liberum voluntatis. Est enim ipsius quoque pœnæ norma

naturalis, ad quam ejus quantitas seu gravitas sit exigenda, læsio ipsa, quæ unde sit æstimanda docuimus superius, quanquam, cum ejus quantitas sæpe non sit manifesta, & discrepent nonnunquam etiam prudentium ea de re judicia, aut diversis in locis diversa in eodem delicto adhibeatur pœna; ideo ea non à natura, sed ab hominum tantum voluntate videtur determinari. At si pœnæ quantitas à natura non est definita, sequetur, ipsa natura rei inspecta nemini fieri injuriam, quantumlibet gravis pœna ei infligatur ob quodvis delictum, quod pœnam meretur aliquam, (meretur autem quodvis, si modo verum sit delictum) licebitque per naturam quoad pœnæ quantitatem progredi in infinitum: quod nemo non videt esse absurdissimum. Unde vero fit, quod interdum omnes, non tantum prudentes, aut legum gnari, sed vulgus etiam imperitum, uno ore pronuncient, pœnam aliquam nimis esse gravem, & iniquam, aliam contra pro delicti modo nimis esse levem, aliam denique esse æquissimam? non aliam certe ob causam, quam quia ipsa natura terminos aliquos posuit pœnæ, & ejus norma quædam extat, quam interdum omnes manifeste cernunt, ut in pœna talionis, cum injuria versatur inter pares, accidere solet, aut alii clarius, alii obscurius; interdum prudentiores tantum, utpote qui oculum eum, quo ista pervidentur, habent. Quia enim res ista ex circumstantiarum etiam ratione pendet, quæ nunc omnibus manifeste patent, nunc minus; tanto autem melius de iis quisque judicat, quo est prudentior, (siquidem prudentiæ est circumstantiarum momenta ponderare, & earum rationes inter se conferre) inde fit, ut nonnunquam, ubi res est nimis manifesta, inter se consentiant omnes; interdum à vulgo discrepent prudentes; aut prudentes etiam inter se; vel quod alius alium prudentia superet, vel quod melius rem habeat exploratam, meliusve expendat, vel denique affectu labore nullo, alius labore, aut alius alio. Quod si id fit in eadem numero causa, multo magis in diversis, ubi, licet delictum sit idem genere aut specie, circumstantiarum tamen ratio variare potest. Verum idem in aliis quoque actionibus ad honestatem spectantibus, quibus ipsa natura modum posuit, sed ex circumstantiis æstimandum, accidit. Unde Aristoteles (a) ait: honesta & justa tantam habere differentiam, &, ut loquitur, errorem, ut lege non natura esse videantur, de qua istarum rerum inconstantia seu varietate non uno loco conqueritur. (b) Adde quod fieri possit, ut diversum quidem sit supplicii genus, gravitas autem eadem. Nisi enim supplicii genus, seu mavis qualitas, simul ad quantitatem ejus spectet, ea libero voluntatis actu determinatur: quanquam ipsa natura digitum aliquando in eam intendit, ut in talione, ubi contrarium ejus, quod Grotius vult, videtur, contingere. Nam animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente reddendum, ipsa natura videtur dictare. At quantum pecuniæ sit reddendum uxori, liberis, cognatis, cum cædes est facta, aut quantum pro oculo, manu, pede, cuiquam persolvendum; quis facile dixerit? quis usui illi, quem ex alterius vita potuissent capere personæ propinquæ, aut quem quisque

(a) Lib. 2. Eth. 6. l. 1. Eth. c. 3. (b) Vid. etiam l. 2. c. 2.

ex oculo suo, vel alio alio aliquo membro nobili percipit, cum is sit multiplex, & revera inæstimabilis, satis justum ponat pretium? Atque hæc præcipua esse videtur causa, cur tum vindicta potius à læsis soleat expectari, quam damni compensatio, nisi forte homines sunt tenuis fortunæ; aut aliud quippiam interveniat, quod vindictam dissuadeat, aut impediat. Idem in aliis noxis contingit, ubi injuriæ vel non potest, vel non debet fieri per pecuniam æstimatio. Quod si nihilominus hic etiam restitutionis modum à natura vult esse definitum Grotius, idem æque, & interdum etiam manifestius in pœna fieri, animadvertere poterit.

Quod ad secundam ex rationibus Grotii enumeratis attinet, in ea nulla esse potest vis ad sententiam nostram labefactandam: siquidem ea non loquitur de pœna generatim ac simpliciter sumpta, sed eatenus tantum, quatenus in dando aut faciendo consistit. At debitum pœnæ non certum ejus modum, à quantitate distinctum, primo ac directe spectat, sed pœnam ipsam, certa tantum quantitate seu gravitate definitam, ultra quam progredi non liceat, quamquam intra eam licet subsistere ei, cui debetur. Modus autem seu qualitas pœnæ, salva interim ejus quantitate, ab eo, qui vel naturali vel positivo jure causæ istius judex est, constitui potest. Neque vero est, quod quis dicit, si pœna læso debeatur, eam non nisi eatenus illi posse deberi, quatenus in dando aut faciendo consistit; quia alias ex ea nihil ad illum redire queat commodi. Potest enim nihilominus censeari pœna accessisse læso, etiamsi nihil illi à nocente detur aut fiat, ut in ultione ea manifestum est, quam primum pœnæ genus esse vidimus, quæque Deo etiam adversus ipsius hostes in Sacrae Literæ tribui solet; unde Deus ultionum dicitur Psal. 94. 1. Docuimus autem superius, quidnam utilitatis pœna possit afferre læso, etiamsi nulla ei fiat rei corporalis restitutio, nec quicquam ejus causa laboris atque operæ suscipiat nocens.

Quod ad tertiam rationem attinet, discriminis istius inter restitutionem strictè sumtam & pœnam, ex nostra quoque sententia patet ratio. Nam id, quod per læsionem strictè sumtam accessit nocenti, ad hæredem pervenire non potest, nec ullum ex ea re, nisi ipsemet culpæ sit affinis, percipit lucrum, non magis quam ex vitiositate actus absolute considerata; sed totum id in ipsius nocentis persona residet, & cum ea extinguitur. Itaque id nec ab hærede jure petitur, nec ab eo potest restitui, nisi per accidens, cum id in debitum pecuniarium commutatum est. Debita autem ejus solvere debet hæres, cujus ad ipsum devolvuntur bona: siquidem id demum ipsius est, quod deducto ære alieno restat. Neque tamen propterea pœna definit esse restitutio, laxius sumpta voce. Nam nec restitutionis illius debitum, quam Grotius intelligit, quando ea improprie ita dicitur, semper in hæredem transit. Etenim, si quis mendacio famam alterius læsit, veri professione refarcire debet id, quod de dignitate ipsius delibavit, ut supra dixit Grotius. At debitum istud in hæredem haudquaquam transit: quia nec id, quod de alterius fama detractum est, transire aliqua ratione ad hæredem potuit: quod idem de restitutione aliarum rerum,

quæ nec ad hæredes pervenire possunt, nec in rem eam, quæ ad illos devolvi queat, commutari solent, est dicendum. Quæ enim damna non nisi corporali pœna vindicarentur, eorum restitutio ab hærede postulari non solet.

Sed adhuc aliam habet rationem Grotius Partic. 24, qua probat, pœnas corporales non deberi læsis. Postquam enim dixisset, legē positiva & contractu introduci posse, ut creditori jus aliquod quæratur in pœnam, quam tunc à rei seu damni persecutione jura manifeste distinguant; quod tamen plerunque constitui soleat in pœnis pecuniariis, in pœnis autem corporalibus vix usurpetur, subjicit: *Ideoque videmus Reges aliosque summos rectores pœnam remittere fontibus, etiam invita parte læsa, injuncta ipsis sola damni restitutione. Quod injustum nemo judicat. Esset autem hoc injustum, si pœna læso deberetur, præsertim ubi nulla Reipubl. necessitas remissionem postulat.*

Sed huic objectioni nos jam occurrimus antea sup. Partic. 21, cum nostram de secunda hac Grotii assertionem sententiam explicaremus. Itaque responsio inde petatur. Illud tamen, ut res fiat planior, addimus: cum discrimen, ut supra vidimus, non exiguum sit inter damnum strictè sumtum, & læsionem ab eo distinctam; siquidem per illud manifeste quippiam abest læso, quod ad utilitatem ipsius pertineat, per hanc vero nihil ei adeo manifeste abest: ideo etiam debiti utriusque, quod inde oritur, non eandem prorsus esse rationem; & generatim loquendo non tantum læso esse causam repetendæ pœnæ, præsertim corporalis, quanta est restitutionis strictius sumtæ urgendæ; nisi interdum læsio æquet damnum istud, aut etiam superet, ut in facinoribus atque injuriis atrocibus accidit, quæ securitatem dignitatemque læsi vehementer convellunt. Itaque & humanitas ipsa magis videtur suadere, ut de pœna corporali remittas; præsertim si commoda tua cæteroqui salva sint, imo etiam plus inde sis habiturus emolumenti proprie dicti, quam ex pœna; & Rectori plus in pœna corporali, etiamsi læso deberi censeatur, remittenda licere credendum est, quam in debito restitutionis strictè sumtæ. Nam id, quod læso per pœnam istiusmodi potissimum foret quærendum, nempe ut jus ipsi suum sit salvum, & securitas dignitasque integra, rector etiam citra corporalem pœnam præstare non raro potest. Et si vero solatium quoque ex pœna & afflictione alterius, non obstante jure civili, læso quærere licet, quod per leges divinas sub Novo Fœdere non licet: tamen, si causa aliqua gravis remissionem pœnæ suadeat, (causam autem gravem hic esse oportet, cum alias, ut infra ait Grotius, publice inter sit delicta puniri, & jura affirmant, pœnas ob maleficia solvi magnam rationem suadere: clementia autem præter rationem nihil faciat:) istud tanti non est, ut rector propterea pœnam omnino cogatur infligere; sed ob id ipsum, quia parti læsæ regendæ præest, & ipsi officia certa ad alterum spectantia, etiam cum quadam naturalis libertatis imminutione præscribere, & invitum ad ea præstanda cogere potest, jus etiam habere videtur, læso, præter rectam rationem pœnam & ex ea solatium tantum cum summo alterius

detrimendo postulanti, eam denegare. Habet enim se rector, causam illam gravem considerans, rationis instar: læsus autem, pœnam ac solatium præter rectam rationem quærens, instar appetitus cæci, & affectus immoderati. Quemadmodum autem ratio appetitui & affectui multa negat, aut invito imperat, quia ei regendo à natura est præfecta: ita & rector hujusmodi læso, quem moderari debet. Est enim, ut docet Philosophus (a), simile imperium rationis in appetitum, imperio magistratus Politici ac Regis in civem ac subditum. Quod si hoc sapiat dominium aliquod, considerandum est, regere ac dominari ita inter se esse affinia, ut alterum alterius fines aliquousque ingredi soleat; & quemadmodum is, qui servis dominatur, aliquatenus etiam regit: ita & qui regit, atque in eo libertate quadam utitur, ut hic ponimus, aliquatenus dominatur. Nam ut servi etiam heri respectu aliquo modo sunt liberi, & sic sui, non ipsius domini: ita etiam liberi, qui rectori subsunt, aliquo modo serviunt, & non sui sunt, sed imperantis; unde ei jus quoddam subditorum injuriis acquiritur, ex quo, si commoda illorum salva sint, ipse si nil aliud, laudem saltem clementiæ ac benignitatis sibi potest quærete. Illud etiam in Grotii verbis animadvertendum est, eum partis læsæ nomine privatos tantum intelligere, non vero totum Reipubl. aut communis corpus. At fieri potest, ut pœnæ corporalis non tam privatus quispiam censeatur esse creditor, quam universa Respubl. Juris vero illius, quod habet respubl. dispensatio penes rectorem est, tanquam ejus caput; præsertim si is libere imperet, & legibus non sit prorsus adstrictus.

Ex his satis apparet, injuria Grotium Partic. 25 negare, Deum à nobis læsum, in pœna proprie esse creditorem, late accepta hac voce, prout eam in hac disputatione accipit Grotius. Est autem Deus pœnæ creditor jure naturali, licet ipsamet pœna quibusdam in rebus lege positiva non naturali sit introducta. Frustra autem Grotius conatur effugere vim comparationis, quæ Matth. 18 instituitur inter Deum peccata nobis remittentem, & creditorem debitum ingens condonantem, ac jure suo cedentem. Neque enim, ut Grotius hic loquitur, comparatio *quavis similitudine contenta est*, etiamsi forte non requirat, ut res genere proximo conveniant. Est enim aliquid adhuc inter genus proximum & *quamvis* similitudinem intermedium. Nam comparationes requirunt, ut res diversæ in eo conveniant, quod ad scopum propositum pertinet, & quod revera declarandum aut probandum est. Id autem in comparatione nostra est benignitas seu beneficentia, ut Grotius tum hic tum alibi fatetur. At si Deus non esset pœnæ creditor, adeoque eam remittens, non de jure suo cederet, sed de alieno, utpote alienæ utilitatis causa comparato; quo pacto ratione beneficentiæ conveniret cum creditore ingens debitum remittente, & sic de jure proprio, suæ utilitatis causa comparato, cedente, & id, quod alteri donat, sibi detrahente? Vidimus enim supra, Senecam, (b) manifesta ratione suadente, eum demum Principem,

(a) Lib. 1. Polit. cap. 6, Pac. (b) Lib. 1. de Clem. cap. 20.

qui injurias suas non vindicat, non eum qui alienas cum liberali conferre, qui, quod alteri donat, sibi detrahit; cum alter de alieno liberalis sit censendus. Tanto vero ineptior foret comparatio, quæ longe est divinissima, si Grotius esset sequendus: quandoquidem ex ejus sententia, pœnam illam, quam nobis Deus remisisse intelligitur, communis tantum alicujus bono comparatam esse oportet, quo remoto ne expetibilis quidem habeat rationem. Communitas autem illa hoc loco nulla revera est alia, quam totum humanum genus, quod ipsum pœnam illam solvere debebat. Nam quod cœlestis existerit hiararchia, id ex eventu est. Sive enim exstitisset, sive minus, idem Deo sive in exigenda sive in remittenda nobis pœna jus fuisset, & sic benignitas quoque in supplicio condonando per se eadem. Et ineptum sane esset, dicere, Deum ideo pœnam à nobis exacturum fuisse, ut disciplina in cœlis stabiliretur, & ordo ibi conservaretur. Quod si ergo pœna ista nostræ tantum utilitatis causa per se erat comparata, (quanquam hoc seipsum, ut supra vidimus, evertit) quæ Dei erga nos fuit benignitas, cum de eo jure nostri causa cessit, & pœnam, nostræ scilicet utilitati servientem, nobis remisit? Quam enim absurda fuisset pœnam exigendi, & nostræ utilitati consulendi ratio, qua nobis funditus atque in æternum fuisset pereundum, & extrema infelicitas ac miseria subeunda? quid magis alienum ab ea beneficentia, quam creditor ille Matth. 18 in servum exercuit? Debitum enim non ad servi, sed ad Domini utilitatem pertinebat. Alias cum summo servi detrimento exigi qui potuisset? Adde, quod ne eo quidem contentus fuit Deus, si Grotio credimus, sed adhuc voluit, ut Christus nostro nomine ipsi satisficeret, & pœnam loco nostri penderet. Quæ potuit absurdior excogitari beneficentiæ ratio? Videre igitur potest Grotius, quomodo & seipsum sententia sua, qua sibi visus est causam suam egregie stabilivisse, implicavit, & beneficentiam divinam, quæ in remittendis humano generi peccatis cernitur, & ex qua omnium maxime ad Deum redit gloria, funditus everterit, quantasque Sacris Literis hanc benignitatem passim inculcantibus offuderit tenebras. Etiam si vero hujus comparationis vim aliquot locis elidere conatus fuerit Grotius, nuspiam tamen quicquam profecit, imo nodum, si recte attendas, ne tetigit quidem.

Quod subjungit Grotius Partic. 26, de Christi facto, qui pedes discipulorum lavans exemplum iis dedit, ut, quemadmodum ipse fecerat, sic & illi facerent, hoc est, inservirent alter alteri; id nihil ipsum juvat. Quia res illæ, inter quas comparationem ibi fieri intelligendum est, in eo conveniunt, quod Christo fuit propositum declarare, h. e. in humilitatis seu demissionis, & simul etiam in fraternæ charitatis ratione. Itaque tum demum hoc exemplo ad rem suam confirmandam uti poterit Grotius, si ostenderit, Deum creditori debitum suum remittenti fore benignitatis ratione similem, etiamsi creditor pœnæ non sit, nec de jure proprio cesserit, sed de eo, quod alienæ tantum utilitatis causa fuerit comparatum, idque tunc demum, ubi præstita ipsi fuit satisfactio. Quamquam jure dici potest, Christum,

flum, cum pedes discipulorum lavit, non tantum alterius generis servitia eo facto designasse, sed hujus etiam ipsius, cujus est pedum lotio, si usus exigat, ut ad hujusmodi ministeria aliis præstanda nos demittamus. Quare tanto minus ad id, quod Grotius quærit, exemplum hoc pertinet. Cætera quæ de comparatione illa Matth. 18 subjungit Grotius, vel nihil adversus nos faciunt, vel quatenus à sententia nostra discrepant, cum nova ratione non fulciantur, superioribus convulsis per se concidunt. Ideo ea non adscribimus.

Restat tertia Grotii assertio Partic. 27, quæ est: *Jus puniendi in rectore non est aut jus absoluti domini aut jus crediti.*

Hoc verum est, cum rectores considerantur ut rectores, & de alieno tantum jure agentes. At si ipsi met sint læsi, præsertim soli, falsum id est. Quod idem dicimus de eo jure, quod ipsis tanquam dominis quibusdam, per subditorum injurias acquiritur in pœna, de quo etiam remittere possunt, quantum volunt, & in quem placet usum absque alterius injuria convertere.

Probat sententiam suam Grotius Partic. 28: *Primo ex fine, qui optime soleat distinguere facultates. Nam, inquit, jus absoluti domini, ut & jus crediti comparatum est ejus gratia, qui id jus habet. At jus puniendi, non punientis causa existit, sed causa communitatis alicujus. Pœna enim omnis propositum habet bonum commune; ordinis nimirum observationem & exemplum: ita quidem ut rationem expetibilis non habeat nisi ab hoc fine, cum jus domini & crediti per se sint expetibilia. Hoc sensu Deus ipse dicit: se pœna eorum qui puniuntur non delectari.*

Recte ait Grotius, finem optime solere distinguere facultates; & ex eo nos facile probabimus, jus puniendi in Deo ad jus domini absoluti pertinere, & speciatim ad jus crediti. Quod etiam dicimus de cæteris rectoribus, cum ipsi sunt læsi, deque aliis omnibus, qui injurias suas vindicandi jus à natura sibi datum retinent. Siquidem jus puniendi læsi causa primo comparatum est, cique naturaliter ac primo competit, ut suo loco vidimus. Quapropter negamus Grotio, pœnam omnem propositum habere bonum commune, ita ut expetibilis rationem non habeat, nisi ab hoc fine. Unde illud quoque corruit, quod ea ratione probare voluit Grotius, jus puniendi, nempe in universum, non punientis causa existere, sed causa communitatis alicujus. Nam inter pœnas, aut Princeps, aut quivis alius, qui superiori potestati non est subjectus, infligere potest, primum locum obtinet ultio stricte sumpta, cujus naturam omnia reliqua pœnarum genera sequuntur; & quo magis pœnæ rationem habent, tanto magis. At ultio illa ipsius punientis, si læsus sit, bonum primo ac per se spectat, aliorum non nisi per accidens. Unde supra vidimus, Senecam duos ei assignare fines, solatium, & securitatem in posterum: quibus addi possunt honoris ac dignitatis, per injuriam violatæ & aliqua ratione imminutæ, vindiciæ, assertioque juris nostri. Quanquam hæc fortasse ad securitatem à Seneca commemoratam, tanquam ad finem suum referri potest. At fines isti diversi sunt à bono communi, & læso ex pœna debentur. Quod

enim per injuriam ademptum est, id partim per restitutionem stricte sumptam, partim per pœnam, quæ læsionis rationem proprie consequitur, est faciendum. Læsis autem stricte sumpta, ea, quæ pro pœnæ finibus posuimus, minuerat aut sustulerat, eorumque contraria in læso effecerat. Quare æquum est, ut per pœnam restituantur, & incommoda contrariis commodis pensentur. Neque vero est, quod quis dicat, primum finem à Seneca constitutum, nempe solatium ex alieno dolore, natura sua malum esse & injustum, ideoque non commemorandum. Nam etsi nobis Deus sub Novo Fœdere ea re interdixit, præsertim cum ipse ea in re nobis exemplo præverit, misericordia summa adversum nos ipsos usus, ita ut vel ob id ipsum hanc conditionem nobis, si ejus benignitatis fructum sentire vellemus, imponere potuerit, licet pro absoluto suo in nos dominio id alias quoque posset: tamen si quis prior dolorem per injuriam alteri inusserit, non est natura injustum, eum, qui dolorem istum præter meritum senserat, eundem in auctorem suum referre, & eo pacto doloris sui lenimentum (id enim per solatium illud intelligendum est) quærere. Ideo natura tum hominibus, tum reliquis animantibus iram inseruit, quæ est cupiditas reponendi doloris, quem cum reposuisse videtur, conquiescit; nec Lex Mosaica, si quis per Magistratum dolori suo satisfacere vellet, prohibuit; imo ipsismet privati vindictam hanc in quibusdam casibus permittit: nec leges politicæ id vetant. Cæteros pœnæ fines, quos constituimus, natura sua justos esse, neminem arbitror negaturum. Deinde ex eo quoque patet, pœnam etiam punientis gratia, si læsus sit, esse comparatam, non vero semper communitatis alicujus causa, nisi & ipsa sit læsa; quod herus ideo potest punire servum, ut labores imperatos diligentius exsequatur, & utilitatem domino præstet eam, quam debet; nec id quisquam injustum censet, aut censere merito potest, si jus herilis imperii finemque consideret. Potest etiam herus omnes servos simul, si mereantur, punire: pœna autem per se non spectat utilitatem ejus, qui punitur, quæ tunc est universa communitas, cui herus, qua talis, præest: potest denique ita plectere servum, ut ad neminem perveniat exemplum: nec minus illi jus hoc competit, cum unicum tantum servum habet, quam cum plures. Idem de Deo statuendum est. Nam ideo punire quemvis, qui mereatur, potest, ut ipsi officium honoremque debitum præstet: potest etiam omnes simul, si mereantur, punire, atque in æternum perdere, quo pacto bonum commune penitus tollitur: potest etiam occultas aliquas pœnas, unde nullum ad alios redeat exemplum, cuius pro sceleribus infligere. Quomodo ergo pœna omnis bonum commune sibi habet propositum, quo remoto expetibilis rationem non habeat? An putat Grotius, Deo non licuisse angelos omnes, si peccassent universi, eo pacto punire, quo cæteros; vel primos parentes; vel, si Noachus etiam cum suis impie vixisset, mundum primum; vel aliquando impios, & in ipsum extreme contumaces; nisi aut extitisset, aut extitura esset communitas aliqua, cui ea pœna Deus consuleret, & in qua disciplinam ea ratione

ratione stabiliret? Id certe nemo non absurdum esse videt. Sed quid multis opus, cum supra viderimus, Salomonem Prov. 16. 4 affirmare, Deum omnia propter semetipsum fecisse, aut facere, etiam impium ad diem malum; & omnia esse in ipsum, & propter ipsum, tanquam finem suum Rom. 11. ult. 1 Cor. 8. 6. Hebr. 2. 10. Unde consequitur, etiam si tandem statuendum esset, Deum in puniendo semper bonum communitatis alicujus, cui præest, ordinis nimirum conservationem & exemplum quærere, cum tamen nihilominus propter seipsum punire; cum ipsemet communitatis illius sit finis, & boni publici non minister aut custos tantum, qualem Grotii sententia facit, sed dominus.

Quo vero pacto Grotius asserit, jus dominii & jus crediti esse per se expetibilia, voces *per se* opponens ei, quod est *propter aliud tantum*? An non iura sunt in rerum utilium numero, ita quidem, ut rationem expetibilis non habeant nisi ab usu? Tolle usum, quid est, ob quod appeti mereantur? An fortasse res ipsas, quæ juri dominii aut crediti sunt subjectæ, earumque usum intellexit Grotius? quandoquidem poenam juri dominii ac crediti opponit, cum eam potius opponere debuisset rebus creditis & ad dominium pertinentibus, ipsum vero jus puniendi, jure dominii & crediti. Sed præterquam quod ista quoque in rerum utilium soleant esse numero, * ut pecuniæ, suppellectilia, instrumenta, quæ non propter se, sed tantum propter aliud, seu propter usum aliquem sunt expetibilia; an non jure dominii potest quis res suas abjicere, earumque jacturam facere, quod per se nequaquam est expetibile, sed tantum propter aliud, nempe ob majus aliquod malum evitandum, aut bonum parandum? quo pacto jacturam rerum suarum facit mercator in mari, alius aliud perdit, ut vitam, aut famam redimat, aut aliis incommodis se suosve liberet. Juris sane vis non tantum in acquirendo, aut utendo, sed etiam in amittendo ac minuendo collocatur. At hi actus posteriores cum cernuntur in rebus bonis ac utilibus, nunquam sunt natura sua expetibiles. Similiter jure dominii quædam possumus ab aliis exigere, ut à servis laborem atque operam cum ipsorum molestia conjunctam, quæ tamen per se non sint expetibilia, sed tantum propter alia.

Illa vero loca, ad quæ respicit Grotius, in quibus dicit Deus, se non delectari morte impii, vel eam non desiderare Ezech. 18. 23, 32. XXI. 18, nihil ad sententiam ipsius stabiliendam faciunt. In iis enim non de eo sermo est, quid necessario faciat Deus aut non faciat, ut sententia Grotii postulat, sed quid ob summam benignitatem faciat. Grotius enim arbitratur, eo sensu ita loqui Deum, quia poenam per se consideret; poena autem per se expetibilis rationem non habeat. Quod si ita est, ne potuit quidem Deus per naturam eo pacto poenam desiderare. Quatenus enim aliquid rationem expetibilis non habet, eatenus expeti non potest. Arbitramur autem omnes animadvertere, Deum ibi ea de re loqui, quæ benignitatis sit ac misericordiæ, non naturæ aut necessitatis. Neque vero Deus ibi poenam per se tantum considerat,

non habita ratione finis, ad quem ea destinata est. Alias enim liceret, salva istorum verborum sententia statuere, Deum nihilominus ob finem aliquem insignem impii mortem desiderare, eamque infligere velle, etiam si ea per se non delectetur. Nam hoc etiam tunc de Deo posset dici, cum illi omnino decretum est impium morte punire; si quidem poena, ut asserit Grotius, nunquam per se expetibilis rationem habet; adeoque sive punire velit Deus, sive minus, nunquam eam per se desiderat, eave delectatur. At nemo non videt, Deum eo sensu verba illa extulisse, ut ostenderet, se mortem illam impiis ob peccata antea facta non inflicturum ullo pacto, modo ad eum convertantur. Potest autem fieri, ut quispiam re aliqua non delectetur, eamque non desideret, licet ea rationem aliquam habeat expetibilis, & ad jus dominii aut crediti pertineat, præsertim tunc, cum majorem ex re alia, quæ istius usum impediatur, percipit voluptatem. Sic quispiam dicit se non delectari libris, quos tamen habeat, & quibus uti possit cum fructu, alius armis, aut equis; alius denique opes se non desiderare, affirmare potest; alius honores aut voluptates; alius denique alia; quæ omnia expetibilium rationem habent, & eorum aliqua ad jus dominii, aut etiam crediti, vel pertinent vel pertinere possunt. Quia ergo Deus magis delectatur impii conversione, & vita eam consequutura, quam ejus morte, licet ad certum aliquem finem relata, & sic aliquam expetibilis rationem habente, eaque duo sese mutuo evertunt; ideo jure dicere potuit, se mortem impii non desiderare, eave non delectari. Addendum tamen est dictis, distinguenda esse tempora, quibus Deus impios velit, aut non velit perire. Est enim tempus aliquod gratiæ, sed est etiam iræ: & licet illa hac soleat esse major, in infinitum tamen & ipsa non exit. Nam cum Deus eum in finem homines produxerit, ut ex ipsorum factis gloriam consequeretur, ut supra vidimus; cum per contumacem alicujus improbitatem finem hunc consequi nequit, sed ignominia potius subinde afficitur, convenit ipsius sapientiæ eum è medio tollere, tanquam intentioni ac consilio suo non tantum inutilem, sed etiam vehementer adversantem. Unde Deus, qui eum ob certum finem vivere antea desiderabat, ob causam contrariam eum perdere summo jure desiderat. Etiam si autem Deus, simul ac quispiam eum ipsi usum non præstat, quem jure suo ab eo postulat, possit eum jure è medio tollere ac perdere; tamen ob misericordiam ac longanimitatem suam, quam diu spes aliqua est, fore, ut finem atque usum illum ipsi in posterum præstet; eum tolerare solet, & vitam ejus desiderare: & eo usque illa Dei verba, de quibus agimus, extendenda sunt: at cum resipiscentiæ etiam spes tollitur ac definit, tunc nec ista Dei verba, ut ipsamet satis indicant, locum habent amplius. Cum igitur impii contumaciter in sceleribus perseverant, ii præsertim, qui Deum ejusque voluntatem habent cognitam, & nec minis aut castigationibus, nec promissis divinis ad resipiscentiam se revocari patiuntur, eos tanquam hostes ac perduelles odit Deus, eorumque perditionem desiderat, & ut Sacræ Literæ loquuntur, ea lætatur. Ita enim ait Moyses Deut. 28. 63 de populo

* Arist. l. 1. Eth. c. 3, 6, 7.

Israëlitico, si graviter etiam ob peccata sua punitus, respiscere tamen noluerit, sed contumax esse perrexerit: *Erit præterea, quemadmodum latatus est Dominus super vos, benefaciendo vobis, & multiplicando vos: sic latabitur Dominus super vos, perdendo & delendo vos; & quæ sequuntur.* Etiam si autem aliquam improprietatem in verbis istis, quatenus ad pœnam referuntur, velis statuere: (quanquam eadem in contrario etiam locum aliquem habebit:) non licet tamen eo usque à verborum proprietate discedere, quin aliquid in Deo statuas ei lætitiæ analogum, quam homines ii capiunt, qui gravissimas suas offensas in hostibus suis extreme contumacibus, iustissimoque suo desiderio vehementer obstantibus, jure merito vindicant. Nam quemadmodum peccatis nostris offenditur Deus, & quo graviora sunt atque atrociora, tanto vehementius ea illi displicent, quæ de causa etiam irasci & indignari toties in Sac. Literis dicitur: ita etiam aliquid isti displicentiæ & iræ contrarium in ipso existere consentaneum est, cum offensas istas suas vindicat, eaque ratione tollit & extinguit: nec quicquam in eo est Deo indignum, si ei aliquando placeat vindicta, cui vehementer displicuerunt delicta & scelera, quibus eum homines per summam nefas offenderunt. Imo absurdum est dicere, Deum aliquid facere posse, quo tamen nullo modo delectetur, aut delectari possit. Sed hoc, ut diximus, quia tardus est ad iram & longanimis, tarde solet facere, præsertim sub N. Fœdere, ubi viscera misericordiæ, & immensas divitias gratiæ suæ in nos effudit Exod. 34. 6. Num. 14. 18. Psal. 86. 15. Luc. 1. 78. Ephes. 1. 7, 8. 11. 4, 7. Quapropter, ut de finibus pœnæ respectu Dei, hac occasione aliquid dicamus, ii duplicis constitui possunt generis. Alii enim locum habituri essent, etiam si Deus omnes homines, vel etiam omnes in universum creaturas rationales, si mererentur, funditus tolleret: quod tamen, quia non fit, ideo vix etiam intelligitur fieri posse: alii tunc vel solum, vel, ut in posteriore ejus generis fine videbimus, potissimum locum habent, cum aut ii ipsi, qui puniuntur, porro vivere pergunt, aut alii extant, ad quorum notitiam pœna possit pervenire; qui quidem fines sunt manifestiores, & oculis fere magis subjecti, inter quos ille quoque est, quem Grotius constituit, quamquam ad Deum tanquam ultimum ac præcipuum finem & scopum relatus. Prioris generis ii potissimum sunt, qui proportionem quadam respondent istis, quos Seneca præfigit ultioni. Nam securitati quidem in posterum, in Deo proportione respondet immunitas in posterum ab offensis: solatio vero respondet *indolentia* quædam, &, ut eam vocat Moses, lætitia, quam Deus ex tollendis hostibus suis, utpote ipsi plane adversis & abominandis, capiat, seu id, quod lætitiæ humanæ est analogum, qui finis tum ex priori, tum ex aliis, ubi ii locum habent, fere videtur proficisci. Posterioris generis sunt ii, qui cæteris etiam pœnæ seu vindictæ finibus, quos illis à Seneca commemoratis addidimus, respondent, aut ejusdem cum illis sunt generis. Eorum alter est, quod Deus hoc pacto jus suum, quod in nos habet, sibi asserit ac sancit, &, quam sollicitè, quantoque cum timore ac tremore ipsi sit serviendum, quam diligen-

ter officium ipsi debitum sit præstandum, ostendit; siquidem tam severe neglecti officii pœnas exigit. Atque hoc pacto mores corrigit, licentiam compri- mit, disciplinam sancit, quem solum finem agnoscit Grotius; quanquam ne is quidem vel semper, vel natura sua & per se, ad bonum totius communitatis pertinet; cum possit ad unius tantum aut alterius correctionem spectare, nulla habita ratione communitatis, qualem Grotium intelligere, cum de Deo illius Rectore loquitur, par est; & præterea, ut supra monuimus, etiam si ad bonum publicum semper pertineret, nihilominus tamen ibi nondum quiesceret, sed ad Deum, publici illius boni dominum, & finem ultimum referretur. Alter posterioris generis finis, ad quem iste, à nobis modo commemoratus, aliquo modo pertinet, est assertio quædam divini honoris ac majestatis, quæ peccato fuerat violata & ignominia affecta, gloriæque amplificatio. Quia enim nomen Domini propter eorum, qui id profitentur, scelera blasphemari solet Rom. 2. 24, ac male audire apud ipsius hostes; ideo dignum est, ut id ab ignominia & contemptu vindicetur eorum supplicio, qui ignominia illius fuerant auctores, & sic gloriæ illius diminutio, quantum ejus fieri potest, sarcitur; quod fit, cum apparet, Deum in suis etiam peccata impune non ferre, sed aliquod saltem exemplum in eos statuere, quibus alias magna esset parcendi causa. Quo respexit Nathan 2 Sam. 12. 14. Postquam enim dixisset David: *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris;* addit: *Verum tamen quia blasphemando blasphemare fecisti inimicos Domini in hoc negotio, etiam filius, qui natus est tibi, moriendo morietur.* Quanquam ea quoque ratione Deus gloriam sibi parat ex pœna, quod potentiam imprimis suam ostendit, etiam iis ipsis, quos it perditum, (qua de causa antea innuimus, hunc finem etiam tum aliquo modo habiturum locum, si omnes tollere vellet Deus,) aut alias quasdam proprietates suas, ut justitiam & rectitudinem, quas in ea simul exserit. Quo pacto dixit olim Deus ad Pharaonem Exod. 9. 16: *Et profecto ob id constitui te, ut ostenderem tibi potentiam meam, utque prædicent nomen meum in universa terra:* & superius dixerat vs. 14: *Mittam omnes plagas meas in cor tuum, ut scias, quod non sit similis mei in universa terra.* Unde Paulus cum priora illa verba citasset, ea non obscure ad Judæorum à Deo rejectorum pœnam accommodat, dum ait Rom. 9. 13, 22, *Deum, cum vellet ostendere iram, & manifestare potentiam suam, tulisse in multa longanimitate vasa ire præparata ad interitum.* De prædicatione autem divinæ justitiæ, quæ in pœna cernatur, ipse Grotius nonnihil dicit in sequentibus. Itaque Deus, cum gloriæ ipsius ratio contrarium postulare videtur, pœnam vel remittit, vel mitigat, & sui ipsius in ea re habet rationem; quod iniquum foret, si non ipsius, sed communitatis tantum aliqujus bono pœna foret comparata. Ejus enim bonum quæri debet in pœna remittenda, cujus in exigenda quærendum est, nisi ipse aliter statuatur. Atqui id quod diximus, ex non paucis S. Literarum locis manifestum est. Nec enim alia ratione potissimum movit Deum Moses, ut populo Israëlitico, in idololatriam prolapsa, aut adversus Deum præfra-

Et loquuto, parcere vellet, quam quod id gloriæ ipsius esset obfuturum, ut constat ex locis Exod. 32. 11 & seqq. Num. 14. 13 & seqq. Vide etiam Deu. 32. 27. Sed insignis est præter cæteros locus apud Ezechielem cap. 36, ubi, cum de pœna, quam populo Israëlítico irrogasset, loquutus esset Deus, causam etiam exponit, cur eam mitigaret, & finem ei cito imposuerit, dum inquit yf. 20 & seqq. *Et ingressus (populus Israëliticus) ad gentes, ad quas venerunt, polluerunt nomen meum, dum diceretur eis: Populus Jehova sunt, & de terra ejus egressi sunt. Et peperci nomini sancto meo, quod polluerunt domus Israël in gentibus, ad quas ingressi sunt. Idcirco dic domui Israël: sic dicit Dominus Jehova. Non propter vos facio, domus Israël, sed propter nomen sanctum meum, quod polluitis in gentibus, ad quas venistis. Et sanctificabo nomen meum magnum pollutum in gentibus, quod polluitis in medio earum: & scient gentes, quod ego Jehova, ait Dominus Jehova, cum sanctificatus fuero in vobis in oculis vestris.* Quo loco in Bibl. Magnis R. Stephani, inter alia quæ huc pertinent, ad yf. 21 ita annotatum reperies: *misertus sum nominis mei sanctissimi: vindicavi enim eum à pollutione & injuria, qua afficiebatur, consului honori ac gloriæ nominis mei.* à Vatablo vero: *misertus sum fame meæ sanctæ, quam profanaverant.* Gentes enim, ut ibid. notatum habes yf. 20, insultabant divino nomini, ita impie ratiocinantes: Si fuisset Deus hujus populi, ut prædicant, omnipotens, non permisisset eos depelli de terra sua. Similem ex parte locum habes Esa. 52. 5, 6, vide etiam inter alia Psal. 74. 10, 18, 22. LXXIX. 9, 10 & CXV. 1, 2. Quapropter cum jus, quod Deus habet ad repetendam pœnam, ipsius causa sit comparatum, recte concludimus contra Grotium, id ad jus dominii pertinere.

Sed aliam adhuc rationem habet Grotius Partic. 29, qua sententiam suam firmer. Nam *nunquam, inquit, cum justitia pugnat de jure dominii aut crediti cedere. Quia natura hæc est proprietatis, ut ea tam uti quam non uti liceat. At quedam peccata impunita dimittere* * (puta non resipiscendum) *esset injustum in rectore, etiam in Deo, ut fatetur Socinus. Non est ergo jus puniendi idem cum jure dominii aut crediti.*

Et si inspecta natura ipsius juris dominii ac crediti, præsertim strictius sumti, quod circa utilia tantum versatur, cum justitia non pugnet, de eo credere: non est tamen admittendum id, quod Grotius asserit, *nunquam* cum justitia pugnare jure domini aut crediti cedere, præsertim si Justitiæ vocem accipias pro Rectitudine in universum, quemadmodum Socinus eam loco à Grotio citato sumit, & jus dominii ac crediti cum Grotio tam late extendas, ut honor quoque ac dignitas sub illud cadat. Rectitudinis enim est, id omne facere, quod ut fiat æquum & honestum est, adeo ut ejus contrarium sit inhonestum ac pravum. At interdum turpe est ac inhonestum, de jure crediti aut dominii cedere, quod ipsemet Grotius per accidens fieri posse non diffitetur infra cap. 5. Quare cum Rectitudine quoque ac Justitia interdum pugnat, de jure dominii aut crediti cedere. Id autem duplici ratione fieri potest; partim ob rerum ipsarum, circa quas jus illud versatur,

naturam, ac circumstantiarum rationem; partim ob decretum contrarium. Nam quod ad priorem modum attinet, docuit Grotius supra, parti offensæ tanquam creditori deberi, ut is, qui mendacio famam ejus læsit, veri professione refarciat id, quod de dignitate ipsius delibavit. An vero rectum & honestum foret, si quis gravissimis calumniis appetitus, quæ ipsius famam & exultationem, vitæ prope modum anteponendam, aut simul ipsam etiam vitam, uxorem, liberos, bona, in summum discrimen adducant, ut in atrocibus criminibus accidit, non exigeret à calumniatore, ut veri professione famam ipsius & exultationem in integrum restitueret? Certe id hominis foret dissolutissimi, vel potius insani, & non tantum non honestum, sed etiam turpissimum. Quare eo jure non licet non uti, adeoque dictum Grotii, naturam proprietatis hanc esse, ut ea tam uti, quam non uti liceat, vel ad rem nihil facit, vel non est universaliter verum. Ad rem nihil facit, si ita ea verba accipias, ac si dictum esset, naturam proprietatis per se consideratam id permittere, & per eam nequaquam stare, quominus ea cedas, licet interim ipsarum rerum, in quibus ea cernitur, natura, ac circumstantiarum ratio id prohibere possit. Non erit universaliter verum, si ita accipias, res omnes, in quibus proprietas cernitur, ita comparatas esse, ut iis tam uti, quam non uti liceat. Falsum enim id esse, istud quod attulimus, exemplum satis demonstrat. De illis bonis concedi id potest, circa quæ jus dominii ac crediti magis proprie versatur, h. e. de iis, quæ non nisi propter aliud sunt expetibilia; vel de iis, quæ adeo sunt vulgaria, ut à viro honesto sperni merito queant, præsertim tunc, cum major utilitas id suadet. De altero, quem constituimus modo, qui est, cum juris proprii cessione decretum aliquod obstat, nihil est opus dicere amplius, cum res sit satis manifesta. In nostro autem negotio, utraque ratio habet locum, atque in primis posterior. Nam etsi pœna simpliciter atque absolute sumta, ut cap. 1 diximus, non sit ita comparata, ut eam justitia omnino jubeat exigere: tamen non resipiscences pœna non liberare, tum per se æquitati est admodum consentaneum, & positis quibusdam finibus, quos Deus sibi in regendis hominibus præfixit, factu necessarium, præsertim tunc, cum insignis est eorum contumacia, & animi malitia, quemadmodum ex iis constat, quæ dicto loco hac de re differuimus Partic. 78, partim etiam ob hanc ipsam causam decretum ea de re à Deo factum est. Atque ad hoc utrumque Socinus loco citatio respexit, cum dixit, *non resipiscens veniam non concedere, natura divina, & decretis ejus, & propterea rectitudini & æquitati debitum esse ac consentaneum.*

Quod ad conclusionem Grotii attinet, si usitatam ac simplicem verborum vim spectes, ea cum sententia nostra non pugnat. Neque enim nos simpliciter asserimus, jus puniendi esse idem cum jure dominii aut crediti: sed jus puniendi, aut pœnam repetendi, quod læsus habeat, sive rector sit, sive minus, sub jure dominii ac crediti, tanquam genere suo contineri.

Quod ad sequentem Grotii rationem attinet Partic. 30, quæ est: *Nemo ob id justus dicitur, ac ju-*

* Lib. 1, c. 1.

justitia nomine laudatur, quod dominio suo utatur, aut quod creditum exigat. At quisvis rector, atque ipse Deus, justus ob id dicitur, & justitiae nomine laudatur, quod poenas non remittat, sed severe exigat. Justus es Domine, quod sic judicasti Apoc. 16. 5. Quod pluribus locis supra probatum est. Ad hanc, inquam, rationem ex superioribus potest colligi responsio. Nam quod ad rectores attinet eos, qui, dum puniunt, alienas tantum injurias vindicant, nihil opus est dicere. Si enim dum id faciunt, jus reddunt alteri, non vero suo dominio utuntur, aut creditum suum exigunt. Itaque justitia tunc utuntur etiam particulari. Quod ad eos rectores attinet, qui suas injurias vindicant, si quidem merito ob istiusmodi factum justitiae nomine commendantur, necesse est id ob aliquam ex causis commemoratis fieri, ob quas diximus justitiam ac rectitudinem nonnunquam postulare, ut creditum exigatur. Nemo quidem ob id simpliciter ac per se justus dicitur, quod dominio utatur, aut creditum exigat: (ipsa enim domini ac crediti ratio per se ad justitiae laudem nil facit, nisi quatenus id praestat, ne cum justitia pugnet, re quapiam uti, eamve repetere) sed tamen, dum quis dominio utitur, aut creditum exigat, justitiae nomine laudari potest propterea, quia vel ipsa res propria creditave, habita praesertim circumstantiarum ratione, ita sit comparata, ut ea uti, eamve exigere honestas jubeat, vel decretum, quod rescindi non debeat, de ea exigenda aut utenda intercesserit. Utrumque autem in Deo locum habere tunc, quando justitia seu rectitudo postulat ut poenam exigat, jam ostendimus. Sed praeterea nulla ratione probavit Grotius, ideo Deum in illo Apocalypseos, quem adducit, loco, justitiae nomine laudari, quod poenas non remittat simpliciter, aut severe exigat. Neque enim, ut ipsa Grotii habet ejus loci interpretatio, ideo Deus justus ibi dicitur, quod judicavit simpliciter, sed quod sic judicavit. Modus nempe judicii in argumentum justitiae divinae ducitur. Quod si dicat Grotius, ista particula severitatem poenae significari, id illi probandum erit. Nos autem superiori cap.* satis ostendimus, ea vocula indicari analogiam illam egregiam, quae poenae istius, de qua sermo est, cum delicto intercedat, seu modum supplicii sceleri accommodatissimum: qua in re si severitas aliqua cernitur, quamquam ea, si gravitas sceleris aestimetur, tanta non apparet, id ex eventu est.

Ultima, quam hoc loco collocat Partic. 31, Grotii ratio est. *Virtutum diversitas oritur ex diversitate objectorum. At virtus qua de dominio aut de credito nostro cedimus, liberalitas vocatur: non clementia: illa vero, qua impunitas conceditur, non liberalitas sed clementia.*

Liberalitatis vox nunc laxius sumitur, pro quavis beneficentia seu benignitate, nunc strictius pro ea benignitate, quae in pecuniis & impensis cernitur. Si posteri modo sumatur, à clementia tanquam specie disparata ejusdem generis distinguitur: si priori, clementiam, quatenus ea de jure suo, quod ad poenam repetendam habet, cedit, & sic benigne facit alteri, in se complectitur, ut exemplis ex Cicerone allatis docebimus Deo dante cap. 6, ubi Socinum ob

vocis hujus in hac materia usum reprehendit Grotius. Quamquam id ipsum quemvis monere potest, Liberalitatis vocem recte huc accommodari, quod beneficentia seu benignitas proprie dicta in concedenda impunitate cernitur, & clementiam eatenus in se complectitur, quod Grotius ipsemet fatetur, & quisvis per se agnoscit. An non enim insigniter bene fit illi, cui poena condonatur, quae ab eo exigi summo jure poterat? At liberalitatis vox eo usque porrigitur, quousque benignitatis seu beneficentiae nomen; siquidem ea pro synonymis ponuntur. Cur tamen ad largitiones & impensas crebrius ac magis proprie accommodetur, causa mox patebit. Nam, ut de re ipsa simul dicamus aliquid, cum liberalitas, ut ex Grotii dictis intelligitur, circa res eas versetur, quae juri domini & crediti sunt subjectae; jus autem illud magis proprie cernatur in pecuniis, & rebus iis, quae nummo aestimantur; hinc fit, ut liberalitas etiam magis proprie circa pecunias atque impensas occupetur. Verumtamen, quemadmodum interdum jus domini & crediti latius extenditur; ita ut honores etiam, & quicquid est in bonis, quibus perfrui nobis licet, aut quicquid ex quacunque causa nobis debetur, ambitu suo comprehendat: quo pacto id accipit Grotius, qui famam etiam ac dignitatem ei subicit: ita etiam liberalitas, quae circa jus istud versatur. Sicut enim virtutum diversitas oritur ex diversitate objectorum, ut ait Grotius: ita etiam ejusdem virtutis distinctio, ex objecti distinctione oriri solet. Quare quemadmodum jus domini ac crediti nunc latius sumitur, nunc angustius: ita & liberalitas; & si quidem latius sumitur, clementiam quoque & mansuetudinem, ut diximus, quatenus ea de jure suo cedit, & sic benigne facit alteri, in se complectitur; si stricte, quemadmodum eam accepit Aristoteles, & quo pacto eam frequentius accipi, ob causam dictam consentaneum est, à mansuetudine & clementia, tanquam à specie disparata distinguitur. Quia vero frequentius hoc posteriori modo ea vox accipitur: ideo Grotius arbitratus est, eam nullo pacto huc pertinere. At vel ex suis dictis videre poterat, eam etiam in impunitate concedenda cerni posse. Dixit enim supra, lege positiva & contractu posse quempiam creditorem fieri poenae: quod licet in corporalibus vix dicat usurpari, eo ipso tamen fatetur, interdum usurpari, vel saltem usurpari posse. Quapropter fieri potest, ut quis impunitatem alteri concedendo, & liberalis sit simul, & clemens seu mansuetus: siquidem quatenus de jure crediti cedit, liberalis est: quatenus non punit, mansuetus ac clemens. Quod si diversitatem objecti acrius urgeat Grotius, idem argumentum ipsi opponemus, qui dixit, jure crediti deberi parti offensae, ut qui famam ejus mendacio laesit, veri professione refarciat id, quod de dignitate ipsius delibavit. Id ergo creditum liberalitati, vi argumentationis ipsius, subiacebit, de quo ea vel cedat, si id permittat honestas, vel non cedat, si honestas dissuadeat. Est enim liberalitatis interdum non dare, * sed sibi servare, cum dare foret nimium: siquidem liberalitas, ut omnis virtus, medium servat. Atqui circa honorem & dignitatem versatur partim

* Partic. 78.

* 1. 4. Eth. 1.

magnanimitas strictius sumpta, partim modestia, distinctæ à liberalitate virtutes, quæ nec illam in se comprehendunt, nec has illa. Simile est, quod circa eosdem honores etiam iustitia particularis occupatur, ut docet Philosophus (a), quam tamen à duabus istis, quibus honorem subjecerat, virtutibus distinctam esse nemo nescit. Atque ut ad rem nostram accedamus propius, vindicta quoque ac pœna sub eandem iustitiam cadit: siquidem illius est cavere, ne quis eam præter aut ultra meritum patiatur: quia id cum æqualitate, in qua jus cernitur, pugnaret. Idque patet ex contrariis injuriis, quas iustitia studet corrigere. (b) Inter eas enim recensentur verbera, cædes, debilitatio, maledicta, contumeliæ: quæ injuriæ ex ira nimia erumpunt, aliæ semper, aliæ plerumque, ac proinde sub vindicta fere continentur. Quod si vindicta subijcitur iustitiæ particulari, subijcitur etiam liberalitati seu beneficentiæ; cum circa idem rerum genus versetur utraque, iustitia quidem, cum eæ sunt alieni juris; liberalitas cum nostri. At circa effecta iræ seu vindictam versatur mansuetudo & clementia. Adeo ut tres distinctæ in eodem objecto cernantur virtutes, idque ita, ut officium unius cum alterius officio nonnunquam concurrat. Nam iustitia cavet, ne vindicta immerentem petat, vel ultra meritum ipsius progrediatur, quod etiam cavet mansuetudo: hæc eadem à vindicta licita sæpe abstinet, & sic de jure suo cedit, quod idem est beneficentiæ ac liberalitatis laxius sumptæ. Quod si Grotius, ob subtile aliquod inter mansuetudinem ac liberalitatem hac in parte discrimen, urgere velit, clementiam sub liberalitate latius sumpta directe non contineri, sed ab ea ratione distinctam, disparatamque esse; id illi concedere sine sententiæ nostræ detrimento possumus; cum interea nobis relinquatur id, in quo momentum omne positum est, liberalitatis quoque esse impunitatem alteri concedere.

Discrimen autem inter virtutes illas earumque effecta (c) hoc potest constitui, quod cum *μακροθυμία* seu mansuetudo, ut vocis Græcæ fert natura, primo circa iram versetur, consequenter circa ejus effecta; ea etiam primo non ad alterum spectet, sed ad eum ipsum, in quo est, ac moderationem quandam & tranquillitatem animi in ipso efficere per se laboret: liberalitas contra, ut & iustitia primo (nempe ratione ac natura, non tempore) occupetur circa effecta iræ, consequenter circa iram ipsam. Siquidem hæc virtutes primo ac per se respiciunt alterum, & ejus quidem bona curant, nocumenta vero prohibent, quo per se effecta iræ pertinent, ira ipsa nonnisi per effecta. Verum quia istud rationis tantum discrimen est, ideo in negotio nostro nihil habet momenti. Ne quis tamen hic etiam quippiam posset desiderare, ideo superius expresse diximus, eatenus clementiam & mansuetudinem sub liberalitate latius sumpta contineri, quatenus illa de jure suo cedit, & sic benigne facit alteri. Quanquam Clementiæ vox vel *ἐπιεικεία*, in utramque partem vergit, vel ad alios magis spectat, quam ad eum, in quo inest, præsertim cum ea nusquam habeat locum, ubi non & beneficentia. At mansuetudo per se etiam alibi lo-

(a) Lib. 5. Eth. 2. (b) ibid. (c) 1. 4. Eth. 5. & 2 Rhet. 3.

cum habet. Ubique enim locum habet, ubi & ira, at hæc etiam in eas sive personas sive res fertur, quibus nocere iratus non potest, aut in quas nec beneficium nec maleficium, nec jus nec injuria proprie cadit. Phantasia enim vindictam etiam ibi sibi fingit, ubi nulla est.

Objicit sibi porro in sequentibus Grotius Partic. 32, quod *cum deberi pœna dicatur, quis hic sit creditor?* Vix enim, inquit, intelligi posse videtur debitor, ubi creditor sit nullus. Etsi vero nos ex simplici isto loquendi modo hujus rei argumentum non petamus, cum aliæ satis validæ nobis rationes suppeditent: tamen ne hanc quidem objectionem solide refutavit Grotius. Ita enim respondet: *Sed notandum est, vocem debere non semper notare relationem inter duas personas. Sæpe enim, debeo hoc facere, nihil est aliud, quam convenit hoc à me fieri, sine respectu ad personam alteram. Ita debeo pœnam, id est dignus sum pœna, & pati eam teneor absolute: non autem relate ad hunc aut illum.* Nam in hanc responsione male confundit Grotius phrasas diversas: *debeo hoc facere, & debeo hoc ipsum*, v. g. pœnam, quasi hæc non minus absolute intelligatur atque illa. Atqui, licet hæc posterior phrasis non evincat necessario, personam esse aliquam, cui debeatur, nisi cum constat eam proprie sumi: semper tamen includit relationem aliquam ad eum, cui debeatur, seu ad creditorem aliquem, sive proprie sive improprie dictum. Indubio autem propriam significationem præferendam esse, alibi urget Grotius. Sensisse istud, quod de vi phrasos hujus diximus, videtur Grotius; ideoque inferius ait: *si quis tamen cupiat in pœna aliquid sibi dari, quod sit creditori ἀνίσταται, non inepte forte dicitur, ordinem rerum bonumque publicum fungi vice creditoris, cujus ordinis bonique dispensatio rectori permissa est. Hoc enim indicare videtur trita sententia, Delicta puniri publice interest.* Sed mirum est, Grotium non potius ipsam communitatem seu Remp. voluisse creditori respondere, quam ipsum bonum commune. Nam creditori rectius respondet *πρόξενος*, seu is, qui bono aliquo perfrui debet, & cui illud destinatur, quam *πρόξενος*, seu bonum ipsum, quod quaeritur. Respubl. autem est, quæ bono isto perfrui debet. Nec minus sane dictum istud vulgare, quod Grotius affert, huic sententiæ favet, quam ei, quam ipse ponit. Favet & illud, quod recte atque eleganter dicatur, quempiam Reipublicæ pœnas perfolvere. Quo autem pacto ei pœna perfolvi, eodem etiam deberi potest.

Non sunt autem prætereunda illa Grotii, verba Partic. 32, quibus denuo probare conatur, non esse certum pœnæ creditorem, & sic, cum quispiam dicitur debere pœnam, id absolute intelligendum esse, non autem relate ad hunc aut illum. Ideo, inquit, *perinde est, in qua republica, sub quo rectore aliquis pœnas delicti luat. Aque enim apud omnes liberabitur, quod non ita procederet, si, ut aliarum rerum, ita pœna certus existeret creditor. Uni enim illi, non etiam aliis, nisi jussu ipsius facta solutio debitorem liberaret.*

Verum animadvertere debuit Grotius, pœnam non iis protinus perfolvi, apud quos, vel sub quibus nocens eam luit, sed iis, quorum nomine, seu in quorum gratiam ac commodum aliquod ea repetitur.

Potest

potest autem ejus nomine ac bono exigi, qui sub alio rectore, atque in alia republ. vivit, præsertim si pœna consistat in afflictione corporis, ubi nulla sit rei corporalis datio & acceptio, qualis in aliorum debitorum solutione fieri solet: adeo ut longe facilius sit absenti pœnam hujusmodi, quam aliquod aliud debitum persolvere. Patet id ex natura ultionis ac vindictæ, quæ illi etiam, qui longissime absit, persolvi potest, idque per quemvis, qui læsi nomine eam repetat, sive id ipse jusserit, sive rem postea ratam habeat. Quamquam autem magistratus vix unquam pœnam delicti alibi admissi, & ad se suosque nihil pertinentis, soleat exigere, nisi instigante eo, cujus interest fonti pœnam infligi: nihil tamen prohiberet, quominus ipse, tanquam partis læsæ amicus, causam ejus sponte sua susciperet, & injuriam ejus, gravem præsertim, & quam vindicatam velle læsum sit verisimile, ulcisceretur, eoque pacto debitam ei pœnam persolvi curaret: quemadmodum etiam amici debitorem fugientem, illo inscio, comprehendere, & ad debitum, quo is invitatus admodum fraudaretur, persolvendum adigere posset: eodemque modo alius aliquis creditoris amicus id à magistratu petere atque impetrare. Sic à fure ac rapto in facinore deprehenso, potest quis rem vicini, tanquam amicus, extorquere, certus, ipsum id ratum habiturum, etiam si id non jusserit. Nam cum jus suum consequi sit in rerum expetibilium numero, præsumi merito potest, alteri invito jus suum redditum, aut debitum persolutum non iri, præsertim tunc, cum magnæ sunt suspicandi causæ, eum jure suo ægre cessurum. Perinde ergo tum erit, ac si ipse met dominus aut creditor id, quod in ipsius gratiam amicus fecit, jussisset aut postulasset. Nam ut in aliis rebus, quemadmodum jura docent*, ita etiam hic ratihabitorio mandato comparari potest. Quare non recte pro concessio sumit Grotius, tunc, cum sub alio rectore, atque in alia republ. pœnam solvit reus, nec læso eam persolvi, nec eo jubente id fieri, præsertim si, ut hic faciendum docuimus, ratihabitionem etiam jussionis loco habeas. Sed arbitratus est Grotius, ad id, ut alter magistratus, ad quem læsio & injuria per se nullo modo pertinet, pœnam à nocente jure possit exigere, & ea persoluta nocens à reatu liberari, nullam partis læsæ vel jussionem postulationemve, vel ratihabitionem, quæ mandati loco sit, accedere oportere; cum magistratus is primo, ac suo veluti nomine, nulla læsæ partis habitatione, pœnam possit repetere; quod nos ipsi nequaquam putamus concedendum. Contrarium enim satis est manifestum in pœna pecuniaria. Nam quo jure lucrum istud sibi sumit magistratus is, ad quem ex delicto nullum redundavit damnum? Quod si jure id sibi sumit, & sic, ut Grotius vult, statim liberatur nocens, jam magistratui ejus loci, ubi facinus est admissum, aut ei, qui privatim læsus est, jus multæ illam exigendi creptum est. Neque enim potest idem debitum jure bis exigi. Quod si absurdum est, alterum magistratum eo pacto posse præjudicare alteri, & lucrum istiusmodi ad se pertrahere, necesse est, ut magistratus ille vel injuriam fecerit nocenti, utpote qui alibi denuo ad pœnam

istius solutionem adigi possit: vel ejus nomine ac jussu, cujus intererat nocentem puniri, id fecerit, & alii cuiusdam pœnam persolvi curaverit. Patet idem, quod diximus, ex pœnæ remissione. Nam si alter ille magistratus, eo, quo Grotius vult, modo pœnam posset exigere, posset eam eodem etiam modo condonare, eaque res non minus rata esse deberet apud omnes, quam si is magistratus, sub quo delictum fuit admissum, & quisquis adhuc in pœna illa jus habet, eam remisisset, & reum à pœna prorsus absolvisset. Nam qui habet jus puniendi primo, absque ullo alterius jussu aut consensu, sive tacito, sive aperto, is habet etiam jure eodem modo remittendi. Ponamus ergo aliquem qui in Gallia peccarit, in Germania vero, Anglia, aut Hispania, vel à Principe, vel ab alio aliquo magistratu jus gladii habente veniam petat atque impetret; non poterit is postea in Gallia deprehensus, jure ad pœnam rapi? quis id absurdum esse non videt? Quis enim crediderit, alterum illum magistratum facto isto suo jus eripuisse magistratui alteri, sibi minime subjecto? At si is magistratus, sub quo facinus admissum est, consentientibus iis, qui jus forte in pœna habebant, facinus istud remittat, ipso facto nocens statim liberatur à reatu pœnæ, nec quisquam eam jure ab illo exigit. Quod si ergo illic mandatum alterius, vel id, quod mandati vice est, ad ejusmodi exactionem, aut remissionem pœnæ, qua nocens impofterum ab eo debito liberetur, accedere oportet, hic non est necesse; apparet esse certum aliquem pœnæ creditorem, qui pro arbitrio eam possit vel repetere vel remittere, & is quidem nullus alius, quam læsus. Nulla enim alia istius discriminis ratio afferri potest, quam quod vel ea ipsa Respub. in qua facinus admissum est, vel aliquod ejus membrum, vel rector ipse læsus est, & damnum aliquod ex delicto cepit, quod per pœnam sit compensandum: alii vero nullo pacto sunt læsi, iisque nulla debetur compensatio. Rata enim merito esse debet remissio ejus, cui compensatio debetur, aliorum haudquaquam; eodem etiam modo solutio illi præstita liberare debitorem jure potest, non ea, quæ aliis, ipso nullo pacto jubente aut consentiente, facta est.

Quod de præmio subjungit Grotius Partic. 34; id nullam adversus nos vim habet, qui ex simplici debendi voce proprie dictum pœnæ creditorem non colligimus, ut nec istic præmii debitorem. Interim tamen, ut ex eo, quod pœna deberi dicitur, jure colligitur aliquis saltem pœnæ creditor: ita etiam ex eo, quod præmium alicui deberi dicatur, aliquis colligitur præmii debitor; & si quidem id cuiusdam vere debetur, adeo ut iniquum sit, id ei non persolvi, necesse est verum quoque extare debitorem: si vero improprie debetur, ut Grotius videtur velle, etiam improprie dictus erit debitor, quisquis ille tandem sit, sive persona aliqua certa, sive communitas aliqua.

Sed adhuc quædam habet Grotius Partic. 35, quibus probet, nullum certum extare pœnæ creditorem, sed bonum publicum fungi vice creditoris, inquit: *Atque hinc evenit, quod cum in causis aliis iudex inter duas partes cognoscat, in causis criminum saepe reus appareat, actor non appareat: quia ordo ipse*

* D. Reg. Jur. lib. 60. & 152.

seu bonum publicum quasi actoris loco est : quod & Scriptura videtur innuere, cum dicit peccatum clamare contra peccatorem. Et ubi quis agit ad pœnam, agit aut ut quilibet (quemadmodum iis in locis ubi accusationes promiscue omnibus patent) aut ut à lege ad hoc ordinatus : quod iis in locis contingit, qui publice constitutos accusatores habent : quorum utrumque certum est indicium, natura & re ipsa nullum hic esse definitum adversarium & pœnae quasi flagitatorem.

Sed hæ rationes non magis probant bonum publicum esse quasi actoris loco, quam ipsam Rempublicam, seu totius communitatis corpus. Deinde eæ non evincunt, nullum esse certum pœnæ creditorem, sed tantum, eum sæpe causam suam ipsummet non agere, sed magistratum vel sponte sua, nemine instigante, vel instigante alio, tanquam amico, aut à lege eum in finem constituto, causam ipsius suscipere ac tueri, & jus ipsi suum reddere, quod imprimis tum fieri potest, ubi nulla sit rei corporalis restitutio aut acceptio, ut in pœna corporali, de qua hic potissimum sermo est, contingit. Nihil autem prohibet, quominus quis magistratus ope, vel nemine instigante, vel instigante aliquo, jus suum consequatur; maxime vero tunc id fieri consentaneum est, si vel sola Respub. censeatur læsa, vel una cum privato Respub. vel denique privatus aliquis, qui accusare non audeat, potentiam adversariorum veritus. Decet enim rectorem, qui & Reipub. tutor, & juris privatorum assertor ac vindex esse debet, decet etiam amicos, aut eos, qui à lege sunt constituti accusatores, tum illius, tum hujus defensionem suscipere, & jus ejus persequi.

Quod vero interferit Partic. 36, *Scripturam, cum dicit: peccatum clamare contra peccatorem, videri innuere, bonum publicum quasi actoris loco esse; id vix refutari meretur.* Peccatum enim ipsum potius actori comparatur, & fieri potest, ut contra bonum publicum clamet, si omnes gravissime peccarint. Potest autem ideo dici clamare ad Deum contra peccatores, quia ostendat, non amplius Deo ferendos esse eos, qui peccata ejusmodi designent, quæcunque tandem hujus rei sit causa. Quod si ex hujusmodi loquendi modis quicquam firmiter concludi potest, nos facilius probabimus, læsos actorum partes suscipere, & vindictam jure quodam suo repetere, præsertim ubi decretum de pœna infligenda, aut comminatio divina, quæ relaxari vel non possit, vel non debeat ideo, quia nulla sit relaxandi causa, intercessit. Hinc enim animæ propter sermonem Dei occisorum dicuntur ad Deum clamare Apoc. 6. 10: *Quoniamque, here sancte & verax, non judicas & vindicas sanguinem nostrum ab iis, qui habitant super terram?* Ubi cum Deum veracem appellent, indicari videtur, decretum ejus atque effatum, de istiusmodi hominibus puniendis intervenisse, adeo ut veritas Dei, cum nulla relaxandi sit causa, pœnam exigere suadeat. Quia vero ea comminatio pœnam iis proponebat, qui sanctos occidissent, ideo sanctorum interesse videbatur pœnem illam repeti. Unde infra cap. 18 vers. 20, cum de pœna Babylonis agitur, jubet spiritus divinus lætari cœlos, & Sanctos Apostolos & Prophetas, quia, inquit, *judicavit Deus judicium vestrum de ipsa : quasi dicat, vestras injurias ultus est.*

Vide etiam vers. 5 & 6 ejusdem capitis, ubi cum dictum esset, peccata hujus urbis consequuta usque ad cœlum; ipsi pii jubentur illi reddere, quemadmodum ipsa iis reddidisset; nempe quia illorum causa id Deus sit factururus, licet per alios. Confer cap. præced. v. 16, 17. Simili quapiam ratione, quamvis nullo Dei, de quo nobis constet, decreto, aut comminatione antegressa, dicitur sanguis Abelis clamasse ad Deum Genes. 4. 10, nempe contra fratricidam. Sed quid improprias locutiones sectamur? cum videamus tum in Psalmis, tum alibi in Sacris Literis Veteris Fœderis. Deum rogari ab oppressis, & injuria gravi affectis, ut vindictam de ipsorum hostibus summat. Vide inter alia Psal. 69 & 79. & 94. & 137-7, 8, 9. Jerem. 17. 18. xx. 12. Nempe quia natura hortante læsi vindictam appetunt, cujus cupiditatem Deus sub Veteri Fœdere, præsertim adversus hostes seu extraneos, non prohibuerat, & ne adversus Israëlitam quidem, nisi certa quadam ratione: de qua re nunc non est differendi locus. Etsi autem, ut supra diximus, omnium hominum, ac imprimis populi divini, qui hæreditas ac peculium Dei dicitur, injuriæ ultimo in Deum redundant Deut. 32. 9. Psalm. 28. 9. xxxii. 12. lxxiv. 2. Exod. 19. 5, tamen cum ipsi naturaliter sint læsi, videntur tunc, cum Deus vindictæ cupiditatem non prohibuit Deuter. 32. 35, 36, jus quoddam habuisse, eam à Deo, qui suorum vindicem & assertorem se professus fuerat, postulandi, præsertim cum apertius aliquod de vindicta ista sumenda ipsius exstitit pronunciatum. Jus enim quoddam ea comminatione, quæ illorum respectu promissi cujusdam vim habere videbatur, illis acquisitum censeretur poterat ad pœnam repetendam. Sed nos, quibus vindictæ cupiditate interdictum est, ejusmodi Dei comminationes pro nobis contra hostes allegare nec possumus, nec debemus, sed potius Christi tum præcepto, tum exemplo Matth. 5. 44. Luc. 23. 34. Actor. 7. ult. 1 Cor. 4. 12, 13, quod alii etiam ipsius servi sequuti sunt, admoniti, pro iis orare, Deo interim non tam intentione, quam vi hujus nostri facti, quod nosmetipsos vindicare nolumus, ut Christus fecit 1 Petr. 2. 23. Rom. 12. 17, 19, totius rei arbitrium ac judicium permittentes, qui, nobis etiam contrarium expetentibus, injurias nostras, vel potius suas, ulcisci potest.

Partic. 37. Quod attinet ad voces *ἀφίεναι & χαρίζεσθαι*, seu remittendi & condonandi, quibus in hoc negotio Sacræ Literæ utuntur, de quibus in sequentibus differit Grotius; quænam eorum hac in parte vis sit, dicitur cap. 6. Neque enim nos ex illis concludere solemus, quale fuerit Dei jus ad pœnam de nobis summandam, sed, quonam pacto Deus de jure illo, qualecunque tandem fuerit, cesserit, & qua ratione nos à debito reatuve nostro liberaverit. Modus enim liberationis à debito reatuve nostro istis verbis exprimitur, & is quidem ejusmodi, qui satisfactionem prorsus excludat. Interim tamen ita licet argumentari contra Grotium: siquidem voces istæ de Deo in hoc negotio usurpatæ arguunt, ipsum jus habuisse ad pœnam infligendam; vel jus illud fuit Dei proprium, quod ipsi primo non aliena quadam concessione competeret; vel alienum, seu aliena concessione ac nomine ipsi conveniens, quale est magi-

magistratum, qui muneris tantum sui ratione jus istud habent, munus autem totum ad alienam utilitatem spectat, non ad propriam. Non posterius, ut omnes animadvertunt: ergo prius. Id autem jus illud est, quod volumus, seu jus dominii.

Quæ vero Grotius hac occasione asserit sententiæ nostræ adversa, ea in superioribus jam sunt discussa. Quare ea non examinamus.

Istud obiter notari potest, quod sub finem capituli ait Grotius Partic. 38, quod per catachresin dicamur poenam debere etiam accusatori, ut diabolo; si quidem id de Sacris Literis intelligat Apoc. 12. 10. quæ ita loquantur, id nuspiam apparet. Dicitur quidem diabolus accusator fratrum nostrorum: sed quod ei poena debeat, nuspiam affirmatur. Potest autem quis in aliena causa quempiam deferre; potest etiam ex invidia tantum ac per calumniam, à qua diabolus nomen habet, accusare; quo tempore ei poena nullo modo debetur. Adde quod ista diaboli accusatio in facto potius consistat, quam in verbis: deo enim vel solum, vel potissimum accusare fratres nostros, aut Dei servos, dicitur, quia non secus atque accusator, eorum perniciem moliatur, & id agat unice, ut eos vincat, & sic efficiat, ut à Deo puniantur. Contrario modo, quanquam in suo genere ampliori ac magis illustri, Christus Advocatus noster esse, ac pro nobis interpellare dicitur. Inspiciantur loci illius, ubi diabolus accusator fratrum nostrorum dicitur, circumstantiæ, quas expendens Ribera, licet accusationem etiam proprie dictam appellatione ista velit comprehendere, ita scribere coactus est: *At quid ad rem præsentem attinet nomen accusatoris, & quod statim ait: Qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri? Sensus est: Quia victus & projectus est ille, qui fratres nostros saepe vincebat, & ad peccata adducebat, de quibus eos postea semper apud Deum accusabat.* Isti autem accusationi, quam Ribera vult victoriæ isti succedere, ex adverso respondet in Christo, qui Rex ac iudex à Deo constitutus est, nostri à peccatorum poenis absolutio, quæ quia primo ex Dei, jure suo cedentis, benignitate pendet, cujus dispensationem Christo commisit; ideo Christus eam nobis præstans, cum proprie Rex ac iudex sit, improprie advocatus appellatur, & pro nobis interpellare dicitur, non secus ac si alienam nobis benignitatem impetraret, cujus reipsa exhibendæ plenissimam habet potestatem. Sed hac de re cap. 10 differendi erit locus.

RESPONSIO

Ad Caput III. quod inscripsit Grotius:

Qualis sit Dei actus in hoc negotio, & ostenditur esse legis relaxationem, sive dispensationem.

Primum ergo sic scribit Grotius Partic. I: *Cum Deus hic, quemadmodum probaverit, sit spectan-*

das ut rector, sequi, actum hunc esse actum jurisdictionis generaliter dicta. Unde sequatur, non agi hic de acceptilatione, ut putet Socinus; cum ea non sit actus jurisdictionis.

Triplicem Dei actum hic spectandum esse, initio superioris capituli monuimus: remissionem peccatorum; sanctionis divinæ, quæ poenam æternæ mortis peccantibus, nulla fidei aut resipiscentiæ habita ratione, comminabatur, relaxationem, ut vult Grotius, vel potius abrogationem quandam; denique traditionem Christi in mortem. Quæ tria veluti unum quendam actum considerat Grotius, ratione tantum in plures distinctum: cum tamen primus atque ultimus reipsa distincti sint, licet hic ad illum, tanquam medium ad finem suum, referatur. Quomodo autem in unoquoque horum actuum Deus sit spectandus, eo, quem diximus, loco explicuimus. Non ostendit autem Grotius, Deum in eo actu, qui in hoc negotio est præcipuus, & cæterorum duorum finis, h. e. in peccatorum nostrorum remissione, spectandum esse ut Rectorem. Nos vero docuimus, eum considerandum esse ut partem offensam prorsus liberam, ac nullius potestati subiectam, quam poenæ creditorem esse vidimus. Itaque si Grotius, ut quidem apparet, per Jurisdictionem generaliter dictam intelligit potestatem regendi alios, & ea omnia administrandi quæ ad gubernationem propriæ pertinent; negamus remissionem peccatorum nostrorum esse jurisdictionis illius actum seu effectum. Relaxationem aut abrogationem legis, quæ cum remissione peccatorum concurrit, ejus actum fuisse non negamus. Sed si jurisdictionem magis propriè sumas, pro potestate judicandi, & sententiam ferendi, tum exsequutioni mandandi, vel contra etiam mitigandi aut penitus remittendi, (nam huc quoque jurisdictio extendenda est, si remissio peccatorum ad eam revocari debeat,) fatemur remissionem peccatorum ejus esse actum. Verum ea jurisdictio non est natura sua rectorum tantum propria, quemadmodum nec remissio, sed omnibus iis competit, qui nullius sunt potestati subiecti, & sic liberrimum habent de jure suo statuendi arbitrium, præsertim si simul vires habeant & facultatem sententiam latam exsequendi. Ostensum * est cap. 2 eatenus iis, qui rectores non sunt, vel saltem non considerantur ut rectores, jurisdictionem illam competere, quatenus de proprio ipsorum jure agitur; cum rectorum qua talium sit potius de alieno jure agere, nisi forte eorum, quibus præsent, sint domini, quibus dum jus dicunt, simul etiam agunt de suo. Rectoris enim potestas, ut ipse Grotius indicavit, est in alios & aliena, & dominio, quod habemus in nos nostraque, eatenus opponitur. Itaque quo liberior est jurisdictio, & quanto plus judicanti licet de jure illo, de quo sententia ferenda est, pro suo arbitrio, non aliena concessione remittere, tanto minus ea est regiminis propria: quia libertas ista dominii est, & jus illud ipsius judicantis esse proprium arguit. Ea vero libertas in nostro negotio manifeste conspicitur, quandoquidem Deus pro suo arbitrio, non aliena concessione, peccata nobis remisit, & toti hominum generi

* Vid. partic. 2.

hanc tantam benignitatem obtulit. Quare jurisdictio ea, quæ in hoc actu distincte considerato spectanda est, non est ea, quæ regiminis est propria. Neque vero est, quod objicias, jurisdictionem illam generaliter, ut Grotius loquitur, dictam, esse verum genus jurisdictionis, hujus, quæ magis proprie sic appellatur; ac proinde cum illa Rectorum, qua talium, sit propria, hanc quoque esse illorum propriam. Non enim jurisdictio illa hujus generis est, sed ad eam se habet ut totum ad partem, quæ natura aut genere suo possit etiam extra totum illud consistere; quo pacto se habet homo ad caput aut pedes, aut quo pacto, ut in eodem rerum genere maneamus, jurisdictio illa, quam Grotius intelligit, sese habet ad potestatem de jure aliquo remittendi. Nam potestas de jure cedendi aut remittendi non tantum rectoribus competit, ac jurisdictionem istam laxius sumptam habentibus, sed & privatis, ut dominis aut creditoribus. Quemadmodum autem partes alicujus totius, licet genere eadem sint cum aliis, extra illud totum existentibus, tamen aliquid solent habere peculiare, quo à cæteris ejusdem generis distinguantur, ac toti suo, quod constituunt, accommodantur, & ut Scholæ loquuntur, appropriantur: quo modo caput & pedes hominis aliquid habent ab aliis ejusdem generis capitibus aut pedibus diversum, & naturæ humanæ accommodatum: ita & jurisdictio illa strictius ac magis proprie sumpta, quatenus jurisdictionis laxioris pars est, habet quippiam peculiare, quo distinguitur ab ea, quam domini aut creditores liberi ac nullius potestati subjecti habent. Nempe quod Rectores, quarum prior est propria, de alieno jure sententiam ferant, aut aliena concessione de eo remittant; hi contra de suo agant, de quo pro arbitrio ac voluntate sua remittunt. Hujus autem posterioris generis jurisdictionem illam esse, cujus actus est peccatorum nostrorum remissio, paulo ante vidimus.

Videre jam potest Grotius, etiam si Socinus dixisset, agi hic de acceptilatione, seu actum hunc Dei esse acceptilationem, eam tamen sententiam isto, quo hic utitur, argumento, utpote invalido, non everti. Sed unde constat Grotio, ita sentire Socinum? quod idem de ipso affirmat inf. cap. 6, nec scripsit id Socinus usquam, nec cogitavit: sed tantum alicubi reprehendens doctos quosdam viros, * (in margine autem libri sui Bezam notat,) qui vocem Imputandi apud Paulum exponentes, dicant, id nobis acceptum ferri, quod non ipsi exsolvimus, sed alius pro nobis, ostendit, illos non recte loquutos: siquidem actus, quo quippiam acceptum fertur alteri, qui acceptilatio dicitur, sit per sola verba obligationis liberatio, ita ut acceptum non possit ferri illud, quod revera solutum est. Quod si ob hæc verba (alia enim non reperio) Socinum & hic & infra reprehendit Grotius, ipsemet cernere jam potest, vel Socini verba se non considerasse, vel inique reprehendisse.

Quæ postea subjicit Partic. 2, de diversa consideratione divini hujus actus, *qui spectari queat, aut cum relatione ad divinam sanctionem, seu, ut recentiores Jurisconsulti loquantur, legem poenalem, vel citra eam*

* Lib. 4. c. 2.

relationem: & quod etiam si Lex nulla poenam expressisset, naturaliter tamen ipse actus humanus, sive intrinsecam habens pravitatem ex rei natura immutabili, sive etiam extrinsecam ob contrarium Dei præceptum, eo ipso poenam aliquam, & quidem gravem, fuerit meritus; h. e. par fuerit hominem peccatorem puniri; Ea nos libenter agnoscimus; modo recte intelligatur, primum, quatenus pravitas actus humani poenam mereatur, qua de re diximus cap. superiori Partic. 22; deinde, qua ratione par fuerit, hominem peccatorem puniri. Hæc enim posteriora verba sunt ambigua. Nam vel ita sumuntur, ac si dictum esset, æquitatem ipsam requisivisse, ut homo peccator puniretur; quo pacto ea non sunt in universum admittenda. Id enim verum est de certis tantum peccatis, de quibus vindicandis decretum aliquod Dei extat: vel hoc pacto intelliguntur, hominem peccatorem jure puniri, eumque fuisse poena dignum, & ut inferius hoc cap. loquitur Grotius, punibilem; adde etiam, causam fuisse aliquam, pro delicti ratione nunc majorem nunc minorem, quæ Deum ad puniendum moveret, licet non necessario, sed ita, ut Deus salva æquitate posset nihilominus poenam remittere; quemadmodum etiam dicere posses, par esse à debitore solvi debitum, aut creditorem id ab ipso repetere. Hoc autem posteriori sensu verba illa concedimus. Quod ideo monemus, ne quis arbitretur, vel simpliciter, ut multi volunt, vel aliquo saltem modo, ut velle videtur Grotius, æquitatem ac justitiam Dei requisivisse, ut etiam resipiscientium peccata, si non illis ipsis, saltem in aliquo alio vindicarentur ac punirentur.

Quod vero subjicit Partic. 3: *Actum Dei, de quo agamus, fuisse punitionem unius ad impunitatem alteri consequendam, de cujus actus justitia mox sit acturus; Id nos, ut cap. 1. patuit, merito negamus, & injustum futurum fuisse, cap. seqq. Deo dante, demonstrabimus. Afflictio tantum hic fuit unius, nempe Christi, ad impunitatem omnibus hominibus parandam, & afflictio quidem ad truculentam & ignominiosam admodum mortem progressa.*

Cum porro scribit Partic. 4: *Si respiciamus sanctionem sive legem poenalem, erit actus ipse via ad indulgentiam seu temperamentum ejusdem legis, quam indulgentiam hodie dispensationem vocamus: qua definiri potest, actus superioris, quo legis manentis obligatio circa quasdam personas aut res tollitur: Primo considerandum est, an & quatenus sanctio talis exstiterit, quæ peccatoribus omnibus, nulla resipiscentiæ aut fidei habita ratione, poenam æternæ mortis minaretur, (talem enim sanctionem, ut mox patebit, intelligit Grotius;) deinde an ea, quæ extitit, relaxata tantum fuerit, an vero etiam alius aliquis actus potior, nempe abrogatio quædam, accesserit. Cujus inquisitionis in hac disputatione nostra utilitas apparebit inprimis cap. 5, attingetur tamen à nobis sub finem hujus ipsius tractationis; quanquam & alium in sacra Theologia usum habet.*

De priori hujus quæstionis capite ita scribit Grotius Partic. 5: *Sanctio hac est: Homo comedens de vetita arbore omnino morietur Genes. 2. 17. Ubi per unam speciem peccati omne peccati genus indicatur, ut exprimit Lex eadem clarius repetita, Maledictus qui non manserit*

manferit in omnibus præceptis legis Deut. 27. 26. Gal. 3. 10. *Mortis autem & maledicti voce his locis intelligimus præcipue mortem æternam. Perinde ergo se res habet, quasi in hunc modum Lex esset concepta: Omnis homo peccans pœnam ferat mortis æternæ.*

Hic primo fatemur, mystico sensu, ad quem Sacrae Literæ Novi Fœderis solent respicere, in locis à Grotio citatis, mortis & maledictionis nomine mortem æternam significari: sensu literali seu historico non item. Id enim de mortis nomine nos docuimus cap. 1. Partic. 67, de maledictionis voce ostendit Grotius inf. cap. 10, ubi ait: pœnam, maledictionis nomine in verbis istis legis significatam, juxta carnalem, ut ipse loquitur, sensum fuisse mortem violentam, idque ex contrario, nempe vita, legem implenti promissa, probat. Deinde licet, ut infra patebit, salva nostra de Christi morte sententia concedi queat, talem sanctionem, qualem urget Grotius, ab ipso etiam mundi origine extitisse: tamen quod ad priorem locum à Grotio citatum attinet, probandum ipsi est, cum sive literali, sive mystico sensu acceptum, ad omnes in universum, qui peccaverint, pertinere, & cum illa legis sanctione, quam ex Deuter. 27 & Galat. 3 citat, eandem revera sententiam continere, ac perinde esse accipiendum, ac si dictum foret: Omnis homo peccans pœnam ferat mortis æternæ. Nam nec verba loci id arguunt, nec Sacrae Literæ uspiam docent, nec res ipsa evincit, imo etiam dissuadet, ut mox apparebit: nec recte Grotius, causæ suæ servire volens, ita ejus loci verba concepit, ac si dixisset Deus: *Homo comedens de vetita arbore omnino morietur*; ut postea vocem Hominis indefinitam tanto commodius ad omnes homines posset trahere: cum tamen verba Dei ad ipsum Adam, cum quo, ut Paulus quoque fere in hac materia facit (Vid. Rom. 5. 12. 15. & seqq. 1 Cor. 15. 22. Conf. 1 Tim. 2. 14. vid. Gen. 3. 3. Confer cum c. 2. 17) Eva est computanda, directa fuerint hoc pacto: *In die quo comederis ex ea (arbore) moriendo morieris*, d. l. Genes. 2. 17. vide etiam cap. 3. 11. Ac ne Grotius illa Dei verba ad omnes in universum homines traheret, ipsa peccati illius, cujus pœna in iis constituitur, ratio monere poterat. Nam primum nihil constat, omnes homines de arbore ista comedendi occasionem habituros fuisse, ita ut illis ea re sub comminatione pœnæ esset interdendum Gen. 1. 28, præsertim per generationem multiplicatis, atque in omnes terræ partes dispersis, ubi Deum alias arbores isti similes plantasse aut plantaturum fuisse nil constat. Deinde nihil prohibet, quominus Deus postea ipsis etiam primis parentibus arboris ejus usum permitteret; cum in ea re per se ac natura sua nihil esset mali, sed boni potius aliquid, ut ex naturali ejus effectu constat; imo id aliquando futurum fuisse admodum est probabile. Quod vero Grotius ait, per unam peccati speciem omne peccati genus indicari; si id vult, speciem pro genere esse positam, & sic peccato indefinite sumpto, non vero definite huic ipsi peccati speciei pœnam mortis in illis verbis constitutam; id manifeste falsum est. Sin vero id tantum vult, una cum hac ipsa peccati specie, quæ nominatim ac definite sit intelligenda, esse tacite comprehendendas alias omnes peccati species, quibus eandem pœnam con-

stitutam esse intelligi debeat; primum id non evertit argumentum illud nostrum; cum nihilominus necesse sit, eos omnes, ad quos hæc comminatio per se ac directe pertinet, (pertineret autem directe ac per se ad omnes, si ea pro universali sanctione foret habenda) etiam istius peccati, cui nominatim pœna est proposita, committendi occasionem habere. Deinde non debet Grotius facile pro concessio sumere, Deum vi hujus comminationis eandem protinus pœnam ob quodvis delictum, præsertim expresse non prohibitum, homini fuisse inflicturum. Nam causæ aliquæ potuerunt esse non exigui momenti, cur Deus huic delicti speciei pœnam hanc constitueret, quæ cum vel in hoc uno tantum, vel certe non in omnibus aliis delictorum generibus locum habeant, non est mirandum, si non eadem protinus pœna iis omnibus sit constituta, quæ illi uni. Primo enim ideo huic delicto pœnam hanc figere poterat Deus, quia ab eo abstinere admodum erat facile, & sic major quidam, quam in aliis peccatis, à quibus difficilius esset sibi cavere, in eo erat appariturus divini imperii contemptus, qui longe foret maximus, si vera esset vulgaris aliorum sententia, de admirabili quadam primorum parentum ac proprie divina ante lapsum sapientia & justitia, qua factum fuerit, ut intellectus quidem Deum ejusque voluntatem, & quicquid est celestium mysteriorum, quæ ad hominem aliquo modo possent pertinere, perfecte cognitum haberet, voluntas autem cum intellectu penitus conspiraret, denique utrique sine lucta sese subiceret appetitus. Nam si ita se res habuit, delictum istiusmodi ipsorum respectu vel prorsus fuit impossibile, vel admirabilem quandam in illis improbitatem ac malitiam derepente necesse fuit existere, & nescio quam animi perversitatem, ac majestatis divinæ, quam perfecte noverant, contemptum, suppliciis omnium atrocissimis dignissimum. Deinde eam ob causam pœnam illam huic uni delicto potuit proponere, quia præceptum hoc de vitando arboris illius usu primum erat, quo primorum parentum nostrorum obedientiam explorare, & ipsorum erga se pietatis experimentum capere volebat: quæ ratio in aliis delictis locum habitura non erat. Quapropter cum alias notum sit, ea, (a) quæ ad pœnas spectant, benignius esse accipienda, & sanctionum supplicia delictis constituentium severitatem non augendam & exasperandam esse, sed potius minuendam ac mitigandam, nisi de legislatoris voluntate aliunde aperte constet; non est vox Dei tam severa, quæ ob unum peccati actum pœnam æternæ mortis comminabatur, ad alia omnia peccatorum genera, singulosque eorum actus, ab eodem licet homine, cui Lex illa fuerat lata, commissos trahenda; non est etiam ad omnes prorsus homines continuo extendenda; cum jura quoque doceant, (b) constitutiones quasdam Principum plane personales esse, nec ad exemplum trahi, in quo censu pœnales quoque collocantur, quæ nonnunquam personam non egrediantur. Deinde etiam si par esset hujus & aliorum delictorum ratio, ita ut ex hac divina comminatione recte concludi posset, Deum eandem pœnam hominibus ob quodvis aliud delictum fuisse inflicturum; non tamen

(a) Reg. Jur. l. 17. (b) D. l. 1, tit. 4. de constit. Princ. l. 1.

sequeretur, id ipsum à Deo hujus comminationis verbis fuisse comprehensum ac constitutum. Sæpe enim fieri potest, ut vel ex lege aliqua speciali, vel ex sententia, à iudice in certa aliqua causa lata, ad similem casum recte progrediamur, & idem de illo statuendum esse, argumento à pari ducto concludamus, etiamsi nec legislator, nec iudex ille casum istum, vel etiam totum istud rerum aut delictorum genus, de quo nos agimus, verbis suis fuerit complexus, & sive id illi in mentem veniret, sive minus, ad id in illis non respexerit, propterea quod id ad ipsius propositum tum temporis nihil faceret. Quapropter nulla erat causa, cur Grotius sanctionem illam Dei, Adamo specialiter in certo delicti genere propositum, ad omnes homines omniaque delicta extenderet. Imo si quis ea diligentius consideret, quæ Paulus in posteriore parte cap. 5. Rom. disputat, deprehendet, ante Legem Mosaicam nullam extitisse sanctionem Dei generalem, qua cuiusvis peccanti mortis æternæ poena proponeretur, & hanc, qua de nunc agimus, comminationem, mystice licet acceptam, fuisse per se ac natura sua plane specialem. Nam alias Paulus affirmare nequaquam potuisset, omnium hominum damnationem, vel ante, vel extra Legem Mosaicam viventium, vel etiam ea Lege animo interim semota, ex uno Adami delicto fluxisse; cum eos ipsos peccasse, & eatenus, quatenus peccaverint, mortem in eos omnes transisse, expresse antea dixisset. Etenim si generalis ejusmodi ab ipso mundi initio extitisset sanctio, quæ omnes homines peccantes morti æternæ addiceret; jam ii, qui peccaverant, per se, nulla prorsus habita ratione delicti ab Adamo commissi, condemnationi fuissent subiecti, eandemque poenam vi sanctionis istius divinæ subire debuissent, id quod assertioni Paulinæ prorsus adversatur. Nec est, quod quis dicat, non debere id, quod Paulus simpliciter asserere videtur, simpliciter accipi: quandoquidem condemnatio hominum, ex ipsa comminatione divina, ante delictum extante, argumentatione à paribus ducta, derivari jure potuerit, cujus tamen comminationis nullam prorsus mentionem faciat Apostolus. Nam primum Paulus comminationem illam, quia plane personalis erat, & ad illam unam peccati speciem, qua Adamus peccarat, restricta, eam delicti aut transgressionis Adami mentione tacite comprehendit, quemadmodum & iudicium transgressionem consequutum. Nam delicti nomine brevitatis ac concinnitatis cujusdam causa, tum antecedentia illius, tum consequentia, unde illud vim aliquam, vel ad Adamum, vel ad alios homines morti subijciendos habebat, complexus est: quemadmodum ipsius Adami nomine Evam, ut supra diximus, comprehendit, ut eum cum Christo tanto elegantius conferret, & unum hominem uni opponeret. At non eodem modo potuisset Paulus comminationem illam delicti istius nomine comprehendere, & nullam expressam illius mentionem facere, si ea ad omnes homines omniaque eorum delicta directe pertinerent. Deinde non est concedendum, omnium hominum condemnationem, de qua Paulo sermo est, ex ista Dei comminatione Adamo proposita, à paribus ducto argumento, satis firmiter & evidenter deduci posse. Quod

ipsemet Paulus aperte indicat *vs.* 13, 14, propterea quod Adamus expressum Dei mandatum, cui comminatio illa fuit adjuncta, transgressus fuerat, cæteri, ii præsertim, qui ante Legem Mosaicam vixerant, non item. Atque hinc Paulus non obscure colligit, aliam aliquam subfuisse causam, ob quam omnibus Adami posteris, licet non eodem modo cum parente suo peccantibus, idem tamen supplicium fuerit irrogatum, idque ait fuisse ipsum Adami delictum seu transgressionem. Poterat enim Deus cum posteris Adami peccantibus severius agere ob parentis delictum, quam alias fortasse acturus erat, & eandem illis poenam infligere, licet non eodem plane modo, aut ratione pari peccassent; cum alias natura sua injustum non esset, eam ipsis poenam propter ipsorum delicta irrogare, utpote naturali ipsorum conditioni admodum consentaneam. Etiam si enim Deus ob parentum delicta nunquam puniat liberos vel citra vel ultra eorum ipsorum meritum: interdum tamen ob parentum delicta severius committitur poena à posteris exigat, quam alias vel non fuisset exacturus, vel mitigaturus. Qua de re agitur cap. seqq. Taceo jam, potuisse mortem æternam, etiam citra peccatum ipsorum Adami posterorum, in illos ex parentis sui delicto, seu ejus delicti occasione, transire; cum ad eam rem nihil aliud esset opus, quam naturalem eorum conditionem non mutari: id quod & absque ipsorum, mentio & citra poenæ rationem, præsertim quod ad ipsos posteros attinet, fieri poterat. Qua de re Socinus dixit*, & nos nonnihil cap. 1. partic. 65.

Quod ad alterum locum attinet, quem ita citat Grotius: *Maledictus qui non manserit in omnibus præceptis legis*; primum ex iis, quæ hucusque dicta sunt, satis constare potest, hanc sanctionem non esse eandem cum illa Dei comminatione Adamo proposita Genes. 2. Deinde etsi verba illa ob similitudinem quandam & analogiam, tum ratione culpæ, tum ratione poenæ in iis expressæ, ad eos quoque accommodari possunt, qui sub Lege non vixerunt, & sic ad universos homines extendi; præsertim postquam illis hæc legis vox, illiusve sententia aliquo pacto innotuit, ut paulo post declarabimus: tamen, si textus consulatur, ipsamet verba satis indicant, ea ad Judæos solos, qui sub Lege Mosaica vixerunt, revera pertinere, etiam eatenus, quatenus mystice sumuntur. Nam in textu non simpliciter *Legis*, ut habet Grotius, fit mentio, ut possit quis quamcunque Dei Legem, etiam naturæ tantum hic intelligere, sed *Legis hujus*; quæ particula *hujus* Legi addita, eam ad Mosaicam restringit; quod adhuc clarius effert Paulus, dum verba illa Moysi quodammodo explicans, ita ea citat Gal. 3. 10: *Maledictus omnis qui non permanet in omnibus quæ Scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea*; licet Apostolus eo loco mysticum verborum istorum sensum sequatur. At quis nescit, Legem istam, cujus in illis verbis fit mentio, solis Judæis revera latam esse, secundo peregriinis inter ipsos habitantibus? Quod si alii aliqui eam postmodum receperunt, id ex eventu, non ex Dei Legem illam ferentis intentione factum est, licet id alioquin ipsi esset gratum. Neminem enim is ad gentes misit, eos hortatum, ut eam Legem reciperent, ut Euan-

* Soc. l. 4. c. 6.

gelio factum est. Quemadmodum ex Historia S. & non paucis Scripturæ dictis est manifestum. Vid. inter alia Deut. 4. 6, 8. Psal. 147. 19, 20. Rom. 9. 4. Eph. 2. 12 : Ad eos nempe pertinuit Lex Mosaica, ad quos antiquum Fœdus. Hoc autem ad solos spectavit Israëlitas : quapropter etiam hæc legis sanctio, quæ fuit illius Fœderis quoddam veluti vinculum, quo homines, qui ad illud pertinebant, ad conditiones ejus omnes servandas aditringebantur, nec minus ad leges ceremoniales, quam ad morales. Ideo Paulus in ipso ad Gal. loco, de se sui que gentis hominibus peculiariter dicit, se per Christum ab execratione legis liberatos esse, de gentibus non item, quas ea in re à Judæis non abscore disjungit, ut alii quoque viri docti * observant. Ita enim ait : Christus nos redemit ab execratione legis, factus pro nobis execratio &c. Ut in gentes (h. e. gentibus) benedictio Abrahamæ contingeret (vel contingat) in Christo Jesu, ut promissionem spiritus acciperemus (vel accipiamus) per fidem. Vide annot. Beza ad yf. 14, ubi discrimen inter Israëlitas & Gentes manifeste constitutum asserit. Id vero non minus fit yf. 13. cum 14, collato. Ex quo apparet, non recte Grotium paulo post ista Apostoli verba yf. 13, ita citare, ac si ad omnes omnino fideles pertinerent : quod idem de altero quoque loco ibidem adducto Rom. 8. 1, 2 dici potest, licet verba ipsa per se sumpta ita late, ut vult Grotius, extendi queant. Nam Paulus ea extulit respectu eorum, qui sub Lege antea vixerant ut tum ex universo cap. 7, cum quo connectuntur, tum ex sequentibus ejusdem c. 8 verbis est manifestum. Sed præterea ex eo quoque colligi potest, illam Legis sanctionem, quæ mortis æternæ pœnam peccantibus constituit, non ad gentes, sed ad Judæos tantum, vere ac proprie pertinuisse, quod Paulus Rom. 2. 12, de justo Dei judicio, quod in omnes suo tempore sit exerciturus, agens dicat : quotquot sine Lege peccarunt, sine Lege etiam peribunt : & quotquot in Lege peccarunt, per Legem judicabuntur. Quod si enim vox illa Dei tam ad gentes quam ad Judæos vere ac proprie pertinet, cur non omnes, etiam gentes, per Legem illam damnabuntur ? Quis enim hujusmodi legis in iis, qui peccant, foret usus, si ejus vi tunc non damnarentur, cum abolendi justo Dei judicio dicuntur ?

Etiamsi autem proprie sanctio ista ad gentes non pertineat, tamen, ut antea monuimus, per analogiam quandam ad illas quoque accommodari potest, quemadmodum & Lex generatim sumpta, quatenus ea cum Lege naturæ consentit ; præsertim ab eo tempore, ex quo Legis proprie dictæ sententia reconditor, naturæ maxime consentanea, hominibus generatim omnibus innotuit, & ab iis conscientia vi compulsa, tanquam æquitati naturali conveniens, agnita est ; quod Evangelii tempore revera est factum. Id enim, ut doceat, omnes homines remissione peccatorum, quod beneficium est Evangelii maxime proprium, summopere indigere, vim sanctionis legalis, qua homines damnari merito potuerint, tanquam naturali æquitati, aut ipsius naturæ legi admodum consentaneam, urget, eamque simul explicat, & eo pacto ipsam naturæ Legem quodammodo excitat, &

* Calvinus.

vim ejus veram ostendit. Quo videtur respexisse Paulus Rom. 1. ult. Sunt enim Lex Mosis, præsertim si reconditum ejus sensum scietes, & ea omnia, quæ ex legislatoris potissimum voluntate pependunt, ideoque dogmata seu placita in Sac. Literis appellantur Ephes. 2. 15. Col. 2. 14, 20, removeas, & Lex naturæ inter se admodum similes & analogæ, eademque aliquo modo in se continent, licet altera clarius & distinctius, altera obscurius & confusius, itemque altera perfectius, altera imperfectius ; ita ut altera per alteram, obscurior nempe per clariorem, explicari recte possit. Nam ut Lex Mosaica tum præcepta complectitur, tum promissa & minas, seu præmia & pœnas, illa Legem observantibus proposita, has transgredientibus : ita & Lex naturæ eadem quodammodo habet. Siquidem & natura quædam præcipit, quædam prohibet ; ac spe quidem bona implet, & quædam conscientia voluptate perfundit recte agentes, metum ac terrorem incutit male agentibus ; ut præter experientiam docent plurima profanorum etiam scriptorum testimonia. Itaque cum ea omnia lege aliqua expressa, licet certo alicui populo lata, veluti evolvuntur, & tum præceptorum, tum præmiorum ac pœnarum natura distinctius explicatur, lex ista expressa cum naturæ lege quodammodo coalescit, & eadē fere cum illa esse videtur, eique nomen etiam suum largiri potest. Solent enim similia similibus, analogia analogis appellationem tribuere. Quod autem de lege generatim sumpta dicimus, id etiam de sanctione ista pœnali, in qua maxima legis vis consistit, quam ad homines pœnæ subjiendos habebat, intelligendum est. Unde, licet expressa illa Legis Mosaicæ sanctio sub N. Fœdere abrogata sit, ut paulo post videbimus : tamen quatenus ea cum naturæ sanctione, quam excitavit, evolvit, ac veluti animavit, coaluit, atque ita animis hominum ac conscientia insculpta est, hodie quoque durare videtur, & eos, qui peccant, æternæ mortis pœna dignos esse arguit ac convincit ; adeo ut remissio peccatorum eatenus relaxatio tantum quædam esse videatur. Quamquam etiamsi Lex Mosaica, aut ista, de qua loquimur, illius sanctio cum naturæ Lege non ita coalesceret : tamen nos pœna mortis æternæ, semota Dei benignitate in Evangelio nobis oblata, dignos esse, convincere posset. Nam quam pœnam Deus peccantibus semel fixit aut irrogavit, eandem posset etiam omnibus in perpetuum figere : cum necesse sit, eam natura sua justam esse & æquitati consentaneam, seu eos, qui peccant, pœnam hanc vere mereri, eaque per se dignos esse. Ac tali aliqua ratione affirmare videtur Paulus Legem esse potentiam peccati 1 Cor. 15. 56. Taceo quod ex voluntaria quoque hominis obligatione vim Lex habere queat hodie, quod fit, cum quis, abdicata Christi gratia, ei se sponte obstringit ac mancipat, qua de re vide Gal. 5. 2, 3, 4.

Sed ut ad alterum quæstionis propositæ caput accedamus ; ex dictis apparet, ne relaxatione quidem proprie dictæ sanctionis pœnalis, expresse à Deo propositæ, ad remissionem peccatorum opus fuisse respectu omnium, quibus remissio illa fuit oblata aut concessa. Cum nulla talis expressa fuerit sanctio, quæ omnes in universum peccantes, etiam Ethnicos,

mortis

mortis æternæ pœnæ subiceret. Qui autem sanctione aliqua non obligantur, eorum respectu illa non potest relaxari. Quod ad eos attinet, qui sanctione illa vere obligabantur, nempe Judæos; quatenus quidem remissio illis concessa pertinebat ad peccata, lege adhuc durante admissa, ætus hic relaxatio seu dispensatio vocari poterat, nisi alius circa eandem sanctionem actus potior &, ut ita dicam, validior cum eo concurrisset, qui rei denominationem largitur. A potiori enim, ut vulgo dicimus, fit denominatio. Ostendemus enim, in locum severissimæ illius sanctionis, de qua agimus, substitutam esse sub Evangelio aliam mitiorem: qui actus licet relaxatio dici queat, voce hac laxius sumpta: tamen quia hic relaxatio strictè sumitur à Grotio pro ea indulgentia, quæ dispensatio hodie vocatur, & tum ab abrogatione, tum à derogatione distinguitur; relaxationis nomen lenius est, quam ut vim & naturam hujus actus exprimat.

Grotius Partic. 6, ut obtineat, actum hunc esse relaxationem seu dispensationem, cæteros actus circa sanctionem istam versantes remove conatur. Removet enim legis exsequutionem, abrogationem, & interpretationem *regi interpretatur*. Sed in tota hac argumentatione bis peccavit: primum quod derogationem, quæ ab omnibus istis actibus distingui solet, omisit; deinde quod nullam attulit rationem firmam, qua probaret, abrogationem hic non esse.

Nam quod ad prius attinet, nota sunt Grotio verba Ulpiani (a): *Lex antrogatur, id est fertur: aut abrogatur, id est, prior lex tollitur: aut derogatur, id est, pars primæ tollitur: aut subrogatur, id est adjicitur aliquid primæ legi, aut obrogatur, id est, mutatur aliquid ex prima lege. Ut & illa alterius (b): Derogatur legi, aut abrogatur. Derogatur legi, cum pars detrahitur. Abrogatur legi, cum prorsus tollitur.* Atqui minimum derogationem hic agnoscere debebat Grotius. Nam primum eatenus detractum est aliquid sanctioni isti legali, quatenus magna parte præceptorum in libro Legis Scriptorum abrogata, simul factum est, ut non amplius ad omnia præcepta legis hujus, seu ad omnia quæ Scripta sunt in libro legis, obligentur ii, qui ante hac ista sanctione ad ea servanda obstringebantur. Sublata enim sunt ceremonialia omnia, quin & forensia, quæ omnium istorum præceptorum ambitu, quorum in sanctione illa fit mentio, comprehendi vidimus. Quare loco omnium, quedam tantum relicta sunt. Deinde cum sanctio ista velit, ut omnis, qui non servaverit omnia Legis præcepta, sit maledictus, seu mortis æternæ pœnam luat: Deus Novi Fœderis, quod æternum est, sanctione omnes eos excepit, qui in Christum credunt, ac resipiscunt, qui tamen alias ista legis sanctione omnino tenebantur, ut ipsemet Grotius docet. Quare cum Lex omnes qui peccaverint, morti æternæ velit esse subjectos: sanctio Evangelica vult, ut non omnes qui peccaverint, morti æternæ sint subjecti, sed ii demum qui non resipiscunt, aut in Christum non credunt; cæteri vero omnes ista obligatione Legis eximantur; possetque vi sanctionis Evangelicæ fieri, si ipsorum hominum voluntas ac pietas accederet, ut omnes in perpetuum, quotquot alias vi sanctionis

(a) Pragm. Ulp. Tit. de leg. & morib. (b) De verb. sign. l. 1. c. 2.

legalis ad mortis æternæ pœnam ferendam obstringebantur, obligatione ista liberarentur. Derogatum ergo est plurimum isti sanctioni per sanctionem Evangelicam, quo pacto vulgo dicitur, speciales leges derogare generalibus, & jura docent*: *In toto jure, generi per speciem derogari, & illud potissimum haberi quod ad speciem directum est.* Ponimus autem interea, sanctionem Evangelicam, qua ii, qui in Christum credunt, obligatione sanctionis legalis eximuntur, respectu hujus specialem censerì debere. Nam si latius pateat, quam ut specialis censerì debeat, id causæ Grotii tanto magis oberit, & potior adhuc validioremque derogatione actum accessisse ostendet. Quod si Grotius dicat, se id, quod derogationis nomine nunc complectimur, relaxationis voce comprehendisse, quia actus hic obrogatio fit: obrogatio autem omnis sit relaxatio seu dispensatio: ne de eo nunc quicquam dicamus, quod decuerit Jureconsultum, in materia suæ facultatis propria versantem, id alicubi exprimere & clarius explicare; negamus, hujusmodi derogationem, qualem hic esse ostendimus, relaxationem, cum ea pro dispensatione sumitur, rectè appellari. Nam relaxatio seu dispensatio superius est à Grotio definita, *actus superioris, quo legis manentis obligatio circa quasdam personas aut res tollitur.* Lex autem tum manere simpliciter & absolute dicitur, cum omnes ejus partes integræ inviolatæque manent, nec ulla illarum in perpetuum tollitur, sed ordinaria legis totius vis, quam ad obligandum habebat, porro durat, licet interea extra ordinem obligatio ejus circa quasdam personas aut res tollatur. Nam quod Grotius ait de quibusdam personis aut rebus, id ita est intelligendum, ut quicquid hic fit, possit dici extraordinarie fieri, non ordinarie. Talis dispensatio seu relaxatio hujus, de qua agimus, sanctionis, literalì sensu acceptæ, (quanquam de mystico idem dicere licet) fuit, cum David, qui vi illius ob adulterium & homicidium mortem ferre debebat, Dei benignitate fuit ab ea obligatione liberatus, manente interim vi ejusdem sanctionis ordinaria integra & inviolata, tum circa alios omnes præter Davidem Judæos, qui peccassent, aut peccaturi in posterum essent, tum circa ipsum etiam Davidem ratione aliorum delictorum, si quæ forte committeret. Tales sunt hodie dispensationes, cum iis, quibus jure canonico aut imperiali matrimonium contrahere inter se non licet, id tamen indulgetur ab iis, penes quos ejus rei est potestas, cum interea cæteri ea lege teneantur. Itaque dispensatio legem illam vix dici potest mutare, sed tantum effectum ejus velut ad momentum impedire. Mutari autem tum demum lex vere & absolute dicitur, cum ordinaria ejus vis vel in parte aliqua, vel in universum tollitur. Atqui nos ostendimus, & partem sanctionis illius, quatenus nimirum etiam ceremonialium & forensium legum transgressores maledictioni subiciebat, in perpetuum fuisse sublatam; & totum fidelium genus itidem in perpetuum ab ista obligatione exemptos esse sanctione alia; quam dispensationem tantum esse, Grotius nunquam arbitror, docebit. Quod vero ad obrogationem attinet; siquidem ea tam late extendatur, ut etiam sanctio-

* Reg. Jur. l. 80.

nem seu lationem Legis alicujus generalis, qua sanctionis prioris vis in perpetuum infirmetur, ambitu suo complectatur, ut hic erit faciendum, si Grotius velit, actum hunc, de quo agimus, obrogationem esse: negamus, omnem obrogationem esse relaxationem seu dispensationem. Longe enim patet latius, & derogationem etiam, imo & abrogationem, quæ per aliam legem, illi aliquo modo contrariam fit, in se complectitur. Nam obrogare, quod Græcis est ἀντιστρέφειν, est legis prioris infirmandæ causa aliam legem ferre, ut viri docti tradunt, Legis nomine etiam privilegiis certarum personarum propriis, & extra ordinem alicui concessis, qualia sunt ἀντιστροφῶν Aristoteli * dicta, comprehensis; quo pacto in quavis relaxatione obrogatio est, & Lex quædam specialis fertur. Verum ex leges, quæ feruntur ad priorem infirmandam, vel extra ordinem tantum ejus vim infringunt, vel ordinarie, idque vel in certa tantum parte, vel in toto. Si extraordinarie dispensatio est ac relaxatio; si ordinarie, derogatio est, cum pars legis tollitur, abrogatio, cum tota. Neque est, quod quis dicat, Ulpianum in verbis supra citatis affirmasse, obrogationem tum esse, cum *aliquid* ex prima Lege mutatur, non vero cum mutatur tota, aut etiam pars ejus penitus tollitur. Neque enim vox *aliquid* in ejus verbis ponitur ad totum aut partem aliquam insigniorem penitus ab obrogatione excludendam, quasi tum obrogatio esse definat, ubi alia Lege vel tota Lex prior, vel pars ejus aliqua in perpetuum tollitur: sed tantum significat, ad obrogationem sufficere, si *aliquid* tantum ex Lege, etiam extra ordinem mutetur; licet interim fieri queat, ut per eandem pars aliqua insignis, vel tota Lex prior in perpetuum tollatur, & invalida reddatur. Nam & ubi pars Legis tollitur in perpetuum, & ubi tota, *aliquid* etiam ex lege mutatur, licet non contra. Quod si tamen quis omnino contendat, vocem *aliquid*, tacite opponi parti legis, aut legi toti, ratione habitæ ordinariæ obligationis; ita ut obrogationem semper infra derogationem aut abrogationem necesse sit subsistere, adeoque nihil aliud esse oporteat præter relaxationem seu dispensationem; negamus actum hunc, de quo agimus, obrogationem ejusmodi esse.

Sed jam tempus est, ut videamus, num rationem aliquam attulerit Grotius Partic. 7, qua evinceret, actum hunc, de quo agimus, non esse abrogationem legis. Ita vero illud probare conatur. *Nam Lex abrogata vim nullam habet obligandi. At infideles adhuc obnoxii sunt eidem legi. Ideo scriptum est quod ira Dei manet in iis qui non crediderunt* Joh. 3. 36, & quod illos occupat ira Dei ad finem usque 1 Thess. 2. 16.

Sed mirum est, Grotium non animadvertisse, testimonia à se citata nequaquam ostendere, infideles esse adhuc obnoxios eidem Legi seu sanctioni pœnali, ante Evangelium extanti: sed tantum, eos obnoxios esse eidem pœnæ, quam sanctio ista mystico sensu accepta minabatur. Potest autem quispiam eidem pœnæ esse obnoxius, quam Lex aliqua minatur, nec tamen ei ipsi legi esse obnoxius: nempe quia non vi istius legis, sed vel ob ipsam rei æquitatem, vel vi alterius sanctionis ad pœnam illam fer-

endam obligetur. Atque utrumque horum in hoc negotio accidit, sed inprimis posterius. Nam ii, de quibus in locis adductis sermo est, vi sanctionis in Evangelio demum promulgatæ, quæ omnibus, qui in Christum non crediderint, æternam mortem seu damnationem minatur, iræ divinæ fuerunt obnoxii. Extat autem ea sanctio tum alibi Marc. 16. 16. Hebr. 4. Conf. c. 3. 2. v. 11, usque ad fin. cap. tum etiam inprimis in eo ipso Evangelii Joh. capite, unde prius testimonium citatum est, ubi cum dictum esset: *qui credit in ipsum (Dei filium) non judicatur*: additur: *qui vero non credit, jam judicatus est; quoniam non credidit in nomen unigeniti filii Dei*. Vide etiam seqq. & 1 Joh. 5. 12. Confer cum v. 10, 11: quanquam hæc ipsa etiam verba ex c. 3. Joh. à Grotio citata, sanctionem illam continent, & illos iræ divinæ subjiciunt, qui filio Dei non crediderint, aut non paruerint; de quibus loquitur alterum quoque testimonium ab eo citatum 1 Thess. 2, ut locus inspectus unumquemque docebit. Quapropter pone, nullam extitisse sanctionem pœnalem ante Evangelium, nihilominus tamen ii, de quibus sermo est, vi sanctionis Evangelicæ pœnæ mortis æternæ subjicientur. Imo cum in utroque loco, iræ istius divinæ, cui homines illi, de quibus sermo est, sint aut fuerint obnoxii, causa constituitur ἀπειθεῖν seu incredulitas, vel, si mavis, contumacia in Dei filium, aut utriusque effecta: statuendum est potius, id non vi sanctionis in Lege Mosaica extantis, qualis est illa: *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis*, revera factum esse, sed vi sanctionis Evangelicæ. Evangelium enim fidem in Dei filium urget, non Lex, quæ ideo dicitur non esse ex fide Galat. 3. 12.

Sed quantum conjectura possum assequi, in eo robur aliquod argumenti sui collocat Grotius, quod in priori loco dicatur, iram Dei non *venire* super eos, qui non credunt, aut non parent Dei filio, sed super ipsos *manere*. Hoc enim verbo, ut videtur, indicari putavit Grotius, quod alii quoque ante ipsum sunt arbitrati, homines illos, de quibus sermo est, etiam ante suam in Dei filium ἀπειθειν, isti Dei iræ fuisse obnoxios, & quidem vi sanctionis alicujus ante Evangelium extantis; adeo ut eorum ἀπειθεῖν hoc tantum effecerit, ne ab ira Dei, cui jam facti essent obnoxii, liberarentur. Eandem fortasse vim inesse putavit Grotius verbis 1 Thess. 2.

Hanc totam argumentationem ex loco Johannis petitam uno verbo dissolveret Casaubonus, qui ita ad eum notat, verbum μένειν, *manere* interprete Nonno, idem significare posse quod *ἐρχεσθαι venire*, adeo ut *manere super incredulos aut immorigeros*, μένειν ἐπὶ τῶν ἀπειθεῖν, sit *venire super incred.* &c. *ἐρχεσθαι ἐπὶ τῶν ἀπειθεῖν*. Additque, sæpe Græcos verbo μένειν ita uti. Etiam si autem nos hanc istius loci interpretationem non prorsus probemus, cum vim verbi *manendi* nimium enervet: non est tamen verisimile viros tantos nihil prorsus hic vidisse, & tota, quod dicitur, janua aberrasse: sed statuendum potius est, id saltem illos recte animadvertisse, usitatiorē quandam vocis *manendi* significationem huic loco non satis esse aptam. Veruntamen ut tota ratiocinatio tanto apertius refellatur, ponamus primum, verbum *manendi* usitatiorē suam significationem hoc loco prorsus retinere, ita

* Lib. 5. Eth. 7.

ita ut significet irā istius divinæ super incredulos, seu immorigeros, jam ante illam ἀπειθεῖαν existentis durationem in posterum: inde tamen non sequitur, eos homines vi sanctionis Mosaicæ, aut alterius cujuspiam, à Deo ante Euangelium promulgatæ, irā isti vel ante ἀπειθεῖαν fuisse obnoxios, vel postea mansisse. Poterant enim antea obnoxii esse irā illi, seu pœnæ, sine sanctione ulla expresse à Deo promulgata, vi ipsius naturalis æquitatis, de qua Grotius ipsemet antea dixit: vel si vi sanctionis alicujus factum id antea fuerat, poterant nihilominus postea eidem irā manere obnoxii vi sanctionis alterius, quæ in prioris locum esset substituta, nempe Evangelicæ, & ideo damnari, non quia simpliciter aliquando peccassent, sed quia in Christum postea non credidissent; adeo ut posterioris sanctionis obligatio, obligationem prioris veluti exciperet, & statim consequeretur: id quod de Judæis, de quibus in posteriori loco aperte sermo est, concedi potest, etiamsi id vi verborum in locis citatis extantium evinci non possit. Sed deinde non est semper ea verbi *manendi* vis, ut significet, id, de quo usurpatur, jam ante illud tempus, cujus in verbis aliquibus five aperte five tacite fit mentio, seu ante actionem in iis commemoratam, jam extitisse, & post eam porro durasse aut duraturum esse: sed interdum, nulla habita ratione ejus, quid ante actionem istam factum fuerit, tantum duratio rei in tempus sequens eo verbo significatur; usurpaturque etiam de re ejusmodi, quæ simul cum actione illa, cujus fit mentio, existere ceperit, aut illius consequens fuerit. Hoc pacto sumitur apud eundem Euangelistam cap. 6. 56, ubi ait Christus: *Qui comedit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in ipso.* Quibus verbis non id vult significare, eum, qui comedit ipsius carnem, & sanguinem ejus bibit, si jam antea ipsi fuerit insertus, in ipso porro quoque permanfurum: sed, eum comestione ac bibitione ista tam firmiter ipsi insertum iri, ut perpetuam & ætissimam cum ipso sit habiturus conjunctionem. Eodem modo usurpatur apud eundem scriptorem cap. 15. 16, ubi ad discipulos suos ait Christus: *posui vos, ut vos eatis, & fructum feratis, & fructus vester maneat:* h. e. ut fructus ille vester, quem tuleritis, perpetuo duret; etiamsi non extiterit, antequam ferretur. Quin etiam cap. 32. 33, ubi de Spiritu Sancto dicitur, quod descenderit super Christum & manserit super eum; non quod ante descensionem super eum jam extiterit, ac postea durarit; sed tantum quod post descensionem super ipsum manserit, seu extare perrexerit: quo pacto de eodem Spiritu Sancto dicitur infra cap. 14. 16, alium paracletum dabit vobis (pater,) *ut maneat vobiscum in æternum;* nempe post dationem, nulla habita ratione temporis eam dationem antecedentis. Eadem significatio alibi quoque in Sacris Literis extat, & in communi sermone occurrit. Vide præter loca à nobis citata apud eundem scriptorem I Epist. 2. 10. III. 24. IV. 15, 16. Quare verba etiam inter nos controversa ita possunt accipi, & nostra quidem sententia, ita simul debent: eos qui filio Dei non credunt, vel non obediunt, ob id ipsum æternæ Dei iræ fieri obnoxios, ita ut à pœna nunquam sint liberandi;

nulla interim habita ratione ejus, num ante incredulitatem vel inobedientiam istam irā Dei fuerint obnoxii nec ne. Id quod videns cum Nonno Casaubonus, putavit μένειν sumi posse pro ἔρχεσθαι, quod verbum non significat, iram illam super incredulis aut immorigeris illis ante id tempus jam fuisse, imo non fuisse significat; & eatenus non male viri isti censuerunt: sed eatenus non rectè, quod cum vox ἔρχεσθαι non significet durationem rei in posterum, præsertim constantem ac diuturnam, quam tamen hoc loco omnino significare videtur verbum μένειν, vim hujus vocis enervarunt, dum illam pro hac reposerunt, aut reponi posse putarunt. Tanto autem interpretatio nostra erit apertior, si præsens μένειν pro futuro ob rei certitudinem accipiat, quod in Sacris Literis frequentissimum esse nemo ignorat. Ac ne longe abeamus, exemplum ejus rei habes eodem hoc versiculo, in verbis præcedentibus, quibus ea, de quibus disputamus, opponuntur: qui credit in filium, *habet vitam æternam*, h. e. certo habiturus est. Quare cum per oppositionem additur: qui vero non credit, vel non obedit filio; *non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum*, potest vox *manet* accipi pro manebit, ut tanto aptius respondeat verbo ἄρα *videbit*, quod proxime præcesserat. Cui illud quoque favet, quod, ut Beza notavit, quidam pro μένει, accentu tantum in ultimam trajecto, legunt *μένει manebit*. Similiter nec in loco I Thess. 2 quicquam est, quod Grotium juvet. Neque enim significat Paulus, Judæos illos ante suam in Dei filium ἀπειθεῖαν, cujus ibi effecta recensentur, iræ divinæ fuisse obnoxios, nedum ut indicet, id vel ante illud tempus, vel postea factum esse vi sanctionis alicujus divinæ ante Euangelium extantis; sed tantum eos ob istiusmodi, quæ ibi commemorantur, scelera, eorumque fontem incredulitatem, ac contumaciam in Dei filium, ita à divina ira occupatos, & veluti conclusos ac circumfessos esse, ut eos pœna nunquam sit desertura.

Quando ergo Grotius sententiam suam probare non potuit, restat ut nostram aliquanto plenius, quam hætenus fecimus, exponamus, & quantum opus fuerit, muniamus. Diximus antea, minimum derogationem hic esse concedendam; nunc ulterius progredientes dicimus, actum hunc abrogationem sanctionis legalis esse. Neque enim est, quod quis dicat, ubi derogatio sit, ibi abrogationem esse non posse. Nam id vim fortasse haberet aliquam, si absolute ac simpliciter dixissemus, vel intelligi voluissemus, derogationem hic esse, & non addidissemus, aut tacite additum intelligi voluissemus, *minimum* derogationem hic esse, potiori adhuc actui, qualis est abrogatio, ea ipsa vocula locum relinquentes. Nam ideo derogatio simpliciter posita videtur abrogationem excludere, quia, cum actus aliquis hoc nomine simpliciter appellatur, significari videtur, derogationem ibi primas tenere, nec ullum tum concurrere actum potiore & insigniorem, qui majorem legi mutationem inducat, quam derogatio, qualis est abrogatio. Consentaneum enim foret, ab hoc potius actu denominationem sumi. Alias derogatio tantum abest, ut abrogationem excludat, ut hæc illam semper in se includat, licet non contra. Cum enim tota lex tollitur, tolluntur etiam singulæ illius

illius partes, saltem eatenus, quatenus illius partes sunt. At totam legem tollere abrogationis est, partem derogationis. Idem de relaxatione dicimus, quam hic aliquo modo locum habere diximus, ac multo magis de obrogatione, quæ generis cujusdem locum habere videtur respectu abrogationis, derogationis, & relaxationis, ut antea explicuimus: quamquam tum in primis, cum isti actus non fiunt, nisi alia lege, quæ in posterum valere debeat, constituta, quod proprie loquendo non semper fit: factum autem est in nostro negotio. Nam postquam Deus, id quod sub Euangelio factum est, sanxit, ut omnes quotquot in Christum credunt ac resipiscunt, in æternum serventur, contra ii demum in æternum pereant, qui in Christum non credunt aut non resipiscunt; obrogatum est sanctioni illi legali, quæ omnes in universum, qui legem transgressi fuissent, morti æternæ addicit, ejusque vis quam antea habebat ad obligandum, ratione quorumvis hominum in perpetuum sublata est; qui actus rectissime abrogatio appellatur. An non enim abrogatio est, cum ejus, qui legi præsidet, auctoritate, vis, quam lex ad obligandum habebat, respectu omnium, qui ea tenebantur, in perpetuum tollitur? Id autem, ut diximus, factum est per Evangelicam illam sanctionem, universalem ac perpetuam, ac longe latius Mosaica, quam ad Judæos tantum proprie pertinuisse diximus, patentem. Ea enim partim legali isti prorsus adversatur, partim ea longe est mitior. Adversatur prorsus, quatenus omnes eos à maledictione liberat, qui in Christum vere credunt, & sic etiam resipiscunt, licet antea gravissime peccarint, aut adhuc nonnunquam labantur, atque ut alibi diximus, vel millies antea maledictionem Legis fuerint meriti. Mitior est, quatenus eos demum morti æternæ subjicit, qui in Christum non credunt, nec resipiscunt; non vero, ut Lex Mosaica faciebat, eos, qui ullum Dei præceptum fuerant transgressi. At utroque modo sanctio hæc Evangelica vim, quam legalis illa habebat ad obligandum, tollit. Nam quotquot vivunt homines, vel credunt in Christum & resipiscunt, vel secus. Si credunt ac resipiscunt, jam vi sanctionis Evangelicæ ab obligatione sanctionis legalis eximuntur prorsus: si non credunt, nec resipiscunt, jam vi sanctionis Evangelicæ satis valide ad poenam mortis æternæ ferendam obstringuntur, imo tanto validius, quam sanctione legali, quanto illa hac alioquin est mitior: unde hujus relaxationem in perpetuum (si modo hæc relaxatio dici potest) respectu omnium in Christum credentium, fieri vult Grotius: at sanctionis istius Evangelicæ quæ sperari queat relaxatio? Divitias gratiæ suæ immensas jam exhibuit Deus Rom. 2. 3 & seqq. Ephes. 1. 7. ij. 7, ultra quas impius sit, qui ampliores sibi postulet. Quid igitur ad vinculum, seu obligationem istam ad poenam æternæ mortis ferendam, opus est legali sanctione? Nullum certe alium hic ea præstat usum, quam quod docet, Deum, si jure suo voluisset uti, potuisse etiam eos omnes, qui in Christum credunt, utpote qui peccaverint, aut peccatum habeant, ut Johannes loquitur 1 Joh. 1. 8, 10, æternæ morti subicere, adeoque eos Dei benignitate, & peccatorum remissione opus habere: contra vero eos omnes

summo jure morti æternæ subicere, qui in Christum non credunt & non resipiscunt; siquidem eos Deus vel propter unum aliquod delictum, cui maledictio sub Lege fuerat proposita, potuerit morti æternæ subicere: quanto ergo magis ob tantam, quæ hic cernitur, contumaciam & impietatem? Et si autem satis videtur esse demonstratum, sanctionem illam legalem abrogatam esse: tamen ex eo insuper ostendi potest, quod, ut omnes norunt, & D. Auctor Hebr. 8. 13, loquitur, antiquatum seu abrogatum est Fœdus Vetus, & vis ejus in perpetuum sublata. Unde ejus etiam interitum mox sequuturum auctor ille ominatur, licet id adhuc, vigente cultu illo ceremoniali, & templo, urbe, ac populo Judaico adhuc salvo vigere ac satis firmum esse videri posset, dum addit: *quod autem antiquatur, (vel veterascit) ac senescit, prope est ut aboleatur*. At si Fœdus antiquum abrogatum est seu antiquatum, necesse est etiam illam, de qua agimus, legis sanctionem antiquatam abrogatamque esse. Hæc enim sanctio vinculum erat omnium validissimum, quo Judaicus populus ad conditiones ejus Fœderis omnes exacte servandas obstringebatur. Quare si hæc sanctio obrogata non est, vetus adhuc Fœdus viget, & omnes Judæi, imo omnes in universum homines, si ea sanctio, ut Grotius vult, ad omnes prorsus homines pertinet, ad ejus conditiones observandas adstringuntur. Adde quod Euangelio, quod gratia in Sac. Literis appellatur Joh. 1. 17. Rom. 6. 14, 15, & eo nomine legi opponitur, sancito, necesse est abrogatam esse Legis severitatem, gratiæ illi oppositam, adeoque etiam sanctiones illas legales, quibus stantibus severitatem illam adhuc vigere necesse est. At nihil est in universa lege severius ac rigidius illa, de qua agimus, sanctione. Hanc ergo in primis abrogatam & antiquatam esse oportet. Atque id Spiritus Sanctus satis aperte indicavit, dum N. Fœdus eatenus in primis opposuit Veteri, quatenus Novum remissionem peccatorum & iniquitatum liberalissime offert, eaque ratione efficit, ut homines sponte sua Deum tam benignum velint cognoscere, & legibus ipsius, quarum observatione tanto bono potiri queant, parere; id quod Vetus non præstet: qua de causa novo succedente, prius antiquare oportuerit ac consensescere, ac tandem penitus aboleri d. 1. Hebr. 8 ex Jer. 31. Veruntamen quia sanctio Evangelica, condemnationem iis, qui in Christum non credunt nec resipiscunt, interminans, aliquo modo cum legali convenit, & in iis, qui beneficii per Euangelium hominibus oblato ob suam contumaciam non fiunt participes, eundem effectum parit, quem paritura esset legalis illa sanctio, cum eos non secus atque illa maledictioni seu morti æternæ subiciat; ideo respectu eorum perinde est, ac si legali illi sanctioni adhuc essent obnoxii. Quin & Sacre Literæ in quibusdam locis ita videntur loqui, ac si ii, qui in statu damnationis versantur hodie, sub Lege essent. Quo accedit, quod Legis magis est proprium damnare, quam Evangelii: hujus contra magis absolvere & justificare: unde illud interdum Legi simpliciter adscribitur, tanquam maxime proprium: hoc Euangelio. Hinc enim litera & spiritus 2 Cor. 3. 6, seu Vetus & Novum Testamentum, eatenus inter se opponuntur, quod

litera occidat, spiritus vivificet: & ministerium legis vocatur ib. *ŷf.* 7 & 9, ministerium mortis ac condemnationis, ministerium autem Euangelii, appellatur ministerium iustitiæ, seu justificationis: Lex iram dicitur operari Rom. 4. 14. & gratiæ opponitur, ut antea vidimus: quibus alia non pauca hinc inde, apud Paulum præsertim, reperiuntur similia. Vid. Rom. 3. 20. cap. 7, totum: & cap. 8 initium per aliquot versic. Gal. 2. 16, 21. *ijj.* 10 & seqq. & *ŷf.* 21. Quare cum Euangelium damnat, & mortis æternæ subijcit, Legis fines videtur ingredi, & ejus officium quodammodo facere. Quam ob causam Paulus non obscure videtur asserere, eos qui spiritu non ducantur, sed carnis ope a faciant, esse sub Lege, aut Legem iis positam; contra eos vero, qui fructus spiritus edant, Legem non esse Gal. 3. 18, 23. 1 Tim. 1. 9 & seqq. Quæ loca si adduxisset Grotius, videri posuisset causam suam magis stabilivisse; quamquam ea nihil ipsum revera juvant, eo præsertim animadverso, quod Paulus concessione quadam in istiusmodi locis uti censendus sit, & eorum sententiæ, cum quibus illi reserat, aut adversus quos disputabat, (hi autem erant, qui Legem adhuc vigere credebant, ut ex locorum circumstantiis satis apparet) sermonem suum aliquo modo attemperare, ne quid eorum, quæ salva Euangelii veritate concedi poterant, negare videretur, & interea, quatenus legis, aut eorum, quæ in lege continentur, usus aliquis in Euangelio esset, ostenderet. Quatenus ergo idem in Euangelio continetur, quod olim in Lege; licet ea generatim loquendo, aut qua veteris Fœderis erat propria, abrogata sit: tamen hodie censenda est manere. Unde ait Apostolus Rom. 3. ult. se per fidem non abolere Legem, sed stabilire. Nempe quia quicquid in Lege est, quod æternum esse merebatur, & cum gratia & veritate, quibus duabus vocibus Johannes Euangelium Legi oppositum describit Joh. 1. 17, atque adeo cum spiritu egregie consentiebat, id totum ex ea in Euangelium traductum est: cætera, tanquam ab ejus natura abhorrentia per ipsam Christi mortem sublata sunt, qua Novum Fœdus, & quicquid illius proprium est, sancitum fuit ac stabilitum. Mortuus enim ille est ut Fœderis Novi mediator Heb. 9. 15: qua de causa sanguis etiam ipsius, sanguis novi & æterni Fœderis dicitur, ut ab initio disputationis nostræ vidimus. Ideo morti Christi ea videmus adscribi, quæ Novi Fœderis sunt propria, & quo magis illius sunt propria, quantoque longius à Legis Mosaicæ proprietate recedunt, tanto magis, tantoque crebrius atque apertius ei tribuuntur. Omnium forte creberrime illi adscribitur remissio peccatorum ac justificatio: quia hanc Novi Fœderis maxime propriam esse cap. 1 docuimus. Adscribitur ei etiam crebro reconciliatio nostri cum Deo, redemptio ex servitute etiam peccati, aut si quid eandem vim habeat: quod eatenus N. Fœderis est proprium, quatenus ostendit, eam quoque pietatem hodie coram Deo valere, quam hostilis in Deum animus, & servitus peccati antecessit, quod Vet. Fœderis ratio non permittebat. Ejus enim erat, perfectam perpetuamque præceptorum omnium obedientiam exigere à singulis, & hac demum conditione justificationem polliceri. Adscribitur eidem morti testi-

ficatio benevolentiae Dei erga omnes homines, nulla gentium ordinumve discrimine: cum in Vetere discrimen, inter populos præsertim, esset maximum. Adscribitur eidem Legis ceremonialis abolitio; & ex his manans Judæorum ac Gentium in unum Dei populum conjunctio: de quibus omnibus initio disputationis nostræ dictum est. Quomodo ergo fieri potest, ut Christus, quemadmodum Grotius vult infra cap. 5, ideo moreretur, & peccatorum nostrorum pœnas lueret, ne legi à Deo publicatæ, qua pœnam fuerat minatus peccantibus, aliquid auctoritatis apud nos detraheret pœnarum omisso; cum eam Legem Deus ipse per Christum ejusque mortem abrogarit, & ejus vim atque auctoritatem in posterum sustulerit? Ea enim, quam Grotius intelligit, lex, hæc ipsa est pœnalis sanctio, de qua hætenus agimus. Nec aliam sane ob causam magis urget Grotius, legem hanc non abrogatam, sed tantum relaxatam esse, quam ut postea evincere queat, causam fuisse magnam, cur Deus nobis, qui nocentissimi eramus, sponte dimissis, innocentissimum nostri loco pœnæ subjeceret; nempe ut hoc pacto auctoritatem latæ semel Legis stabiliret. Quæ ratio stabilienti auctoritatem Legis, peccatores ipsosmet ad pœnam postulantem, quam futura fuisset præpostera, & Dei tum sapientia tum iustitia indigna, in seqq. capitibus, Domino adjuvante, docebitur. Interim dicimus, cum nulla sit in universa Mosis Lege sanctio hac severior, nulla gratiæ Evangelicæ, & N. Fœderis benignitati magis adversa, nihil posse dici absurdius, quam Christum N. Fœderis mediatorem Dei consilio ac voluntate in eum finem esse mortuum, ne ea sanctio auctoritatem suam perderet. Id enim nihil aliud est, quam ex Christo Mosen, ex sanguine Fœderis Novi, sanguinem Fœderis Antiqui, aut sanguinem Abelis, qui maledictionem ac vindictam, præsertim adversus Judæos parricidas clamer, facere. Quorsum enim auctoritas illius Legis stabiliretur pretioso Christi sanguine, nisi ut in posterum rata esset, & exsequutioni mandaretur? Illud potius statuendum est, Christum, quia Novi Fœderis confirmandi causa mortuus est, ideo mortem eam subiisse, ut legis illius auctoritatem in posterum eo, quo explicuimus, pacto tolleretur, & quemadmodum Paulus de obligatione legis ceremonialis loquitur Col. 2. 14, chirographum illud cruci affigeret ac perimeret. Idque ipsum voluit Apostolus Gal. 3. 13, ubi ad istam legis sanctionem, quam paulo ante citaverat, respiciens, ait: *Christus nos liberavit ab execratione Legis, factus pro nobis execratio*: hoc est, à iugo & obligatione Legis maledictionem nobis minantis in perpetuum nos liberavit, dum ipse innocentissimus, ut nobis, qui nocentissimi eramus, consuleret, & nos in salutis viam traderet, mortem tam diram & infamem, quæ sub Lege hominibus tantum Deo abominandis imponi debebat, subiit, eaque ratione totius illius legis tam severæ vim & auctoritatem in posterum sustulit. Si quidem inde manifestissime patuit, Deum peccatores omnes salvos velle. Tollunt autem se mutuo, aliquem velle salvum, & eundem maledictioni seu mortis æternæ pœnæ subijcere. Imo licet in Euangelio quoque comminatio mortis æternæ non creditur

activam

activam vocant, sunt à Socino allata, prætermittit. Quare non est mirum, si Grotio visum est, alio in argumentis Socini percensendis uti ordine, quam is est, quo Socinus ipse fuerat usus; cum nec scopum Socini in omnibus satis animadverterit, nec ea omnia, quæ Socinus asserit, ipse neget, aut quæ ille oppugnat, ipse defendat. Ut autem lector seriem argumentorum Socini videat, eam breviter hic delineabimus. Primum suam sententiam confirmat Socinus, tum contrariam refellit: quanquam eo ipso etiam, dum suam adstruxit (a), contrariam refutasse censendus est. Sententiam suam confirmat, dum docet primo, Deum jure potuisse nobis peccata nostra condonare, nulla pro iis vera satisfactione accepta; deinde eum id etiam facere voluisse. Sententiam adversariorum refellit (b), dum primo generatim docet, non potuisse, nobis non pereuntibus, divinæ justitiæ pro peccatis nostris satisfieri; deinde speciatim, id à Christo fieri non potuisse. Prius ita exsequitur, ut primum injustum esse doceat (c), adeoque respectu Dei impossibile, alterum pro altero, seu vice alterius punire; injustum autem duplici ratione, partim natura sua, partim ob divinum decretum, seu mavis effatum. Deinde quia, etiamsi id non foret injustum, atque ita respectu Dei impossibile, alia tamen ratione id foret impossibile; quia tot homines, qui pro aliis satisfaciunt, reperiri non possint, unus autem aliquis id præstare nullo modo queat. Posterius hoc modo tractat, (d) ut doceat, Christum nec pœnarum, quas nos ex Lege Dei subire tenebamur, solutione, nec eorum, quæ nos ex ejusdem Lege facere debebamus, præstatione, divinæ justitiæ pro nobis satisfacere (e) potuisse. Ut illud demonstret, ostendit, Christum nec pœnam illam, quam nos subire tenebamur, mortem nimirum æternam subiisse, aut subire, nisi eversa salutis nostræ & liberationis à peccatorum nostrorum pœnis spe, potuisse; nec, si subiisset, pro omnibus omnium hominum peccatis satisfactorum fuisse. Hoc vero quo pacto demonstraverit, alio commodiore loco (f) dicemus. Cur hunc Socini ordinem reprehendendum putet Grotius, nondum perspicio. Sed ordinem nunc mittamus, & rem ipsam, Grotii vestigia sequuti, consideremus.

Ait ergo Grotius Partic. 2: *Ut ad justis atque injustis quaestionem veniamus, primum separanda esse ista, An justum fuerit Christum puniri ob peccata nostra, & An aliquid facere potuerit ad veniam nobis impetrandam.*

Etsi nos concedimus, posse has quaestiones aliquo modo distingui; ita tamen eæ sunt inter se conjunctæ, ut prior sine posteriore nequeat expediri. Nisi enim constet, potuisse pœnam Christo impositam aliquid facere ad veniam nobis impetrandam, non potest etiam constare, eam juste potuisse Christo imponi. Itaque non concedimus Grotio id, quod postea, causam dicti reddens, subjicit: *Nam etiamsi talis causa pœnæ non fuisset*, (nempe ut nobis aliquid ad impunitatem prodesset) *non inde tamen sequeretur, in ipsa pœna injuriam aliquam contineri.* Nam si Christus ob peccata nostra punitus fuit à

(a) Lib. 3. cap. 1. (b) ibid. cap. 2. (c) cap. 3. (d) cap. 4. (e) cap. 5. (f) Inf. ad finem cap. 6.

Deo, necesse est eum nostro nomine, seu nostri loco ac vice pœnam illam pependisse, ut quidem cum cæteris omnibus, qui istam Christi satisfactionem defendunt, contendit Grotius, & res ipsa cogit. Etenim vel suo nomine eam pœnam pependit Christus, vel nostro. Non suo, cum fuerit innocentissimus, & is, qui pœnam exegisse statuitur, justissimus. Si nostro; jam nos ipsi ad id, quod nostro nomine solutum est, præstandum nullo jure teneamur; & sic vi pœnæ à Christo nostri loco persolutæ veniam peccatorum necessario consequimur; nisi injustum dicere velis Deum, qui idem debitum bis exigit, semel à Christo, nostri loco, iterum à nobis ipsis: id quod nulla justitiæ ratio permittit. Ea enim in æqualitate consistit. At qui idem bis exigit, cum semel tantum debeatur, is æqualitatem in exigendo certe superat. Id videmus in aliis debitis omnibus. Nam cum quis debitoris nomine persolvit debitum, jam non potest idem ab ipsomet debitore iterum juste exigi; sed necesse est, ut, si alter ille totum ipsius loco persolvit, ipse debitor nihil amplius præstare teneatur, & sic debitor prorsus esse desinat; si partem, ipse reliquam tantum debiti partem solvere teneatur. Quod si ergo Christus nostro nomine universam, quam nos debebamus, pœnam, vel id, quod universam compensaret, persolvit, quemadmodum vulgo creditur ab omnibus, nos nullam amplius pœnam debemus: si partem tantum persolvisse aut compensasse velis, quamquam hæc pro peccatis omnibus satisfactio non erit, nihilominus pars debiti nostri sublata est, & sic ex parte saltem ad impunitatem ut nobis ea pœna prodest, necesse est. Quod si ad veniam nobis impetrandam nihil prodest, & nos ad universam, quam debebamus, pœnam persolvendam adhuc obligati sumus; quo jure pœna à Christo antea nostri loco fuit exacta? Non potest ergo posterior quaestio à Grotio constituta, à priori prorsus separari, sed unà tractanda est, quemadmodum Socinus fecit; quod quia Grotius non attendit, mirum quam male sese in referendis Socini sententiis, argumentis, ac responsionibus sæpè gerat: qua in re nullam meretur excusationem, cum Socini dicta ita sæpè sint clara, ut dubitare non immerito possis, utrum is, qui verum eorum sensum non expresserit, exprimere etiam voluerit.

Probaturus porro Grotius Partic. 3, non fuisse injustum puniri Christum ob peccata nostra, ita scribit: *Injuria autem videtur quæri posse aut in ipsa materia, hoc est, in gravissimis afflictionibus & morte, comparatis ad ejus qui ista patiebatur innocentiam, aut in forma, hoc est, in pœna comparata ad peccata aliena tanquam causam meritoriam. Ostendemus ergo in neutro esse injuriam.*

Ad hoc argumentum breviter ita respondemus: Injuriam proprie esse in pœna tota, seu mavis, (rei enim eodem recidit) in materia propter formam, comparatam ad ejus, qui illam patiebatur, innocentiam: h. e. in eo, quod afflictio talis imposita credatur innocenti, quæ respectu ipsius innocentis pœnæ rationem haberet, seu qua ipse innocens puniretur. Quod propterea addimus, quia interdum nihil prohibet, quominus innocentis afflictione puniatur ipse nocens, quod tamen in nostro negotio factum

factum non est, ubi dimissis nocentibus, innocentissimus tantum punitus creditur, quod si ex thesi speciali facere velis generalem, ea hæc erit, injustum esse *punire innocentem*, quacunque tandem de causa id fiat, non vero simpliciter, ut Grotius postea facit, punire *quempiam* ob aliena peccata. Id enim concedi potest non semper esse injustum, ut inferius intelligitur.

Etiam si autem hac responsione contenti esse possimus, tamen ut iis satisfiat, qui uberiores hujus rei declarationem desiderabunt, verba Grotii melius adhuc excutiemus, cum in iis aliquo modo fons erroris lateat. Qua in re si à populari loquendi consuetudine nonnihil discesserimus, nemo id nobis vertet vitio; cum Grotius ad hujusmodi disputandi genus nos vocet, & sententia nostra jam satis populariter sit explicata, & inferius denuo, ubi res postulabit, explicanda.

Cum ergo Grotius ait: aut in materia ipsa, aut in forma quæri posse injuriam; particula *in* vel subiectum significat, cui injuria inhæreat, subiectum, inquam, tale, quale etiam in accidentibus, ad similitudinem substantiarum, reperire licet; quo pacto Grotius infra ait, injuriam proprie accidere actioni ipsi, qualis sit materia punitionis; cui autem aliquid proprie accidit, id illius est subiectum; vel significat causam, ob quam injuria subiecto illi inhæreat. Si primo modo verba sua Grotius accipit; vel in neutra istorum partium separatim sumpta est injuria, sed in pœna tota, ex materia & forma composita; quo pacto non erit major argumenti propositio admittenda, ob insufficientem membrorum disjungendorum enumerationem; cum materia & forma non separatim tantum, sed etiam conjunctim sumptæ fuerint commemorandæ; vel, quod eodem recidit, si rem ipsam spectes, in materia quidem residebit injuria, sed propter formam; quo pacto minoris pars prior erit falsa; neque confirmabitur ista ratione, qua utitur Grotius, quia certum sit, Christum innocentissimum, à Deo gravissimis cruciatibus, ipsaque morte fuisse affectum: cum non in materia pœnæ absolute ac per se considerata, adeoque etiam in ea afflictione, à qua pœnæ forma abest, injuria residere à nobis dicatur, ut argumentatio Grotii postulat; sed in materia propter formam, adeoque in ea demum afflictione, quæ actu ipso materia pœnæ est, & formam illam sustinet. Nos vero negamus afflictionem mortemque Christi re ipsa pœnæ fuisse materiam, idque illud revera est, de quo in hoc libro nobiscum disputat Grotius. Si vero posteriori modo verba sua Grotius accipit, altera minoris propositionis pars falsa est. Nam injuriæ ratio ac causa consistit in forma pœnæ, relata ad illius, qui eam sustinet, innocentiam. Etenim vindictæ ratio, quæ pœnæ forma est, in innocentem jure cadere non potest; injuria potest. Si ei vel falso crimen aliquod impingatur, vel alienum delictum, sive verum, sive falsum imputetur. Sumimus autem hoc loco pro concessio, Grotium, dum pœnam comparat ad aliena delicta tanquam causam meritoriam, tacite id ponere, quod tunc, cum de materia ageret, expresse dixerat, nempe innocentem esse eum, qui pœnam illam ferat. Nisi enim id ponat, non est sufficiens in majore propositione membrorum enumeratio; cum omissum sit illud, in quo, nostra qui-

dem sententia, injuriæ ratio consistit. Diximus enim, eam consistere in pœnæ forma, relata ad ejus, qui eam sustinet, innocentiam; cujus considerationis nulla fieret mentio.

Hoc ut melius intelligatur, paulo adhuc penitius consideranda sunt hæc Grotii verba, in quibus pœnam comparat *ad peccata aliena tanquam causam meritoriam*; cum in iis non minima erroris, quem Grotius defendit, lateat causa. Primum autem arbitramur, eum loqui de peccatis alienis qua aliena sunt, non vero, qua forte iis ipsis, qui propter ea puniuntur, communia. Alioquin & captiose fuisset loquutus, & id, quod inter nos controversum est, haudquaquam attigisset. Agitur enim inter nos de eo, qui ob aliena peccata, quorum nullo pacto erat particeps, utpote innocentissimus, punitus creditur. Deinde arbitramur Grotium vocem *meritoriam* ad eandem pœnam referre, ad quam causæ non en, cui illam adjungit, refert; ita ut sensus sit, peccata aliena non considerari ut causam simpliciter pœnæ illius, de qua sermo est, sed ut causam ejusmodi, quæ pœnam illam mereatur. Nam si causæ tantum nomen ad pœnam eam referret, de qua sermo est, quam respectu ejus, qui peccavit, alienam dicere possis; vocem autem *meritoriam* ad pœnam propriam, h. e. ei ipsi, qui peccavit, infligendam, cujus in Grotii verbis nulla est mentio: itidem captiose fuisset loquutus. Denique voce *tanquam*, causæ meritoriae præfixam, arbitramur eum non ipsam rei veritatem, sed considerationem tantum, sive veram, sive falsam, exprimere voluisse. Nam si rei veritatem ea particula significare voluisset, & sic pro concessio summisset, peccata aliena revera esse causam meritoriam pœnæ illius, qua de agitur; non tam injustum id foret censendum, quod ab ipso ponitur, quam falsum & impossibile. Etenim aliena peccata non possunt esse causa meritoria pœnæ, quam alius quipiam à nocente diversus sustineat. Possunt quidem peccata aliena esse causa impulsiva pœnæ hujusmodi, sed eam mereri non possunt. Distinguenda enim sunt à se invicem hac in parte duo ista, quæ dum Grotius conjunxit, errandi occasionem præbuit aliis, fortasse & sibi, causa nimirum & Meritum. Causæ enim simpliciter est, aliquid facere ad rei existentiam, & impulsivæ quidem, de qua Grotio sermo est, movere quempiam ad aliquid faciendum, nulla etiam habita ratione juris, quod quis ad id faciendum habeat. Meriti autem est, dignum quempiam reddere re aliqua, sive bona, sive mala, & sic jus ad eam largiri cuiquam, ad bonam quidem ei ipsi, qui meretur; ad malam vero ei, respectu cujus meretur. Unius autem peccata, non possunt alterum dignum reddere pœna, sed eum tantum, qui ea admisit, quemadmodum superiori cap. docuimus; adeoque nec alienam pœnam mereri possunt, sed propriam tantum illius, qui deliquit: impellere autem possunt quempiam ad alterum puniendum, & id quidem juste, si is ipse, de cujus pœna agitur, eam delicto aliquo suo fuerit commertus; injuste, si commertus non sit. Neque vero quicquam aliud volunt Sacræ Literæ, cum asserunt, quempiam à Deo ob aliena delicta fuisse punitum, quam Deum alienis peccatis impulsus fuisse ad eum

puniendum; non vero, aliena peccata, qua quidem aliena fuerunt, & ipsi puniendo nullo modo communia, pœnam alterius fuisse commerita. Nempe ut is, de cujus pœna agebatur, jure puniri posset, id à proprio ipsius delicto pendit; ut autem actu ipso puniretur, etiam ab alieno. Qua de re plura inferius dicentur. Alia vero ratione fieri potest, ut peccata aliena pœnam mereantur alienam, non qua ipsa sunt aliena, aut qua pœna est aliena, sed quatenus aut peccata illi, qui ob ea punitur, sunt aliquo modo communia, aut contra pœna ei, qui peccavit, seu cui ea peccata magis proprie tribuuntur. Potest enim quis & alieni peccati fieri particeps, & pœnæ. Peccati quidem, cum quis ejus vel extitit auctor sua sorve, vel administer atque adjutor, vel denique approbator, aut etiam imitator. Contra pœnæ alienæ quispiam fit particeps, cum ex illa vel dolor atque afflictio, vel damnum aliquod, vel denique ignominia ad ipsum redundat, ob conjunctionem arctiorem, quæ inter ipsum, & eum, qui punitur, intercedit, qualis est v. g. inter parentes & liberos, Regem & subditos. Fit autem interdum, ut utrumque hoc concurrat, & tum is, qui ob alterius delictum punitur, ejus delicti sit particeps, ac culpæ affinis, tum vicissim alter ille, ob cujus delictum hic punitur, particeps evadat pœnæ. Quo tempore ob istam rerum inter se conjunctionem, ac confusionem quandam proprii cum alieno, dicere possis, peccata unius merita esse pœnam alterius, seu aliena peccata merita esse pœnam alienam; verum non qua aliena, aut non qua alienam, sed propria propriam. Quatenus enim quispiam alieno participat, eatenus illud non alienum est, sed proprium. Etiam si autem proprium cum alieno in hujusmodi negotio quodammodo concurrat, tamen res interdum aliena potius dicitur, quam propria, aut huic etiam communis; quia id, quod commune est, sæpe solet ei simpliciter adscribi, cui id insigniori quapiam ratione convenit. Itaque peccatum illi solet absolute tribui, qui inter alios, quibus id delictum aliquo modo commune est, eminet, & cæterorum est veluti antesignamus, quem principalem vulgo appellamus; pœna vero ei, in quo manifestius exercetur, quique damnum magis videtur sentire.

Cum ergo eo sensu, quem priori loco explicuimus, quique ad nostrum negotium proprie pertinet, peccata unius non possint revera mereri pœnam alterius, eumque afflictione aliqua aut nocumento, quo per se ipsum sit indignus, dignum reddere; apparet, injustum esse quempiam punire ob peccata aliena tanquam causam meritoriam; quod cum sit, is qui vel re ipsa innocens est, punitur, vel saltem qua innocens, qua de causa diximus antea, nos arbitrari, Grotium, cum pœnam comparat ad peccata aliena tanquam causam meritoriam, eum ipsum, qui punitur, ponere innocentem. Ad pœnam quidem simpliciter summam sufficit, ut peccata aliena statuatur esse causa meritoria afflictionis alicujus, quæ cuiuspiam imponitur: at ut pœna sit justa, requiritur, ut ea non tantum ita considerentur, sed etiam ut re ipsa eam afflictionem mereantur, quæ pœnæ ac vindictæ rationem sustinet. Alias immerito punitur alter. Immerito autem quempiam punire, est injuste punire.

Non est autem hoc loco prætereundum, quod Grotius de forma tantum pœnæ agens, eam comparat ad aliena peccata, tanquam causam meritoriam, de materia vero loquens non item: quasi peccata aliena, licet materiam pœnæ, seu afflictionem ac nocumentum ipsum, non mereantur, meritoria tamen causæ dici queant ratione formæ, & sic non afflictionem, sed relationem ei adhærentem, in qua forma pœnæ cernitur, licitam reddant. Id enim licitum fit ex delicto, cujus respectu delictum *meritoria* causa dicitur. Unde infra vult Grotius, actum pœnalem, quo quis ob alienum delictum plectitur, exerceri interdum tanquam licitum citra considerationem ullius delicti, vel antecedente ipsius punientis jure, vel justo ac valido consensu ejus, de cujus pœna agitur. Atqui peccata non relationem, quæ pœnæ forma est, merentur, sed rem atque afflictionem ipsam, cui relatio adhæret. Relatio enim illa est inter pœnam & delictum respectus, qui à terminis illis, seu majoris relatis, re non differt, sed ratione. Nihil autem dicitur mereri relationem ex natura sibi adhærentem, sed rem illam, ad quam habet relationem. Itaque cum peccata aliena considerantur ut causa meritoria pœnæ, ipse actus pœnalis censetur licitus ex alieno delicto, idque jus punienti censetur largiri ad eum infligendum, quale tamen jus ex se re ipsa parere non potest, ut hactenus ostendimus, adeoque ii, qui innocentes ob alienum delictum tanquam causam meritoriam puniunt, jus sibi aliquod ad eos affligendos tunc arrogant, quod revera nullum est, iisque injuriam faciunt, etiam si cæteroquin jus aliquod habeant ad ejus generis afflictionem iis citra pœnæ rationem imponendam. Verum quia isto jure, quatenus puniunt, non utuntur, respectu pœnæ perinde se res habet, ac sic eo prorsus carerent. Quemadmodum ergo injuriam facturi essent, si eo jure prorsus carerent: ita & nunc, cum jure isto non utuntur, sed eo tantum juris prætextu, qui nil nisi prætextus est.

Quare ut ad sequentia Grotii verba Partic. 4 pergamus; cum ipsemet asserat, fateri Socinum, non fuisse injustum, ut Christus innocentissimus à Deo gravissimis cruciatibus ipsaque morte afficeretur, nihil est, quod de ea re multa dicamus. Potuit autem id Deus facere, atque adeo, quemadmodum fatetur Grotius, fecit, jure domini, quod in Christi vitam ac corpus habebat, accedente præsertim ipsius Christi consensu. Ex quo ipso apparet, Christum à Deo revera non fuisse punitum. Qui enim punit quempiam, is, quatenus eum punit, eo jure ad illum affligendum utitur, quod ex ipso delicto aut injuria per se natura sua pendeat: quale non est jus absoluti domini, quod hic primo est considerandum; nec illud, quod ex valido alterius consensu proficiscitur. Utrumque enim citra omnem delicti respectum consistere potest, & non nisi per accidens ac contingenter cum delicto cohæret.

Deinde illud quoque concedimus, quod alteram Minoris partem probaturus affirmat Grotius Partic. 5. *non esse simpliciter injustum, aut contra naturam pœna, ut quis puniatur ob aliena delicta.* Ubi minus affirmat Grotius, quam antea dixerat, & sic alteram Affumptionis partem non probat, antea enim, postquam pœnam

pœnam comparasset ad *peccata aliena*, addidit illa verba: *tantum causam meritoriam*, h. e. ita ut peccata, quorum non sis particeps, censeantur pœnam illam mereri. Quo pacto innocens quoque alieno merito puniri posset. At hoc est, quod nos negamus. Fieri autem potest, ut quis ob aliena peccata iuste puniatur, quia ipse quoque peccarit, & sic pœnam fuerit commeritus; præsertim si eorum ipsorum delictorum, quæ aliena dicuntur, & ob quæ punitur, fuerit particeps. Neque vero est, quod quis dicat, eum, qui ideo puniatur, quia ipsemet pœnam fuerit commeritus, ob aliena peccata eodem tempore puniri non posse. Nihil enim prohibet, quominus quis simul eodemque actu & ob sua, & ob aliena peccata puniatur, ut inferius tum dictis, tum exemplis S. Literarum planum faciemus. Possunt enim plures esse unius rei, atque adeo unius etiam pœnæ, causæ antecedentes impulsivæ, & quidem unius generis. At cum S. Literæ affirmant, quempiam ob peccata aliqua punitum, nihil per se significant aliud, quam peccata illa fuisse causas ejus pœnæ antecedentes aut impulsivas; quo autem modo causæ impulsivæ fuerint, id istiusmodi loquendi ratione non explicatur, sed ex rei ipsius ac circumstantiarum ratione æstimandum est. Propria pœnam vere merentur, & ut puniri is, qui ea commisit, jure possit, efficiunt: Aliena, etiam si pœnam istiusmodi mereri nequeant, nihilominus tamen Deum vehementer movere possunt ad pœnam de alio quopiam, qui eam suis delictis est commeritus, sumendam, ita ut, etiam si forte Deus pœnam peccati alicujus non fuisset exacturus, aut de ea multum remissurus, tamen ob aliena peccata eam exigat, aut severius exigat, quamquam non ultra proprium hominis meritum. Id autem duplici potissimum de causa videtur fieri; vel enim propterea id contingit, quia peccata aliorum præcedentia faciunt, ut tandem aliquando exemplum aliquod Deus toties irritatus statuatur, nec ultra modum peccandi licentiam progredi sinat; cum etiam tolerantia ac lenitatis divinæ sit aliquis modus; vel quia Deus hunc puniendo, alterum quoque illum, ob cujus peccata eum dicitur punire, simul punire possit, propter arctiorem, quæ inter illos intercedat conjunctionem, ob quam ille, ob cujus peccata punitur alter, supplicii alieni re ipsa fiat particeps: quo pacto parentes in liberis ac posteris, reges in subditis puniuntur, aut totius Reipubl. vel communitatis alicujus corpus in suis membris vel pluribus, vel nobilioribus, licet paucis. Etsi enim interdum tota aliqua communitas generatim peccet, non tamen Deus omnia illius membra singillatim punit; nec etiam statim supplicium exigit, sed nonnunquam pro sua lenitate ac longanimitate diu parcat, ac resipiscentiam expectat; quod dum fit, multi sæpe fontes moriuntur, qui pœnam videntur effugisse. At cum frustra Deus expectavit, & tolerantia tempus præterit, tandem posteros, illorum peccatorum veluti hæredes, punit, & debitas ab iis pœnas exigit, & eo pacto majores ipsorum simul supplicio afficit, quorum scelera per posterorum pœnam traducit, & eorum etiam memoriam execrabilem reddit; censeturque tum totus ille populus aut familia, pro uno veluti homine, cujus diversæ fuerint ætates, & quod de ultimis

sumitur supplicium, id propter conjunctionem ac successionem de omnibus antegressis, qui ejusdem sceleris rei fuerant, sumtum censetur. Cujus rei exemplum vel Hierosolymitanum excidium nobis præbet, ut ex S. Lit. apparet Matth. 23. 34 & seqq. confer cum præced. à v. 29. Luc. 11. 49 & seqq. confer cap. 19. 42 & seqq. Deinde peccata quorundam sunt occultiora, aut minus notabilia, quorum pœnas Deus, nisi alia interdum accederet occasio, ad eas repetendas impellens, fortasse non exigeret, sed quia alium quempiam, iis conjunctum punire vult, ideo eas pœnas exigit, ut per horum veluti latus, alterum quoque illum petat & affligat. Nonnunquam per totum aliquem populum aut familiam peccata aliqua serpunt, aut à variis varie, diversoque tempore peccatur, quæ sigillatim vindicta divina non persequitur, sed interdum tum demum, ubi is, qui familiae aut populi istius caput ac princeps est, aliquid singulari dignum pœna admisit, quem personarum conjunctarum supplicio punire vult: ideo totum populum aut familiam generatim punit. Quod si simul innocentes aliqui pereunt, aut damnum patiuntur, ut infantes, quos promissio aliqua divina propriaque pietas ab ea re non defendit, id vel non ex Dei consilio revera fit, sed ob ipsam rei naturam, ut cap. 1 diximus; vel si ex Dei fit consilio, id non in ipsorum, sed in aliorum potius, cum quibus conjuncti sunt, pœnam cedit. Nam ea afflictio, quatenus in ipsis innocentibus acquiescit, pœna non est, sed eatenus demum, quatenus in ipsis nocentibus terminatur; adeoque id revera pœnæ rationem habet, quod ad ipsos nocentes inde redit damni ac nocimenti; ipsa innocentium afflictio, quatenus ipso- rum propria est, & in ipsis terminatur, medium tantum quoddam est, per quod pœna exercetur; & quatenus quidem Deus hoc pacto affligit nocentes, eo jure utitur, quod ex peccatis ipsorum proprie manavit, cum ea afflictionem hanc vere fuerint merita: quatenus autem ipsos innocentes affligit, cum id absque illorum consensu fiat, jure utitur dominii absoluti, quod in creaturas omnes habet, citra omnem cujusvis delicti rationem; utiturque tum innocentibus illis ut rebus suis, quibus nihil ultra id, quod naturæ illorum consentaneum est, seu quod naturaliter incurrere possent, mali aut doloris imponit. Quatenus autem quis jure dominii utitur, quod citra delictum in rem aliquam habuerit, eatenus, ut diximus, non punit, licet id faciat occasione delicti alicujus, eumque in finem, ut pœnas ejus exigat. Neque enim omne id, quod fit ob delictum aliquod, eumque in finem, ut ejus pœna exigatur, protinus pœna est. Quandoquidem multi res ac pecunias suas sponte sua prodigunt, multaque patiuntur damna & incommoda, ut alios ulciscantur ac puniant, nec tamen ea ipsa damna pœnæ sunt; alias seipsos punirent. Quæ de re inferius plura dicuntur.

Quandoquidem ergo hætenus ostendimus, non esse simpliciter injustum punire quempiam ob aliena delicta, si nempe is ipse, de cujus pœna agitur, eam fuerit commeritus; quivis facile intelligere potest, multo minus id esse contra naturam pœnæ, cujus etiam rei in verbis suis mentionem facit Grotius; cum

ne illud quidem ad naturam pœnæ requiratur, ut is ipse, qui puniendus est, pœnam revera fuerit commertus, sed satis sit, ut illi peccatum qualecunque, sive proprium sive alienum, sive verum sive falsum, apprensam tamen, imputetur, isque dignus propterea censeatur, qui affligatur ac male tractetur: quam ad rem sufficit hominibus crudelibus atque iratis, aut imprudentibus, conjunctio ejus, de cujus pœna agitur, cum nocente, aut eo, qui nocens esse censeatur, ut liberorum cum parentibus, servorum cum dominis, subditorum cum magistratibus, aut ipsorum liberorum, consanguineorum, servorum denique ac subditorum inter se, & amicorum quorumvis, præsertim eorum, qui id agunt, aut agere videntur, ut nocens pœnam effugiat. Ubi enim ira locum habet, ibi vindicta quoque ac pœna. Habet autem locum, natura ipsa inspecta, in omnibus illis, quos diximus, ut ipsa testatur experientia. Requiritur quidem, tum ad iram, tum ad pœnam, ut in eo, qui puniendus est, culpa atque injuria, quæ vindicanda sit, si non primo, saltem secundo, veluti in quodam culpæ alienæ hærede aut particeps, videatur hære, eique hoc pacto quippiam censeatur accessisse, quod illi per pœnam sit detrahendum. Ea enim vindictæ ratio est. Ad id vero, ut ita censeatur, sufficit illa, quam diximus, cum nocente conjunctio. Nam simili ratione potest quispiam rem à parente sibi ablatam, à liberis repetere, tanquam ejus hæredibus, ad quos tamen nec res ipsa, nec rei pretium pervenerit, quod non nisi injuste fit. Quod si quippiam ad eos revera pervenisset, jure id ab illis postularetur. At delicti alieni nemo re ipsa fieri potest particeps, & ejus veluti hæres, nisi suo ipsius delicto; & ea actus vitiositas, quæ propria pœnæ causa est, personam delinquentis non egreditur, adeoque neminem nisi eum ipsum, qui peccavit, ad pœnam obligare potest: interim videri potest personam ejus quodammodo egredi, & in alios ei conjunctos veluti dimanare, eosque dignos afflictione reddere; quod cum fit, iis alienum delictum imputatur, & tanquam meritoria ejus afflictionis causa consideratur: eoque pacto innocens etiam ob alienum delictum puniri potest, licet, ut sæpe jam diximus, injuste.

His ita explicatis, possemus transire omnia ea Scripturæ loca, quæ ideo adduxit Grotius, ut probaret, non esse simpliciter injustum, aut contra naturam pœnæ, ut quis puniatur ob peccata aliena; cum nos utrumque fateamur. Veruntamen ne quis forte exstimet, ut Grotius quidem arbitratus est, ex iisdem etiam probari posse, ob aliena peccata, vel innocentes fuisse à Deo punitos, vel, quod eodem tandem recidit, qua innocentes, adeoque, cum nihil in Deum cadere possit injusti, innocentes ob aliena peccata juste puniri posse; ideo loca illa ascribemus, & id, quod Grotius putavit, ex iis haudquaquam evinci docebimus. Ex quo illud quoque patebit, Grotium, si in proximis verbis suis illud etiam se dicat subaudiisse, quod antea expresse dixerat, peccata aliena considerari tanquam causam meritoriam ejus pœnæ, de qua loquatur, id, quod asserit, locis istis Scripturæ non prebasse. Neque enim id probari ex illis potest, nisi simul

ostendatur, vel innocentes fuisse punitos, vel quæ innocentes.

Antequam autem ea loca enumeret Grotius, prius monet Partic. 6, se loqui de injustitia, qua ex rebus oriatur, non qua ex jure positivo, ut quo nequeat imminui divina libertas. Atqui meminisse debebat, jus positivum etiam illud esse, quod ex promissione divina, qua seipsum Deus hominibus obstringit, aut ex ejusmodi effato, quod promissionem aliquam tacite in se includit, pendet. *Promissio* enim, ut ipsemet capite superiore dixerat, *jus dat parti, quod ab ea auferri sine injuria non potest*. Quare jure positivo, ab ipsius Dei voluntate profecto, restringitur aliqua ex parte ac limitatur ipsius libertas. Unde Grotius ipse d.l. subjicit: *quantquam ergo promittere est liberum, tamen liberum non est promissa frangere, & quæ sequuntur*. Quorsum autem hæc à nobis dicantur, inferius apparebit.

Loca, quibus Grotius Partic. 7 dictum suum, de quo hætenus egimus, probare nititur, ita ab eo citantur Exodi 20. 5, & 34. 7: *Deus visitat parentum iniquitates in filios, nepotes & abnepotes*. *Patres nostri peccaverunt, & nos pœnas eorum ferimus* Thren. 5. 7. *Ob factum Chami execrationi subjicitur Chanaan* Gen. 9. 25. *Ob factum Saulis suspensi sunt filii ejus & nepotes Deo approbante* 2 Sam. 21. 8, 14. *Ob factum Davidis pereunt LXX. millia, & exclamat David, Ego peccavi & inique feci: hæc oves quid fecerunt* 2 Sam. 24. 15 & 17. *Sic ob factum Achanis filii puniuntur* Jos. 7. 24, & *ob factum Jeroboami posteritas ipsius* 1 Reg. 14. 10. *Hæc loci, inquit, manifeste ostendunt, puniri aliquos à Deo ob aliena peccata. Videat, si cui otium est, Chrysostomum* Homil. 29, in Genes. c. 4. *Tertullianum ad versus Marcionem*.

Ad hæc loca primo generatim respondemus: vel eos ipsos, quos ob aliena peccata punitos asserit Grotius, peccasse, & supplicium istud, quod sustinuerunt, commertos fuisse, licet id alienorum peccatorum causa atque occasione postmodum re ipsa subierint; vel eos non revera punitos fuisse, sed tantum alienorum peccatorum causa atque occasione afflictos, idque in eorum, ob quorum peccata affligebantur, pœnam ac supplicium. Id, quod diximus, magna ex parte Chrysostomus quoque, quem suæ sententiæ testem laudat Grotius, affirmavit eo loco, quem indicatum Grotius voluit, ut paulo inferius in examinatione loci Genes. 9. 25 apparebit. Et si vero rationes hujus responsionis nostræ tunc indicabuntur, ubi singula testimonia à Grotio adducta discutiamus: tamen ea generali ratione confirmari potest. Triplicem ob causam, ut ex ipsius Grotii dictis constat, fieri potest, ut alterum affligere liceat: vel antecedenti affligentis jure, quale est jus dominii, quod is habeat in eum, quem velit affligere; vel justo ac valido consensu ejus ipsius, qui sit affligendus; vel denique ejusdem delicto. Jus illud, quod ex consensu ejus ipsius, qui affligendus sit, proficiscitur, hic nullum habet locum, nam Deus nec in comminatione sua, quam primo loco citavit Grotius, nec in exemplis istis, consensus illius ullam habuit rationem; & res ipsa unumquemque monet, in iis hunc consensum nequaquam accessisse, imo interdum ne accedere quidem potuisse, ut

eum infantes ob alienum delictum fuerunt afflicti. Restat ergo, ut Deus eos, de quorum afflictione agitur, vel jure suo delictum antecedente, nempe jure dominii absoluti, quod in eos ipsos habuerit habeatve, affixerit, aut se afflicturnum pronunciarit; vel eo jure, quod ex propriis ipsorum delictis manarit. Si illo, afflictio ea respectu eorum, quos jure dominii afflixit aut affligit Deus, pœnæ rationem non habuit habetve: si hoc, pœnæ quidem rationem habuit aut habet afflictio ista, sed eatenus ii, qui eam sustinent, nec revera sunt innocentes, nec qua innocentes affliguntur. Posterius unicuique per se manifestum est. Prius supra à nobis ea ratione probatum est, quod is, qui punit alterum, eo jure utitur ad eum affligendum, quod ex delicto aliquo oritur: quale non est jus absoluti dominii, quod quis citra omnem delicti cujuscunque rationem in quempiam habuerit. Deinde quod qui jure illo dominii quempiam affligit, is eo utitur, ut re sua, & sibi plane propria. At nemo rem suam, qua talis est, punire potest. Alias enim seipsum puniret, utpote in quo nocumentum illud, quod ea res sustinet, ultimo terminatur. Deinde inter punientem, & eum qui punitur, eatenus jus & injuria versari potest. At inter dominum & rem ipsius, qua talis, nec jus est nec injuria. Indicat idem pœnæ cupiditas, seu ira. Cui enim irascimur, eum tamquam noxium & adversum consideramus, qui nobis, aut alicui ex nostris injuriam intulerit. Quatenus autem hæc in quempiam cadunt, eatenus alienus est. Quare dum vindictam de eo sumimus, ab eo ut alieno nostrum repetimus, non vero eo tanquam nostro utimur. Idem vindictæ ratio, quæ forma pœnæ est, indicat. Quo enim pacto potest quis rem suam, qua talis est, ulcisci, ab eaque vindictam repetere? Pœnæ ac vindictæ ratio in eo consistit, ut id, quod lædens per injuriam nobis detraxerat, ab eo repetamus, & nobis vindicemus. At quo pacto id præstamus, quatenus re nostra utimur, & jus istud persequimur, quod citra ullam injuriæ rationem nobis competebat? Interdum quidem simul ista duo facimus, & dum jure nostro delictum antecedente utimur, simul vel eum ipsum, in quem jus illud nobis competebat, vel alium quempiam punimus; verum persecutio illa juris nostri delictum antecedentis, vel medium tantummodo est, quo interveniente pœna alicui infligitur, ut antea aliqua ex parte explicuimus; vel jus, quod delictum antecessit, eatenus, quatenus punimus, prætextus tantum quidam vindictæ ac pœnæ est. Nam quod ad prius attinet, sæpe fieri solet, ut dum quispiam jure suo utitur, quod illi citra delicti alicujus rationem competebat, afflictio ac detrimentum quoddam ad alterum inde redundet, quod tunc, cum eum punire nolumus, si animum nostrum spectes, ex accidente est: at, si eum punire velimus, per se à nobis spectatur ac quæritur. Quod ad posterius attinet, fieri potest, ut quis tacite jure suo, quod antea alterius delictum in se habebat, vel penitus, vel aliquousque cesserit, & id vel nunquam, vel nondum persequi cogitet, sed postea delicto ejus aliquo irritatus contra faciat, & quatenus eum punit, jure illo utatur, quod ex ipsius in se delicto manarit: quia tanquam ab ingratis, & afflictionem aliquam merito, bene-

ficiam repetit. Atque eatenus tantum id, quod exigitur, pœnæ rationem habet. Quatenus autem aliquid beneficii rationem habet, eatenus id à benefactore alieni juris factum censetur. Constat ergo, Deum eatenus, quatenus jure dominii, quod citra delicti rationem in homines habet, quempiam afflixit, eatenus eum non punivisse: ac proinde eos, quorum fit mentio in locis à Grotio citatis, vel à Deo revera punitos non fuisse, vel si puniti fuerunt, eos id perpeffos, qua nocentes fuerunt ac pœnam commeriti.

Quia vero in tota hac disputatione sæpe occurrit distinctio afflictionis ac pœnæ, qua hæc etiam, quam nunc attulimus, ad testimonia à Grotio citata nititur responsio; ideo hoc loco lectorem, harum rerum minus forte gnarum (nam cæteri per seipsos id facile intelligunt) discrimen istud animadvertere cupimus. Intelligendum igitur est, afflictionem, si pro corporali vexatione sumatur, genus esse pœnæ corporalis; si pro nocumento ac damno in universum, genus etiam esse pœnæ in universum; ita ut omnis quidem pœna sit afflictio, at non viceversa omnis afflictio sit pœna. Afflictio v. g. fuit, quod iste, de quo Joh. 9, cæcus fuerit natus, at pœna nequaquam; cum nec ob proprium, nec ob parentum peccatum id illi contigerit, ut D. Jesus apertissime docuit, sed ut apparerent in ipso Dei opera yf. 2, 3. Itaque neque respectu ipsius cæci, nec respectu parentum pœnæ rationem habuit ea cæcitas, sed simplex tantum fuit afflictio. Pœna autem ea demum afflictio est, quæ vindictæ rationem habet. Qua vero in re vindictæ consistat ratio, & paulo superius, & cap. 2 à nobis est explicatum. Unde alterum consequitur discrimen, quod pœna nemini imponi possit nisi eo jure, quod ex delicto ipsius oritur. Id enim vindictæ ratio postulat: alioqui injusta futura. Afflictio autem, quemadmodum vidimus, possit cuiquam imponi citra ipsius delictum, vel jure dominii absoluti, quod quis in affligendum habeat, vel eo jure, quod ex ipsius affligendi valido consensu proficiscitur. Itaque ad pœnam justam meritum requiritur ejus, qui puniendus est, ut vulgo etiam intelligunt: ad afflictionem non requiritur. Ex eadem pœnæ forma nascitur tertium discrimen; quod propria pœnæ causa impulsiva proëgumena seu interna est ira, quo nomine iræ quoque analogum voluntatis actum complectimur: at afflictionis non omnis ea est causa, sed sæpe contraria, nempe amor ac benevolentia. Indidem & quartum proficiscitur discrimen, priori aliquo modo affine; quod pœnæ, qua talis est, sit tantum nocere ei, quem punis, non vero ei benefacere, & felicitatem ejus quærere: at nihil prohibet, quominus is, qui alterum affligit, primo ac per se nihil aliud, quam ejus ipsius, quem affligit, bonum ac felicitatem quærat. Itaque fieri potest, ut quis ei, cui afflictionem imponit, præmium proponat, quo ei afflictionem illam abunde compenset: quemadmodum sane tum Christo, tum martyribus, infinitum afflictionis præmium à Deo fuit propositum, & Christo jam persolutum: at pœnæ naturæ id prorsus repugnat; quia id omnem vindictæ rationem evertit. Ex quibus differentiis, præsertim tribus prioribus, satis etiam apparet, cur innocens puniri jure nequeat,

nequeat, affligi jure queat; quanquam discrimen ali-quod inter innocentes facere solet Deus, cum ii du-plicis etiam sint generis. Alii enim ideo innocentes sunt, quia per ætatem non possunt esse nocentes: alii quia, licet possint, nolunt tamen. Illorum inno-centia est naturæ ac necessitatis, horum virtutis. Il-lis Deus eas afflictiones, quas alias naturalis eorum conditio afferre posset, ob aliena delicta interdum imponit: his ne istas quidem vere imponit, h. e. tunc immittit, cum ipsa natura eas non affert, nisi in ipsorum bonum sint cessuræ.

His ita generatim explicatis, restat ut singula loca à Grotio Partic. 2 adducta consideremus. Quod ergo attinet ad locos Exod. 20. 5. & 34. 7, ii loquun-tur de nepotibus & abnepotibus iis, qui parentum vestigia sequuntur, eorumque peccata imitantur, ut ipse Grotius agnovit supra cap. 1, ubi priorem locum adduxit, agens de loco Thren. 5, 7, quem hic statim subjungit. Idem censent omnes. quotquot hac de re legere mihi contingit, Theologi, & ipsa etiam Legis Mosaicæ, præter naturalem rei æquitatem, evincit ratio. Nam nisi de iis tantum filiis, nepotibus aut abnepotibus hic sermonem esse velis, qui per ætatem pœnam mereri nondum possunt, & in quos ea nullo jure potest cadere, sed tantum afflictio, qua parentes ipsi ob sua peccata puniantur; fieri non potest, ut salvis Dei promissis in Lege Mosaica ex-tantibus, liberi aut nepotes parentum impiorum in-nocentes ab ipso punirentur. Neque enim inno-centiæ ac pietati cujusque in Lege proposita fuit impu-nitas, vitæque felix ac longæva, quam peccatis pœna; nec plus apud Deum, omnis æquitatis fontem, un-quam potuit alienum peccatum, ad cujuspiam pœ-nam, quam propria pietas & innocentia ad ejus im-punitatem. Deus in eodem verborum contextu pro-mittit, se posteris eorum, qui ipsum diligant, & mandata ejus observent, benefacturum in mille-simam generationem; contra posteris impiorum in tertiam tantum & quartam generationem mala mi-natur: satis ostendens, longe plus apud se ad præ-mium posse pietatem, quam impietatem ad pœnam. Undæ Sacræ Literæ testantur. Deum ob pietatem parentum aut majorum, impiis etiam liberis ac po-steris pepercisse, ut de posteris Davidis legimus: quomodo ergo ob propriam pietatem non multo magis pœnam, quam parentes tantum commeruif-sent, ab iis averteret, etiamsi tandem per naturam liceret eam illis infligere? Æquitas, ut vulgo etiam notum est, suadet, ut nocens potius dimittatur, quam innocens puniatur. Deus, qui ipsa est æqui-tas, mallet innocentem, & per omnia sibi obse-quentem punire, quam nocentem dimittere, aut aliquanto mitius punire, & ejusmodi puniendi rationem in Lege sua sanciret, qua facile plerorum-que in ea Lege observanda studium retardaf-set? quotus enim quisque ex posteris iis, qui me-minissent, aliquem ex majoribus suis, ea Dei commi-natione comprehensum, impium fuisse, quales in toto aliquo populo fere sunt innumeri, pietati tan-topere voluisset incumbere, & Legem tam duram implere, si, utut eam servasset, nihilominus ei ma-jorum parentumve delicta fuissent luenda? Quare eos liberos posterisque, qui à Deo ob parentum aut

majorum peccata puniuntur, ipsosmet deliquisse, & pœnam commeritos esse necesse est. Qua de causa verba illa, quæ cap. 20 extant, *qui oderunt me*, à doctissimis interpretibus & explanatoribus, vel ad liberos, nepotes & abnepotes nominatim, vel æque ad liberos & posteros atque ad parentes referuntur. Quo autem pacto ii liberi aut poster, qui ipsosmet supplicium sunt commeriti, ob majorum delicta pu-niri queant, & horum iniquitates in illis visitari, su-perius est à nobis explicatum.

Ad locum Thren. 5. 7, partim nos, partim Gro-tius Partic. 9. cap. 1 respondit. Nos enim ostendi-mus, nec pœnæ nomen, quod utrobique in sua in-terpretatione expressit Grotius, ibi haberi, nec de ea verba ista, si eorum spectes mentem, intelligenda esse. Grotius vero ibi ostendit, istos, de quibus sermo est, patrum suorum vestigia fuisse sequutos, adducens ejusdem cap. verba, quæ extant vers. 16: *Vae nobis quia peccavimus*. Quamquam id etiam alias ex istorum temporum historia satis est manifestum. Quare etiamsi tandem de vera pœna capienda essent ea ver-ba, ex iis tamen nequaquam colligi posset, inno-centes fuisse à Deo punitos.

Ad locum Genes. 9. 25, ubi ob factum Chami ex-secrationi subicitur Canaan; responsionis loco affer-re possumus ea, quæ Chrysostomus ibidem notavit, ad cujus ea de re testimonium nos remittit Grotius Partic. 10. Quamquam pro cap. 4 Genes. notari apud ipsum debuit cap. 9. Nam cap. 4 nihil tale extat, nec homiliæ numerus congruit. Chrysosto-mus igitur, cum causam attulisset, cur Noah noluerit ipsi Cham maledicere, ita porro, Oecolampadio in-terprete scribit: *Quare autem cum alius peccavit, ille pœnam luit? neque hoc absque ratione factum est. Quia pater non minorem pœnam & cruciatum habuit quam filius. Scitis enim quomodo sapenumero patres orant, ut filiorum pœnas ipsi ferant: & quomodo gravius illis est, videre filios suppliciis affici, quam si ipsi forent ob-noxii. Factum igitur est hoc, ut ille ob naturalem in pue-rum amorem, majorem sentiret dolorem, & benedictio Dei servaretur inviolata, & puer accepta maledictione suorum propriorum pœnas peccatorum lueret. Nam li-cet propter Patris peccatum nunc maledictioni sit ob-noxijs, attamen verisimile fuit, quod & propter sua de-licta dederit pœnam.* * Non enim solum propter pecca-tum patris maledictionem accepit, sed ut propter se ille majorem pœnam penderet. Nam neque patres pro filiis, neque filii pro patribus pœnam luunt, sed unusquisque pro suis peccatis pœnam luit. Ubique hoc à Prophetis di-ctum invenimus Jerem. 31. 29. Ezech. 18. 4. Deut. 24. 16. 2 Reg. 14. 6. Sicut cum dicunt: Comedentis uvæ acerbæ dentes obstupefcunt. Et anima quæ pecca-verit, ipsa morietur. Et iterum: Non morientur Pa-tres pro filiis, ut neque filii pro Patribus. Hæc Chry-sostomus, qui in sequentibus quibusdam Scripturæ testimoniis probare nititur, tum ipsum Canaan Fi-lium Chami malum fuisse, & omnes qui ab illo nati fuerunt, ad malum propense declinasse, adeo ut merito suo maledictionem illam sustinuerint. Sed demus etiam Canaanum fuisse, innocentem: an pro-tinus sequetur, eum fuisse proprie loquendo puni-tum, & non potius per ipsius calamitatem Patrem

* Vid. etiam Joh. Oecolamp. argum. in cap. 18. Ezech.

fuisse affectum pœna? Dices eum à Noacho fuisse execrationi subiectum; execrationem autem pœnam significare. Nos vero contra urgemus, si eum innocentem fuisse velis, cum non potuisset proprie loquendo fieri execrabilem, præsertim apud Deum, apud quem hæc imprecatio fieri debuit rata. Quomodo enim execrari & abominari Deus Justissimus ac benignissimus innocentem potest, qui eos etiam, qui in gravia prolapsi peccata resipuerunt, amore paterno complecti, & in gratiam recipere, ab initio mundi est solitus? Quapropter si Canaanum innocentem execrationi subiectum velis, necesse est, ut in voce execrationis improprietatem quandam agnoscas, qualem in eadem voce agnoscendam esse Galat. 3. 13, ubi Christus pro nobis dicitur factus execratio, seu execrabilis, cap. 1 docuimus, ita ut execrabilis ideo dicatur Canaan, quia damnum tale subierit, quale sustinere merentur ii, qui sunt execrabiles, aut quod execrationis effectum esse solet. Quid autem illud sit, statim explicatur in sequentibus Noachi verbis, dum additur: *Servus servorum erit fratribus suis.* Talis autem execratio, hoc est servitus, potest cuiuspiam citra respectum ad ullum peccatum, adeoque citra rationem pœnæ imponi. Nam & Esau servus est constitutus fratris minoris, cum nondum nati essent pueri, & neque boni, neque mali quicquam fecissent, tantum pro arbitrio & voluntate decernentis Dei Rom. 9. 12, 13. Gen. 27. 37. Malach. 1. 2, 3. Ubi etiam notandum est, Deum dici odisse Esau, Jacobum autem dilexisse, eo ipso, quod illum huius servum constituit; odium autem execrationi valde est affine. Atqui odium istud non potest proprie intelligi, cum, ut jam indicavimus, nulla delicti ibi habeatur ratio, imo satis aperte ab Apostolo excludatur. Ubi autem delictum nullum, ibi nec Dei odium locum habet. Sensus ergo est, Deum ita cum Esau egisse, atque si ipsum odisset; vel minus illum quam Jacobum dilexisse, qua ratione accipitur eadem vox Luc. 14. 16. Confer cum Matth. 10. 37. Eodem pacto execrabilis dici potuit Canaan, quia non secus tractandus esset, ac si eum Deus fuisset execratus; quandoquidem eum servum fratrum suorum constituturus erat, quanquam in pœnam & supplicium patris, quemadmodum Chrysostomus docuit.

Sequitur apud Grotium Partic. 11 locus 2 Sam. 21. 8, 14, ubi ob factum Saulis suspensi dicuntur filii ejus & nepotes Deo approbante. Sed vel filii & nepotes isti Saulis haudquaquam fuerunt innocentes, nec pro innocentibus à Deo habiti, vel proprie loquendo non fuerunt puniti, sed tantum in ipsius Saulis pœnam & ignominiam afflicti. In ipsius enim Saulis supplicium eos fuisse neci traditos, patet ex verbis Gibeonitarum, quorum injuriæ vindicandæ, isti fuerunt suspensi. Nam cum David quæsisset, quidnam pro injuria sibi illata postularent, responderunt vers. 5: *Virum illum qui perdidit nos, & qui cogitavit adversum nos, &c. Dentur nobis septem viri è filiis ejus, & affigemus eos Jehovæ.* Quam sententiam interpretatio Tigurinorum & veteris interpretis adhuc apertius confirmat. Sed quid est, quod evincat, eos, qui suspensi fuerunt, pro innocentibus à Deo habitos fuisse, præsertim si, ut consen-

taneum est, ea fuerunt ætate, ut supplicii justii essent capaces? Imo si ex historia aliquod in alterutram partem peti potest indicium, contrarium indicare videntur verba ipsius Dei, quibus causa redditur, ob quam fame affligerit terram, quæ causa eadem est, ob quam isti fuere suspensi. Unde etiam eo facto fames cessavit. Ita vero loquitur Deus Vers. 1: *Propter Saulem, & propter domum sanguinariam, eo, quod interfecit Gibeonitas.* (a) Non frustra ipsam domum seu familiam Saulis eo nomine sanguinariam vocat, sed innuere videtur, eam generatim culpæ fuisse asfinem, ac peccatis suis commertam, ut hoc parentis factum illi imputaretur, & in illa puniretur. Et verisimile est Deum tam diu pœnam huius sceleris distulisse, donec appareret, an filii ac nepotes digni essent, qui paterni sceleris pœnam luerent, nec ne. Audi Plutarchum in eo libello, quem infra commendat & pro se citat Grotius, de iis qui sero à numine puniuntur. *Non omnia, inquit, parentum peccata Dii in liberos convertunt: sed si quis de malo nascitur bonus, tanquam bene affectus corpore natus de morbo, is generis pœna liberatur, (b) tanquam ex improbitatis domo in aliam familiam datus. Qui vero morbo in similitudinem generis refertur atque redigitur vitiosus, ei nimirum convenit tanquam heredi debitas pœnas vitii persolvere.* Et postquam attulisset exempla eorum, qui pœnas à majoribus commertas effugerunt, addit: *Nati enim si malis, boni ipsi fuerunt. Sed quorum natura amplexa est cognatam malitiam, hos justitia similitudinem pravitatis persequens supplicio affecit.* Ethnicus hanc Numinis æquitatem ac justitiam agnovit, quam Christianos repudiare minime decet. Ipsa nempe naturalis ratio monet, justum atque innocentem ob aliena delicta puniri ac perdi jure non posse; quam sequutus olim Abrahamus, ita Deum alloquitur Genes. 18. 23: *Absit à te ut rem talem facias, & interficias justum cum impio, fiatque ut impius, sic justus. Absit à te. Num is, qui judex est universæ terræ, judicium non faciet?* Idem ex Legis Mosaicæ ratione, sub qua Saulis posterii vixerunt, antea docuimus. Quare si ii justii ac innocentes fuissent, à Deo, ea ratione puniri ac perdi non potuissent.

Quarto adducit Grotius Partic. 12 locum 2 Sam. 24. 15 & 17, ubi ob factum Davidis periisse leguntur LXX millia, exclamante Davide: *Ego peccavi, & inique feci: hæc oves quid fecerunt?* Sed si omnes isti vere fuerunt à Deo puniti, ut hic ponitur, necesse est eos pro innocentibus minime fuisse à Deo habitos, tunc propter naturalem justitiæ, tum propter fœderis, quod illis cum Deo intercedebat, rationem. Indicat etiam illud, quod ab initio capituli legitur: *Deum fuisse iratum Israël.* An enim Deus aut solet aut potest irasci iis, quos innocentes esse optime novit, & qui ipsius præceptis omnibus parent, eum ex animo colunt & reverentur? Certe si Vatablo credimus, nec huius ipsius facti ratione prorsus fuerunt innocentes. Is enim explicans illud Exod. 30. 12: *Cum censum egeris secundum capita filiorum Israël, juxta numerum eorum, dabunt singuli redemptionem animæ suæ Domino, quando eos censueris, ut non sit in*

(a) Vide annot. Jun. & Trem. in hunc locum. (b) Ita Cluserius: Xylander aliter, sed proculdubio mendose.

eis plaga, cum ipsi censentur, ita annotat: per redemptionem, oblationem intelligit, qua redimebant vitam suam. Nam aliqui Deus interficiebat eos, ut fecit temporibus David. Unde apparet, eum statuisse, tempore Davidis cum populus censeretur, non persolvere singulos dimidium Sicli, quo animas suas redimere, & ab interitu liberare debebant. Quæ sententia haudquaquam videtur repudianda. Fieri etiam potest, ut populus in hanc Davidis superbiam, qui eum proculdubio in finem, ut vires ac potentiam suam cognosceret, populum numerare iussit, consentiret. Nam quod David ait: *Ego peccavi & inique feci, hæc oves quid fecerunt?* Id eo sensu ab ipso proferri potuit, quod populus non esset istius delicti, ob quod puniebatur, auctor, & licet aliquantum exorbitasset, tamen si ejus culpa cum ipsius noxa conferretur, illa propemodum pro nihilo esset censenda. Isto enim pacto loqui solemus, cum alicujus delictum extenuare, & eum, qui punit, aut punire vult, ad misericordiam flectere volumus. Quod si eos ratione hujus ipsius negotii prorsus fuisse innocentes contendas, nihilominus statuendum est, ob rationes superius explicatas, eos, ut generatim fuerint puniti, ita & generatim pœnam hanc fuisse commeritos. Potuit enim Deus pœnam, quam alias meriti fuerant, eo potissimum temporis articulo exigere, ut hac ratione Davidem ipsorum Regem puniret, & superbiam ejus retunderet. Nam per istorum, ut ita dicam, latus Davidem fuisse petiitum, indicant tum verba ipsius Dei, quæ Davidi iusserat nunciari, tum Davidis ad ea responsio vers. 12, 13, 14. Magna enim est conjunctio, ut ipse Grotius infra docet, inter Regem & ipsius populum, ita ut hoc afflicto aut punito, præsertim ob Regis culpam, ipse Rex puniri merito censeatur, & contra. Et hæc quidem pœna ad vires & potentiam Davidis, qua efferebatur, minuendam pertinuit, ipsique Davidi non exiguum dolorem attulit, ut locus abunde docet.

Quinto adducit Grotius Partic. 13, locum Jos. 7. 24, ubi ait ob factum Achanis punitos filios. At si filii prorsus fuerunt, nempe per ætatem, innocentes, non est concedendum, eos proprie loquendo punitos, sed in pœnam tantum patris afflictos. Quæ ratione cæteræ quoque Achanis res, quas nemo vere punitas dixerit, in ejusdem ignominiam & pœnam fuerunt combustæ. Verum quales isti Achanis liberi fuerint, an prorsus innocentes, nihil constat: imo ne illud quidem constat, an hujus ipsius facti ratione prorsus fuerint infantes. Contrarium sane suspicatur Beza, qui adversus Castellionem in responsione ad defensionem tertiam Matt. 1. 19 ita scribit: *Quid si quos habuisset (Achan) sceleris sui celandi conscios? & fortassis hæc vera causa est cur una cum eo tota ipsius familia sacrilegii luit.* Et paulo ante dixerat: *eum nomine (nisi forte quopiam ex suis) conscio sacrilegium commississe.*

Partic. 14. Ultimus locus est 1 Reg. 14. 10, ubi ob factum Jeroboami posteritas ipsius punita scribitur. Sed posteritas illa imitata est ipsius peccata. Constat id tum ex aliis, tum ex vers. 13 ejusdem cap. ubi Pagnino interprete ita legitur: *iste solus (Abia) de Jeroboam ingreditur in sepulchrum, quod in eo in-*

venta sit res grata Jehova Deo Israël in domo Jeroboam: vides hunc solum pœnæ generis aliqua ratione exemptum, quod in eo quippiam esset, quod Deo probaretur: unde reliquos, qui puniti fuerunt, malos fuisse & pœna dignos, apparet. Quod aperte dicitur de Nadabo filio Jeroboami, qui paternorum sceelerum pœnas luit cap. 15. 16 & seqq. Atque hoc in ipsius etiam Jeroboami pœnam cessit, ut patet ex cap. 14. 10.

Quod concludit Grotius: *Hos locos manifeste ostendere, puniri aliquos à Deo ob aliena peccata*, id nihil contra nos aut Socinum facere jam antea ostendimus, quanquam ne id quidem omnes loci à Grotio adducti ostendunt, præsertim, ut ipse ait, manifeste.

Hinc autem patet, Grotium Partic. 15 Socini verba in alienum cogere sensum, cum subjungit: *Socinum objicere illud apud Ezechielem Ezech. 18. 20: Anima que peccavit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, neque pater portabit iniquitatem filii.* Nam Socinus hoc tantum ex isto loco voluit concludere, Deum statuisse, ne quisquam alterius loco puniatur, quemadmodum tum in libri margine notatum habes, tum in ipso textu satis est expressum. Itaque duplici modo peccavit Grotius: primum quod Socinum ita sibi hic objicientem facit, ac si is ex hoc loco probare vellet, id, quod his Dei verbis adversatur, natura sua injustum esse, quemadmodum tum ex superioribus Grotii dictis, quibus ait Socinum hunc Ezechielis locum objicere, tum ex ejusdem ad hanc objectionem responsione constat, qua de re postea dicitur. Deinde cum Socinus ostendere velit, vi istius divini effati, non debere alterum loco alterius puniri; Grotius ita ejus verba accipit, ac si is probare vellet, non debere quempiam ob aliena peccata puniri. Atqui ista differunt, potest enim quispiam puniri ob aliena peccata, nec tamen interea illius, ob cujus peccata punitur, loco. Nam qui quempiam alterius loco punit, is alterum illum, cujus vice hunc punit, eo ipso pœna liberat. Atqui cum Deus quempiam punit ob aliena peccata, non protinus eum, ob cujus peccata hunc supplicio afficit, pœna liberat, imo eum sæpe in finem id facit, ut alterum quoque illum hac ratione supplicio afficiat. Urfit hæcenus Grotius, liberos Achanis & Saulis ob parentum suorum peccata punitos. An vero Achan ipse & Saul pœnas interea effugerunt? Plura hujus rei exempla ab ipsomet Grotio inferius afferuntur. Constat vero inde, neminem à Deo loco alterius puniri, etiam si is ob peccata aliena puniatur, quod neminem puniri à Deo ostendimus, nisi ipse met pœnam eam sit commeritus, & sic eam suo nomine tum debeat tum persolvat. Quod autem quis suo nomine debet ac persolvit, id non potest alterius loco ac vice simul persolvere. Idem statuendum est de iis, quos ob aliena peccata afflictos tantum diximus jure dominii absoluti. Nam ne illi quidem alterius loco afflictionem illam persolvere potuerunt, cum eam Deo suo nomine deberent, propter naturalem istam, qua ipsi tanquam domino suo absoluto, citra omniem cujusunque delicti rationem fuerunt obstricti, obligationem. Aliam rationem, qua probetur, neminem revera posse alterius loco corporalem pœnam

pœnam persolvere, licet habita ratione intentionis ac consilii ejus, qui punit, id fieri queat, infra videbimus. Sed videamus, quid respondeat Grotius.

Respondet ergo Partic. 16: *Deum his verbis non quid necessario sibi faciendum sit docere, sed quid facere libere decreverit. Non magis ergo, inquit, hinc sequitur iniquum omnino esse, ut filius ullam paterni delicti pœnam ferat, quam iniquum esse ut non moriatur peccator. Locus ipse evincit, non agere hic Deum de jure perpetuo & immutabili, sed de ordinario providentia suæ cursu, quo se posthac adversus Judeos usurum proficitur, ut omnes calumnia ansas abrumpat.*

Sed ex iis, quæ paulo ante diximus, apparet, hanc responsionem, quatenus in ea affirmatur, Deum his verbis non quid necessario sibi faciendum sit docere, sed quid facere libere decreverit, ad ratiocinationem Socini ex hoc loco ductam convellendam nihil facere. Et si enim Socinus statuit, juris naturalis rationem prohibere, ne alter pro altero puniatur; non tamen id revera istis verbis probat: sed, cum jam antea ratione docuisset, non debere nec posse corporalem pœnam, quam unus debeat, ab alio persolvi; addit porro, Deum testatum esse, se ab hac æquitate non recedere; atque ad id probandum hunc Ezechielis locum adducit, cui addit Deut. 24. 16 & 1 Reg. 14. 6. Etiam si igitur ex hoc loco probari haudquaquam posset, hoc Dei effatum ex ipso naturali jure profectum, non tamen sequeretur, Socinum male hinc argumentatum esse: cum ad ejus argumentationem satis sit, Deum testatum esse, se nolle ut quisquam loco alterius puniatur, itaque faciendum statuisse, quo verbo in margine libri Socinus utitur. Inde enim nihilominus sequitur, contrarium ejus, quod in his verbis asseritur, iniquum censendum esse ratione temporis consequentis, ad quod Socinum respicere satis erat, cum ei ostendendum esset, iniquum futurum fuisse, Christum nostro loco à Deo puniri. Deus enim salva justitia ac rectitudine à decretis suis, licet libere factis, recedere non potest, præsertim si per ea jus aliquod sit acquisitum alteri, ut hoc loco accidit. Jus enim acquisitum est hoc Dei effato omnibus innocentibus, etiam si nocentibus sint conjunctissimi, ne alienorum peccatorum pœnas luant, utut tandem à natura jus istiusmodi non haberent. Veruntamen quid est, quod, ut Grotius loquitur, evincat, Deum in hoc effato non loquutum esse de jure perpetuo & immutabili, & sic libere decretum hujusmodi fecisse? an quod Deus in iisdem verbis dixit: *Anima que peccavit, ipsa morietur?* Nam cum hujus decreti contrarium non videatur esse sua natura iniquum (neque enim per se iniquum est, peccatorem non mori) consequi etiam videtur, decretum hoc à Deo libere factum esse. Sed non animadvertit Grotius: non dicere hic Deum, peccatorem omnino moriturum: (id enim aperte pugnaret cum eo, quod Deus in hoc cap: infra affirmat, se nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat *ys. 23. 32.*) sed id eum dicere velle, non alium, sed *eum ipsum*, qui peccaverit, moriturum. Omnis enim vis atque emphasis est in voce *ipsa*, quæ præfigitur verbo *morietur*, quasi dicat: cum mortem ob peccata infligere volue-

ro, nulla alia anima, seu nemo alius, nisi is ipse qui peccaverit, eam pœnam feret: quod statim explicatur, dum additur: *filius non portabit iniquitatem patris, neque pater portabit iniquitatem filii, justitia justi super eum erit, & impietas impii super eum erit.* Quare si dicere velit Grotius, hujus decreti contrarium sua natura non esse iniquum, id ipsum, quod in controversia nunc versatur, pro concessio sumet. Quod si forte de peccatoribus non resipiscenibus tantum Deum loqui velit, quos Deus morte omnino velit plectere; ut alia nunc mittam, ipse Grotius censet, cum justitia Dei pugnare, eos non punire.

Dices forte, ex eo constare, Deum hic non loqui de eo, quid perpetuo fecerit, sed quid post id demum temporis sit facturum, quia hoc pacto juret se effecturum, ne amplius sit locus proverbio isti *ys. 3.* quod tum vulgari sermone in populo Judaico jactabatur: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Nam si Deus antea quoque eodem pacto cum innocentibus impiorum parentum filiis egisset, quemadmodum in posterum se proficitur acturum, vel antea quoque proverbio isti non fuisset locus, vel si nihilominus fuit, quomodo hac ratione se effecturum jurat, ne quis eo amplius utatur? Ipsemet igitur indicare videtur, se hactenus aliter hac in parte egisse, & Israëlitas causam habuisse aliquam, cur ita loquerentur, quam porro non sint habituri. Sed præterquam quod & illius temporis historia, & omnes, quos quidem vidi, interpretes doceant, falso & inique Israëlitas isto proverbio usos, adeoque Deum id, quod in eo jactabatur, haudquaquam fecisse: id vero est illud ipsum, quod Socinus iniquum esse contendit; præter hoc, inquam, scopus verborum idem monet. Nam si ita se res haberet, ut objectio illa postulat, Deus sese ab iniquitatis crimine, quod ipsi objiciebatur, haudquaquam vindicasset, imo id non obscure agnovisset. Nam cum ei objiceretur tanquam res iniqua, quod ab innocentibus liberis paternorum scelerum pœnas exigeret, (id enim sibi velle proverbium istud omnes norunt) Deus nec factum ipsum negasset, imo, ut ratiocinatio ista fert, tacite agnovisset, nec tamen ulla ratione ostendisset, id æquitati esse consentaneum. Nihil enim est in toto hoc loco, quo probetur, æquum esse ut liberi innocentes paterna scelera luant; sed tantum proficitur Deus, se id non facturum, & causam ejus rei ex ipsa æquitate petitam affert. Atqui Deo propositum fuisse, hac oratione ab iniquitatis crimine sese vindicare, præter rationem manifestam, ea quoque verba indicant, quæ bis in hoc capite ponuntur *ys. 25 & 29: Et dicitis: non est aqua via Domini. Audite nunc domus Israël: Num via mea non est aqua?* Quapropter tantum abest, ut Deus hic fateatur, se hactenus à filiis innocentibus ac justis paternorum peccatorum pœnas repetiisse, ut potius ostendere velit, ab Israëlitis id sibi iniquissime fuisse objectum, eosque hac ipsius oratione convictos, id ei porro haudquaquam objecturos. Itaque ut ad objectionem istam respondeamus, non ex eo solo Deus futurum indicat, ut Israëlita definant eo proverbio uti, quod innocens filius paternorum delictorum pœnas non sit in posterum persoluturus, sed etiam ex hac aperta

ejus rei denunciatione, quam eventus ipse comprobet, ac porro sit comprabaturus, quaque ita sit convicturus omnes, ut agnoscant, se suorum scelerum pœnas dare. Recenset enim v. 6, 7, 8, item 10 & seqq. ea flagitia, quæ ab iis, qui de iniquitate divinarum pœnarum sibi infligatorum aut jam imminentium conquerebantur, designari vulgo solebant, eorumque se pœnas ab ipso scelerato exacturum profitetur. Quare cum conscientia eos scelerum istorum convinceret, jurat Deus fore, ut porro proverbio isto uti definant. Sententiam hanc perspicue expressit Johan. Tofarrius in sua hujus loci paraphrasi, cujus verba non pigebit adscribere. Ita enim caput hoc orditur: *Dominus autem ostendere volens, se bona ratione ac iusta de causa Hierosolymorum excidium meditari, quodque non patrum sive majorum suorum culpa aliqua (ut ipsi sibi persuadebant) sed de propria quisque plecteretur, atque pœnas daret, verba hinc mecum facturus dixit: Quorsum spectat, & quid sibi vult, quod tritum adeo inter vos adagium est, quo in terra Israëlita passim dicitis: Patres nostri comederunt uvam acerbam, & dentes nobis, eorum filii ex ea obstupuerunt? quasi ea quæ vos fertis mala, patrum vestrorum culpa verius feratis quam propria. Sed ita mihi perstet mea vita, dicit Dominus Deus: Ego vos vestra iniquitatis ita convincam, ut nemo unus inter vos amplius futurus sit, qui eo adagio in terra Israëlita utatur.* Idem velle videtur Oecolampadius, qui ita ad 1. 3, notat: *jurat (Deus) non ferendam parabolam, quia sit manifestum futurum, unumquemque peccatorum suorum luere pœnam.* Quamquam Junius & Tremellius ita ea Dei verba acceperunt, ac si ideo jurasset futurum, ut Israëlita proverbio isto uti definerent, quia manifesto, & illico, ac præsentissima editurus esset judicia sua in singulos eorum, cum peccaverint. Quæ ratio longe est diversa ab ea, quam objectio ista postulat. Sed quid multis opus? ipsa ratio, ob quam Deus à filio paternorum delictorum pœnas se non exacturum profitemur, satis ostendit, rem hanc ex ipsa æquitatis natura fluere, & sic à Deo perpetuo fuisse usurpatam. Nam cum Israëlitas ita objicientes aut interrogantes introduxisset Deus vers. 19, & dicitis, cur non portaret (vel, ut est in Hebr. portavit) filius iniquitatem patris? ita respondet: *Filius judicium & justitiam fecit, omnia præcepta mea custodivit, vivendo vivet.* Quæ ratio tum ex Fœderis Antiqui, tum ex media æquitatis ac justitiæ natura petita est. Eadem autem in tota hac oratione, licet aliis verbis, aliquoties inculcatur, atque inter alia etiam istis: *justitia justis super eum erit, & impietas impiis super eum erit.* Quare, ut alia nunc mittamus, quæ de hoc loco dici adhuc possent, satis apparet, absque causa Grotium scribere, Deum hic agere de ordinario providentiæ cursu, quo se posthac adversus Judæos usurum profitemur, ut omnes calumniæ anfas abrumpat; tacite interim indicans, Deum ante id tempus aliter agere solitum, & post id tempus etiam extraordinarie aliter agere potuisse. Chrysostomus sane id, quod in hoc loco continetur, ad omnia tempora accommodavit, nec minus ante hanc prophetiam, quam postea valuisse ostendit eo loco, ad quem nos Grotius remisit, quemadmodum ex ejus verbis superius * adductis patet.

* Partic. 10.

Pergit Grotius Partic. 17: *Neque magis ad rem facit, quod scriptum est Deut. 24. 16: Ne morte afficiuntur patres pro filiis: neque filii pro patribus: sed quisque ob peccatum suum morte afficitur. Cujus etiam sit mentio 2 Reg. 14. 6. Lex enim hæc est ex parte postiva, lata hominibus à Deo, qua Deus non adstringitur, ut qui eam sibi nusquam tulerit, neque vero ulla lege possit adstringi. Manifesta quoque est rationis diversitas. Quia potestas hominum ætior est quam Dei. Quod infra clarius explicabitur, ut jam taceam in hominibus metui abusum potestatis, in Deo non metui.*

Ad id quidem, quod Grotius hic agit, locus ille Deuteronomii proprie non pertinet: sed nec eo à Socino refertur. Is enim, ut supra vidimus, hoc & superiori loco non id vult probare, natura injustum esse quempiam puniri ob aliena peccata: sed ex Dei sententia non debere quempiam alterius loco puniri, etiam si illi conjunctissimus fuerit. Ait autem eam sententiam, quæ in illis Ezechielis verbis extet, diserte scriptam esse Deut. 24. 16, habita ratione rei ipsius, non vero personæ pœnam irrogantis, hoc est, vel Dei, vel Magistratus; cum in neutro istorum locorum personæ punientis fiat mentio, sed simpliciter tantum asseratur, eum ipsum, qui peccaverit, moriturum, aut morte afficiendum, non filium pro patre, aut contra patrem pro filio. Quamquam id, quod in isto Deuteronomii loco respectu magistratum dicitur, jure ad ipsum quoque Deum refertur, quatenus magistratus in pœnis irrogandis ipsi erant subordinati, ita quidem, ut Deus, quemadmodum Grotius infra cap. 10 ait, pœnas legis ordinarie per judices exigeret, ipsemet tum, si judices in officio cessarent. Quid vero est, quod Grotius ait, Deum Legem hanc, quam hominibus tulerit, sibi nusquam tulisse, cum apud Ezechielem saltem ad id, quod ea lege hominibus præcepit, seipsum obligarit? Quod si dicat, non legem eam esse, quam sibi Deus tulerit, sed promissionem; id ad rem nihil facit: cum promissio non minus obstringat Deum, quam Lex divina eum, qui sub Dei est potestate, quemadmodum superius ex ipso Grotio Partic. 6 docuimus. Quare quod Grotius de diversitate potestatis divinæ & humanæ addit, ad rem nihil pertinet. Dei enim potestas eo usque non extenditur, ut contra promissa sua quippiam facere possit. Ne de eo nunc quicquam dicam, quod, quemadmodum judices ac magistratus sub lege potestatem pœnas exigendi habuerunt à Deo sibi datam, eaque in re ipsi subservierunt: ita etiam, si non est natura sua iniquum, ut si ius puniatur pro patre, aut contra pater pro filio, idque interdum à Deo factum est, nihil prohibuisset, quominus ipsis Deus hujus rei potestatem largiretur, & eos hac quoque in parte vellet sibi ordinarie subservire. Metus, ne illi potestate sua abuterentur, si aliquid virium habet, debuisset etiam prohibere, ne in cæteris judicandi puniendique potestas illis permitteretur; cum non minus hic quam ibi abusus locum habeat; potueritque Deus judices ea in parte certis legibus adstringere, & certum potestati modum ponere.

Subjicit Grotius Partic. 18: *Excipere Socinum, nusquam in Scriptura reperiri innocentes ob nocentium peccata punitos.* Et respondet: *exceptionem hanc ad rem*

rem non facere. Nam, inquit, cum legamus punitos aliquos non ob sua tantum peccata (quorum ratione nocentes erant) sed insuper ob aliena, sequitur punitos etiam qua non erant nocentes. Si autem ex parte aliquis potest puniri qua non est nocens, quominus & in totum possit, natura non obstat. Partium enim & totius jus est idem.

At cum hoc ipsum inter Socinum & adversarios quæretur, utrum innocens jure puniri queat, atque adeo etiam alterius loco supplicio affici, qui ad rem non facit id, quod Socinum excipere ait Grotius? præsertim cum illis verbis id quoque Socinus negasse censendus sit, quod hic respondet Grotius, punitos legi aliquos etiam qua non fuerint nocentes. Nam quod Grotius id ea ratione probari posse putat, quod aliqui legantur non tantum ob sua, sed etiam ob aliena peccata puniti *, in eo vehementer falsus est, quemadmodum ex iis constat, quæ superius ea de re diximus. Neque enim istiusmodi verbis significatur, eos, qui tum ob sua tum ob aliena scelera fuerunt puniti, duplicem pœnam luisse, alteram ob sua, alteram ob aliena peccata; aut alteram ejusdem pœnæ partem sibi vindicasse propria delicta, alteram aliena; adeo ut gravior esset ea pœna propriis eorum meritis, quemadmodum Grotius videtur velle: quo pacto fuissent ii puniti etiam qua non erant nocentes: sed significatur tantum duplicem fuisse ejusdem pœnæ, respectu singularum ejus partium, causam impulsivam, quarum altera effecit, ut ii jure puniri possent, quæ quidem fuerunt propria delicta, altera ut, cum jure puniri possent, actu etiam punirentur, eaque fuerunt aliena delicta. Quare posterior causa priorem semper præsupposuit, tanquam pœnæ legitimæ fundamentum, quo remoto nullam ipsa pœnam in eo subiecto defigere posset; adeoque nulla pœnæ pars exacta fuit, in qua non haberetur ratio propriorum delictorum, tanquam causæ meritorix ejus pœnæ. Etiam si ergo ii, qui ob aliena etiam peccata puniti fuerunt, non fuerint nocentes ratione alienorum peccatorum, non tamen dici debet, eos fuisse punitos etiam qua non fuerunt nocentes. Nam alias similiter argumentari liceret: cum quis moritur ob peccata, sive sua sive aliena, eum mori qua non est mortalis; quia ratione peccatorum non est mortalis. Unde ulterius Grotium sequuti concludere possemus: si quis potest mori qua non est mortalis, potest etiam simpliciter is, qui non est mortalis, h. e. is, qui non potest mori. Tum demum id sequeretur, si quis ob peccata moreretur non præsupposita mortalitate, id quod contradictionem involvit: eodemque pacto, si quis puniri jure posset ob aliena delicta non præsuppositis propriis, recte concluderetur, aliquem jure puniri posse qua non est nocens. Sed id ipsum in quæstione est. Quod vero diximus, Sacras Literas, cum asserunt, quempiam tum ob sua tum ob aliena peccata punitum, non significare, eum duplicem pœnam, aut delictis suis graviolem pertulisse, tum ex ipsismet Sac. Literis, tum ex Grotii dictis intelligi potest. Nam quod ad illas attinet, Deus Levit. 26. 39 ita minatur Israëlitis, si in peccata prolapsi, in iis contumaciter persisterent, nec ullis pœnis ad frugem se revocari paterentur: *si qui ex vobis residui fuerint, contabescunt in iniquitate sua, in*

terra hostium vestrorum: atque in iniquitatibus patrum suorum una cum illis contabescunt. Ubi vides, unam eandemque pœnam Deum duplicem ob causam, h. e. tum ob proprias tum ob paternas iniquitates, minari contumacibus, quam propriis ipsoꝝ sceleribus graviolem non fuisse futuram, quivis per se intelligere potest, præsertim si consideret ea, quæ de illis scribuntur vers. 14, 15, 18, 21, 23, 27. Posterii Jeroboami, Achabi, aut ipsoꝝ Israëlitarum generatim, qui suorum majorum idololatriam aut alia simul scelera sunt sequuti, & tum ob sua, tum ob majorum peccata puniti, quid gravius sunt perpassi eo, quod ob propria delicta, nulla habita ratione scelerum paternorum, ferre merebantur? Etenim vel occisi sunt, ut Jeroboami & Achabi posterii, & ex Israëlítico populo plurimi; aut in servitutem redacti & misere afflicti. At hujusmodi pœnas posterii suis ipsoꝝ peccatis erant meriti, quæ in ipsa lege satis fuerant expressæ. Vid. Exod. 22. 20. Levit. 26. Exod. 32. Num. 25. 3 & seqq. Judic. 2. 11 & seqq. & illis etiam interdum inflicta, in quibus propria tantum flagitia fuerunt punita. Si cui libet, inspiciat ea, quæ scripsit Joh. Maldonatus in versic. 35. cap. 23. Matthæi. Quod ad Grotii dicta attinet, is, ut supra quoque ex eo retulimus, ait, actum pœnalem, qui licitus sit factus ex delicto ejus, de cujus pœna agitur, posse ordinari in pœnam delicti alieni. Eadem ergo pœna infligitur tum ob proprium tum ob alienum delictum, neque is, qui eam sustinet, punietur qua innocens. Totum enim id, quod patitur, patitur qua nocens.

Pergit Grotius Partic. 19: *Adde jam quod posterii Saulis omnino erant innocentes, quo ad peccatum illud ob quod puniebantur. Si autem potest quis puniri qua innocens est, poterit & innocens.*

Largiamur nunc Grotio, quod nondum ostendit, omnes Saulis posteros, qui ob ipsius scelus suspensi fuerunt, & vere fuisse punitos, & ratione facti illius prorsus innocentes: an protinus inde sequitur, eos fuisse punitos qua innocentes? nequaquam. Fieri enim potuit, ut aliis delictis pœnam eam essent commeriti, quæ postea ob parentis factum fuerit exacta, ut ipsemet pater etiam post mortem ignominia tanta affectus in liberis supplicium lueret. Quo posito, ii pœnam qua nocentes luisse censendi sunt.

Addit Grotius Partic. 20: *Ac si quis recte attendat, innocentia non magis obstat punitioni quam afflictioni: imo illi neutiquam, nisi propter hanc. Quare distinctio nocentis & innocentis ad quæstionem illam pertinet, An affligi quispiam jure possit: non autem ad hanc, An afflictio ejus vim possit habere pœnæ.*

Quia de punitione justa hic sermo est (nam alias fatemur, innocentiam non obstat punitioni) falsum est, innocentiam non magis obstat punitioni quam afflictioni. Ostensum enim est supra *, quo jure affligi innocens possit, quo eodem tamen puniri nequeat, obstante pœnæ natura. Itaque cum innocentis afflictio justa est, pœnæ rationem, ipsius respectu non habet: cum vero pœnæ rationem habet, iusta non est. Arbitramur autem Grotium hic loqui de afflictione generatim & absolute, non vero

* Partic. 3. 5.

* Partic. 3. 5 & 7.

de ea ipsa, quæ pœnæ rationem sustinere debeat, & delicti nomine persolvi. Nam si de hac nominatim loquitur, verum quidem est, innocentiam non magis obstare punitioni, quam huic ipsi afflictioni: quandoquidem hæc ipsa afflictio pœna est: sed id ad rem nihil facit. Neque enim nos dicimus, afflictionem eam, quæ pœnæ rationem eo, quo diximus, pacto sustinere possit ac debeat, in innocentem jure cadere posse; quo concessio, etiam pœnam in eum jure cadere posse concedendum foret: sed afflictionem generatim & absolute sumtam.

Sed fulcire conatur dictum suum Grotius Partic. 21, dum ita porro inquit, *Concesso enim non esse de essentia pœnæ relationem ad peccatum proprium, concessio etiam innocentem posse affligi (ut à Deo ad tempus posse fieri fatetur Socinus) nihil afferri potest, cur ex ipsa rerum natura (nam de lege positiva hic non agimus) injustum sit, innocentem ob noxam alterius tali afflictione puniri, præsertim si ipse ad pœnam talem sponte se obligaverit, ejusque suscipienda in se potestatem habuerit, quod infra tractabitur.*

Ad hoc jam respondimus supra, ubi ostendimus, vindictæ rationem, quæ forma pœnæ est, atque adeo etiam ea, quæ illius sunt propria, obstare, quominus pœna in innocentem jure queat cadere. Vindictæ vero ratio etiam si non requirat, ut delictum vere censeatur illius proprium, seu ab eo ipso commissum, qui pœnam luere debeat; id tamen requirit, ut ei alienum saltem delictum imputetur, & veluti ipsius proprium eatenus consideretur. Id vero fit, si ita ejus delicti censeatur esse particeps, ut dignus propterea sit, qui afflictionem aliquam sustineat, etiam si ea alias foret indignus; breviter, ut peccatum alienum consideretur tanquam meritoria ejus afflictionis, quam sustinere debeat, causa. Id vero, ut supra vidimus, jure fieri non potest, si is, qui vindictam illam sustinere debeat, sit innocens. Itaque dum Grotius ita videtur argumentari, ad pœnam sufficere ista duo, afflictionem, & relationem ad peccatum, etiam alienum; quæ cum utraque in innocentem cadant, etiam pœnam cadere; non animadvertit, non quamvis relationem afflictionis ad peccatum alienum, qualis v. g. est ea, quæ versatur inter causam impulsivam simpliciter sumtam, & ejus effectum, sufficere ad pœnam constituendam, sed eam demum in qua vindictæ ratio consistit. Hanc vero in innocentem jure cadere posse.

Pergit Grotius Partic. 22: *Urget Socinus, saltem inter nocentem & eum qui puniatur, conjunctionem aliquam debere esse, quam agnoscit inter patrem & filium, inter Christum autem & nos non agnoscit. Dicit hic posset, non esse hominem homini alienum, naturalem esse inter homines cognationem & consanguinitatem, carnem nostram à Christo susceptam: sed longe major alia inter Christum & nos conjunctio à Deo destinabatur. Ipse enim designatus erat à Deo ut caput esset corporis, cujus nos sumus membra.*

Ita loquentem Grotius facit Socinum, ac si magis urgeret conjunctionem illam inter nocentem & eum qui sit puniendus, quam propriam hujus culpam. At Socinus ita non agit. Nam ad id, ut justa sit pœna, ob alienum peccatum infligenda, ex Socini sententia magis pertinet, ut is, qui eam ferre debet, eam

ipsemet sit commertus, quam ut nocenti sit conjunctus. Deinde ita Grotii verba comparata sunt, ut suspicari quispiam posset, Socinum ne nunc quidem eam, quam Grotius postea commemorat, imo ne aliquam quidem conjunctionem inter nos & Christum agnoscere, dum ait, Socinum agnoscere conjunctionem aliquam inter patrem & filium, inter Christum autem & nos non agnoscere. Id vero manifeste falsum est. Sed hæc nunc mittamus. Illud potissimum animadvertendum * est, Socinum non aliquam conjunctionem, ut loquitur Grotius, inter nocentem & eum qui puniatur, postulare, sed adeo arctam, ut is, qui puniri debet, propter eam solam delictorum alienorum esse videatur particeps, & contra nocens particeps pœnæ. Quid ergo huc facit, quod homo homini non sit alienus? an si quis apud antipodas peccet, ego videbor illius delicti particeps, aut, si is punitur, etiam pœnæ? Hac ratione etiam is ipse, qui læsus est, & pœnam exigit, tum delicti, tum pœnæ foret particeps, & magistratus, qui pœnam infligit. Nihil etiam ad rem facit, quod alia major inter nos & Christum conjunctio fuerit destinata. Socinus enim loquitur de conjunctione, quæ pœnam reipsa antecedit, non de ea, quæ demum destinatur, & pœnam consequatur. Neque enim propter eam conjunctionem, quæ demum destinatur, alter videtur particeps delicti alterius, alter vicissim pœnæ, præsertim si is, qui punitus statuitur, ad summam postea gloriam evehatur, ita cum ipso conjungi maximæ sit habendum felicitatis loco. Christus caput nostrum tum revera constitutus est, cum testis resuscitatus & ad Dei dextram collocatus Ephes. 1. 22. Coloss. 1. 18. II, pro quibus mortuus est, generatim loquendo, tunc, cum mortuus est pro ipsorum peccatis, Dei, adeoque ipsius etiam Christi inimici fuerunt Rom. 5, nedum ut ipsius membra essent. Infiniti etiam ex iis, pro quibus mortuus est, ejus manserunt hostes: cæteri per mortem ejus demum sunt ad ipsum conversi, & ejus membra effecti 1 Petr. 2. 24, 25. ad Titum. 2. 14. 1 Cor. 7. 22, 23. Johan. 12. 32. Quare ob hanc conjunctionem, nec Christus peccatorum ab iis antea commissorum, neque hi pœnæ potuerunt videri participes, qui prius insignem mortis Christi fructum senserunt, dum ea ratione ad ipsum sunt conversi, quam ullum ex ea damnum aut ignominiam sentire possent. Quamquam nullum prorsus ex ea ad Christi membra redit damnum, sed impunitas, & futuræ immortalitatis tum spes, tum possessio, qua de causa in Christi cruce cum Paulo Galat. 6. 14 merito gloriamur.

Castigat porro Socinum Grotius Partic. 23, quod perperam eam conjunctionem, quæ ad pœnas alteri ob alterius peccata irrogandas sufficiat ad carnem solam restringat: cum mystica conjunctio vim non minorem habeat.

At cum de conjunctione ista generatim agit, nupiam eam ita restringit Socinus. Qualem autem requirat, paulo ante diximus. Cum alicubi dissimilitudinem inter factum Zaleuci, oculum sibi ob filii delictum effodientis, & Dei, Christum pro nobis, ut adversarii volunt, pœnæ subjicientis, explicat, limitationem hanc addit: quia inter Christum &

* Conf. inter selib. 3. cap. 3. p. 252. & 3. 10. p. 305.

torum mundum, pro cuius peccatis mortuus est, nulla alia re ipsa intercessit conjunctio, quam ea quæ ad carnem spectat. Conjunctionem enim mysticam & spiritualem, quæ inter nos & Christum est, nihil huc pertinere jam ostendimus. Adde quod vulgo ii, cum quibus disputavit Socinus, ad hoc, ut Christus pro peccatis nostris puniri posset, sufficere putant conjunctionem, quæ est inter nos & ipsum secundum carnem, accedente spontanea ipsius ad pœnam obligatione. Id statuisse Eusebium Cæsariensem, satis apparet ex locis à Grotio adductis. Nihil de eo nunc dico, quod vox *carnis*, nisi circumstantiæ locorum aliud suadeant, possit etiam ad conjunctionem civilem, qualis est inter Regem terrenum & ejus populum, (quam an Grotius & hic & infra mysticam recte vocet, ipse viderit) extendi. Caro enim, ut in Sacris Literis fit, rei spirituali, cœlesti, ac divinæ potest opponi, & quippiam humanum & terrenum significare. Qua ratione heri dicuntur domini secundum carnem Col. 3. 22.

Ex dictis liquet, nihil adversus Socinum facere ea, quæ de mystica conjunctione subjicit Grotius Partic. 24. Similitudinem justini, vel quisquis ille fuit, ita admittimus, ut magnam in ea ipsa re, de qua agitur, dissimilitudinem urgeamus. Neque enim, si nihil injusti facit is, qui tergum illius cædit, qui peccarat manu, protinus is etiam nihil facit injusti, qui rege peccante, populum punit, si populus prorsus sit innocens. Nam peccatum non est ipsius manus, sed hominis, cujus & tergum. Itaque sive tergum cædatur, sive alia pars corporis, is tamen solus punitur qui peccavit. At si Rex solus peccet, populus puniatur, alius quispiam præter eum, qui peccavit, punitur, etiam si simul etiam Rex punitus censeferi possit.

Pergit Grotius Partic. 25: *Tandem huc devenit Socinus, ut dicat, hoc saltem non inveniri in Scripturis, punitum innocentem ob eas culpas, quarum ipse nocens impunitatem tulerit. Sed hoc quoque ad rem non facit. Nam cum per se & universaliter injustum non sit nocenti impunitatem dare (quod fatetur Socinus) neque sit injustum punire aliquem ob peccata aliena, ne in his quidem conjunctis injustitia esse poterit. Imo id ipsum injustum non esse, manifestum facit Scriptura Achabi exemplo, qui ipse suorum peccatorum accepit impunitatem, quorum pœna de filio ac posteritate ejus exacta est* 1 Regum. 21. 29. 2 Reg. 8. & 9. 10.

Locum debuisset notare Grotius, ubi ita Socinus agat, ut hic scribitur. Statim enim appareret, Socinum, dum ita excipit, non id revera agere, ut ostendat, iniquum esse quempiam puniri ob aliena peccata, qua de re Grotius hic agit; sed neminem alterius loco ac vice puniri debere. Quare dum Socini dictum ad rem non facere ait Grotius, non animadvertit ipse, se Socini dictum eo non retulisse, quo referre debebat. Et si autem videri cuiquam queat, Grotium nihilominus ostendisse, id, quod Socinus in Scripturis non inveniri dixerat, injustum non esse: revera tamen non ostendit, cum terminos quæstionis mutet. Socinus enim, ut ipsemet Grotius refert, dixerat, in Scripturis non Legi *innocentem* punitum ob eas culpas, quarum ipse nocens impunitatem tulerit: at Grotius in argumentatione sua

loco *innocentis* substituit *aliquem*, dum ait: neque sit injustum punire *aliquem* ob peccata aliena. Unde illius conclusio hæc tantum erit: non esse injustum punire *aliquem* ob ea peccata, quorum ipse nocens impunitatem tulerit. Quare id quod Socinus in Scripturis dixerat non inveniri, ab injustitiæ crimine non vindicavit hac argumentatione sua Grotius. Ex quo etiam apparet, nihil contra Socinum facere id, quod de Achabi posteritate punita dicitur. An enim de ejus innocentia quicquam testantur Sacre Literæ? imo an contrarium non satis ex iis apparet? Quanquam præterea, si Socinus in illa sua exceptione, quam ei tribuit Grotius, impunitatis facit mentionem, proculdubio liberationem à pœnis simpliciter, & omnimodam juris, quod is, qui impunitatem largitur habebat ad pœnam infligendam, respectu ipsius nocentis extinctionem, non vero certæ tantum pœnæ condonationem, aut mitigationem intelligit. At Achabus non impunitatem suorum scelerum simpliciter impetravit, sed tantum dilationem internecionis familiæ suæ ad dies usque filii, ac proinde mitigationem doloris, quem exinde cum capere necessum erat. Patet id, quod dicimus, ex 1 Reg. 21. 2. Nam alias Achabus ipse ob sua peccata morte violenta sublatu est, Deo curante; & ubi canes linxerant sanguinem Naboth, linxerunt etiam ipsius sanguinem, quæ pœna ipsi fuerat à Deo ob ipsius scelus constituta. Vide d. l. 1 Reg. 21. 19. & 22. 20 & seqq. & vers. 34. 38. Ne quicquam de eo nunc dicam, quod in sua posteritate, quæ admodum erat numerosa, & regia præterea dignitate aucta, etiam mortuus pœnas persolverit. Hæc enim ipsius quoque pœna futura erat cap. 21. 21, quæ non ablata sed dilata tantum fuit.

An recte concludat Grotius Partic. 26, *neutiquam stare à Socino Sacras Literas, qua id à Deo factum ostendant, quod ipse injustitia immerito accuset, ex dictis judicet æquus lector. Nuspian docent Sacre Literæ innocentem à Deo ob aliena delicta punitum, id quod injustitiæ accusat Socinus.*

Partic. 27 addit: *Sed neque majus illi à recta ratione præsidium, quam mirum est toties ab illo jactari, monstrari nusquam.* Ubi toties rectam rationem Socinus jactarit, quemadmodum Grotius, Socinum pungere volens, loquitur, nec tamen quatenus satis erat, monstrarit, loca notare debuit Grotius. Nam & rationis rectæ raro admodum in hoc negotio meminit, & fortasse uno tantum in loco expresse; & quomodo recta ratio id, quod asserit, ostendat, ibidem demonstravit. Locus est lib. 3. cap. 3, ubi docet, non posse nec debere pœnam corporalem, quam unus debeat, ab altero persolvi, quia afflictio unius non possit fieri alterius; cum tamen necesse sit, ut quod alterius loco persolvitur, ipsius factum fuerit, vel actu ipso, vel saltem jure, natura interim ipsa nihil obstante, quominus re ipsa ejus fieret. Cur vero innocens puniri jure nequeat, hanc rationem affert Socinus eod. lib. cap. 10, quia relativa sint pœna & delictum. Quare cum in innocente delictum non sit, nec pœnam in eum jure cadere posse. Is enim verborum ipsius sensus est, ut quivis ex ipsius loci circumstantiis poterit colligere. Quæ autem rationis istius vis sit, ex iis, quæ sup.

partic. 21 diximus, & ex proxime dicendis constare poterit.

Quod ergo ait Grotius Partic. 28, *esse quidem essentiale pœnæ, ut infligatur ob peccatum, sed non item essentiale esse, ut infligatur ipsi qui peccavit, idque similitudine præmii, gratiæ & ultionis manifestum esse*; nos quoque agnoscimus: qui non ad essentiam, sed ad æquitatem ac justitiam pœnæ requiri dicimus, ut non nisi ei, qui deliquit, infligatur; nec id Socini rationem labefactat. Nam cum nihilominus ad essentiam pœnæ pertineat, ut ei, qui puniri debet, peccatum sive proprium sive alienum imputetur, & aliquo saltem modo inhærere censeatur (cetenus enim demum id pœnam ejus videri potest mereri, id quod pœnæ est essentiale) sive interim res ipsa ita se habeat, sive minus: pœna quidem simpliciter in innocentem cadit, justa cadere non potest. Nam ut ea justa sit, non tantum requiritur, ut ita censeatur à puniente, sed ut res etiam ipsa ita se habeat. At quo pacto innocenti peccatum aliquod revera inhæret? cum ne alieni quidem facinoris possit esse particeps, seu culpæ affinis is, qui revera est innocens. Quod ad præmii, gratiæ, & ultionis cum pœna comparationem attinet, eam quidem agnoscimus, ut dictum est, licet ultio sub pœna latè sumpta contineatur: veruntamen istud observandum est, etiamsi præmium & gratia possint per naturam in benemeriti liberos aut cognatos, qui ipsi nil commeruerant, conferri, si ipsis parentis aut propinqui merita aut beneficia imputentur: tamen non semper id, quod in eos ob alienum meritum aut beneficium confertur, ipsorum respectu præmii aut gratiæ rationem habere, sed sæpe respectu illius ipsius tantum, qui bene fuerat meritis, in cujus gratiam & honorem id totum fiat: ipsorum autem liberorum aut propinquorum respectu simplex tantum esse emolumentum. Quemadmodum si pater præmium, quo ipsemet debebat perfrui, jubeat persolvi filio, aut cuiuspiam amico, nihilominus ipsemet censebitur affectus præmio, filius aut amicus non nisi improprie, licet hic emolumentum universum percipiat, non ille. Idem in ultione ac pœna accidere supra vidimus. Potest enim quispiam affligere innocentem, non ut hunc ipsum ulciscatur ac puniat, sed ut ipsum innocentem per ipsum.

Quod vero Grotius ait Partic. 29, *injustitiam proprie non accidere relationi (qualis est punitio,) sed ipsi actioni, qualis est materia punitiois*; id quidem verum est, si ut ipsa verba sonant intelligatur. Nam subiectum injustitiæ illius est materia pœnæ seu afflictio: relatio illa, quæ ad formam pœnæ pertinet, causa est cur injustitia ista afflictioni inhæreat. Monuerat id * jam Socinus, cum dixit, injustitiam non ex ipsa malorum sibi non debitorum perpeffione oriri, sed ex perpeffionis vel nulla vel injusta causa sive occasione proficisci. Jam vero pœna est afflictio ejusmodi, quæ ex imputatione alicujus peccati oritur, quæ in innocentem jure non cadit. Itaque non tantum in materia pœnæ absolute ac per se considerata, h. e. in ipsa afflictione, quærendum est verum discrimen, cur non æque liceat ob aliena peccata punire innocentem, atque est præmio aut gratia afficere immerentem ob alterius meritum aut beneficium. Imputare enim im-

merenti meritum aut beneficium alienum, injustum non est: at impurare peccatum alienum innocenti, injustum. Illud enim est tribuere alteri jus, quod non habeat: hoc vero est sumere & arrogare sibi jus in alterum, quod nullum est, nec esse potest, cum id ex re ipsa, hoc est, ex delicto ipso oriri sit necesse. Quare nec illud concedimus, actum pœnalem, h. e. eam ipsam afflictionem, quæ pœnæ rationem sustinere debeat, posse esse in potestate punientis, non tantum ex delicto ejus, de cujus pœna agitur, sed etiam jure ipsius punientis antecedente, aut valido ejus, qui puniri debeat, consensu. Afflictionem quidem, quæ cæteroqui sit ejusdem generis, seu mavis speciei, cum actu pœnali, nil prohibet esse in potestate alterius duplici hoc jure, & cetenus in pœnam alieni delicti ordinari, quatenus is, qui peccavit, ea interveniente punitur: sed ea ipsa afflictio, quæ pœnæ rationem sustinet, quousque talis est, nequit esse in potestate punientis, nisi ex delicto ejus, cui imponitur, ut superius est explicatum.

Pergit Grotius Partic. 30: *Provocat Socinus ad omnium Gentium judicia. Sed primum quod ad Deum attinet, non dubitarunt Philosophi, puniri ab ipso in liberis parentum peccata*; idque probat auctoritate Plutarchi, & Valerii Maximi, & similes locos sexcentos apud historicos & Poëtas reperiri ait. Sic & populum à Deo puniri ob peccatum Regis, receptam fuisse sententiam ab Heiiodi usque temporibus.

Provocat sane Socinus ad omnium gentium Leges & consuetudines, non judicia seu sententias simpliciter, ostensurus, non fuisse ullibi receptum, ut corporalis pœna, quam unus deberet, ab altero aliquo persolveretur, & sic unus alterius loco puniretur. Alios ob aliorum delicta puniri solitos, aut alios in aliis non negat. Itaque nihil opus erat demonstrare, Philosophos aliosve sensisse, peccata parentum à Deo puniri in liberis, præsertim malis; siquidem ipsi parentes in liberis puniantur, non vero liberi parentum vice ac loco; ac præterea ipsi liberi pœnam fuerint commeriti. Plutarchum in eo libello, quem citat Grotius, id ipsum tantum velle, quod statuit Socinus, supra verbis ipsius productis ostendimus. Consentit etiam egregie Valerii Maximi locus à Grotio adductus. An non enim filius quoque Dionysii tyrannus fuit, & homo improbus, adeoque dignus qui ob paterna delicta puniretur? Deinde non innocens, nocente sponte dimisso, sed nocens pater in improbo filio pœnas dedit. Ait enim Valerius: *Dionysium dedecore filii, mortuum pœnas rependisse quas vivus effugerat*. Idem dicimus de Regibus, qui in populo suo puniuntur, quod tum fit juste, cum ipse etiam populus deliquit, ut sane semper in populo graves pœnarum causæ reperiri solent.

Seipsum vero accusat Grotius Partic. 31, dum ait: *Socinum non audere negare puniri alios ob aliorum delicta*: quorsum enim id tam fuscè probat, & contrarium Socino non obscure aliquoties tribuit? Verum probatio Grotii firma non est, dum ait: *Rem esse in pœnis pecuniariis manifestam. Satis-datorem pro reo pœna pecuniaria plecti dicere Ulpianum: in pœnam furti rectè accipi fidejussorem, asserere Cajum*. Etenim aliud est multam solvere, h. e. pecuniam eam suppeditare ac

* Lib. 3. cap. 9.

numerare Magistratui, quæ multæ rationem habeat, aliud proprie loquendo puniri aut mulctari. Illud latius patet, hoc strictius. Nam creditor, à quo reus pecuniam accipit, potest multam magistratui pro reo numerare ac solvere, quem tamen proprie puniri nemo dixerit. Sunt autem etiam satisfactores ac fidejussores, si quid pro reo solverint, creditores. Quare multam quidem aut pœnam solvunt, non vero mulctantur aut puniuntur ipsi. Is demum mulctatur, ad quem ex consilio mulctantis, damnum redire, & in quo id terminari debet. Is vero est nocens seu reus ipse, non fidejussor. Res ex Jure satis est manifesta. Nam de iis, qui vere mulctantur ac puniuntur, extat juris regula (a), quæ quidem est ipsius, quem citat Grotius, Caji: *Quod à quoquo pœna nomine exactum est, id eidem restituere nemo cogitur*. Idque ratio ipsa monstrat. Qui enim vere punitur, is, ut jam diximus, damnum pati, eique aliquid decedere debet, si consilium punientis spectes. At cui alius quispiam reddere cogitur id, quod expendit, ita ut in eum actionem instituere ad suum recuperandum possit, is nullum damnum censetur passus, sed rem suam habere judicatur. Nam ut idem habes in Regulis juris (b): *is qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur*, quod idem asserit etiam Ulpianus, dum ait (c): *Id apud se quis habere videtur, de quo habet actionem*. Habetur enim, quod peti potest. Atqui expresse ait Imperator (d): *Si quid fidejussor pro reo solverit, ejus recuperandi causa habet cum eo mandati judicium* (e). Non ergo fidejussor revera punitur. Quis igitur? ipse reus. Ait enim idem Imperator (f): *quod à fidejussoribus petitur, id ab ipso debitore peti videtur*. Quia mandati judicio redditurus est iis, quod pro eo solverint. Consilium igitur Magistratum, fidejussorem multamolvere jubentium, & legum id permittentium, non est, ut ipse fidejussor revera puniatur, aut ullum damnum patiatur: sed potius ut ipse reus pœnam sustineat, qui etsi priore obligatione liberatur, nova tamen ad idem solvendum obstringitur, & ultimo damnum in ipsum recidit. Quod si fidejussor reo postea debitum donet, ita ut ipse damnum universum sentiat, non reus; id, si legum ac Magistratum eum punientium consilium spectes, per accidens est. Nihilominus enim ipse reus eatenus damnum sensisse censendus est, quatenus pecunia sibi donata fuit mulctatus: perinde ac si longe ante ære illo donatus, postea multæ nomine id solvisset. Quare Ulpianum non satis proprie loquutum esse necesse est, qui dixit, satisfactorem pro reo pœna pecuniaria plecti: siquidem eam reo aut dat mutuo aut donat. Caji vero locus ad rem nihil facit. Aliud enim est in pœnam accipi, hoc est, eum in finem ut pœna solvatur, aliud ipsummet puniri. Neque vero Socinus, cum alicubi asseruit, pœnam pecuniariam posse pro altero solvi, voluit alterum pro altero puniri: sed tantum ab uno alterius nomine solvi posse pecuniam eam, cui multæ seu pœnæ ratio accidit. Solutio ista respectu rei, qui ob delictum suum ad pecuniam numerandam obstringebatur,

pœna est: respectu alterius creditum vel donum.

Pergit Grotius Partic. 32, & ait: *Cur in pœnis corporalibus idem jus non sit, hanc adfert rationem Socinus, quia pecunia alterius effici possit: atque ideo pro alio soluta brevis manus fictione videatur donata delinquenti, ac deinde ab ipso numerata. Corporalis autem vexatio alterius effici nequeat. Sed hoc subtiliter Magis quam vere dicitur. Nam ista ratio nonnihil facit ad pariendam ipsi reo liberationem. Verum ut alteri infligatur pœna, quam alter sit commertus, ista ratio non efficit.*

At Socinus non eum in finem discrimen istud attulit, ut ostenderet, non posse alios ab aliorum delicta affici pœna corporali, & quidem ea ipsa, quam nocentes fuerint commerti: sed ut ostenderet, non posse reipsa eam pœnam ab altero alterius loco persolveri, ita ut perinde sit, ac si is ipse eam solvisset, qui debebat: quemadmodum in pecuniariis pœnis accidit, ubi perinde est, si reus solvat, si alius ejus nomine. Æque enim reus liberatur; quemadmodum ipse Grotius infra docet cap. 6, & alias est manifestum. Idem autem contingeret in pœnis corporalibus, si, quemadmodum pecunia, ita & afflictio unius posset fieri alterius. Nam quemadmodum ipse reus statim liberatur, cum alius ejus nomine pecuniam solvit, licet propria ipsius pecunia fuerit in obligatione; nempe quia pecunia pro ipso soluta, ipsius propria facta, & sic ipsemet suam pecuniam solvisse censetur: ita etiam is, qui pœnam corporalem debet, statim liberaretur eo debito, etiam si ipsius afflictio fuerit in obligatione, si alterius afflictio posset fieri ipsius. Ea enim persoluta, ipsius afflictio soluta censeretur. Quare dum Grotius ait, *istam rationem nonnihil facere ad pariendam ipsi reo liberationem*, id, quod Socinus vult, non obscure probat. Quod vero respondet: *istam Socini rationem non efficere, ut alteri infligatur pœna, quam alter sit commertus*, id, ut vidimus, ad rem nihil facit: cum Socinus nequaquam velit, eum, qui pecuniam nocentis loco solvit, puniri, propterea quod ejus pecunia fieri possit ipsius nocentis. Itaque ne illa quidem quicquam faciunt adversus Socinum, quæ de præmio subjiciuntur. Tum demum aliquid facient, si ostenderit Grotius, etiam si lege constitutum sit, ut præmium conferatur in ipsius patris personam, idque sit ejusmodi, ut ab uno acceptum, alterius fieri nequeat, legi tamen vere satisfieri, etiam si patre præterito in filium conferatur. Id vero concedi non debet. Nam quemadmodum Grotius infra cap. 6 ait: cum corporalis pœna non solvitur ab ipso nocente, sed ab alio, aliud simul solvi, quam quod fuerit in obligatione: ita etiam cum præmium, quod Lex ipsius benemeriti personæ destinat, quodque ab uno acceptum alterius fieri nequit, alteri cuiquam solvitur, aliud simul solvitur, quam id fuerat, quod Lex solvi volebat, licet per se ejusdem sit generis siue speciei. Quare Legis voluntati tunc vere non satisficit. Illud etiam hic memoria volumus repeti, quod supra monuimus de præmiis ob parentum merita in liberos collatis partic. 28.

Quod vero Grotius Partic. 33 ait: *si verum esset, quod dicit Socinus, jam à fidejussore nolente reum forte absentem ab obligatione pœna pecuniaria liberari, pœna*

(a) Reg. Jur. l. 46. (b) l. 15. (c) De verb. signifi. l. 143. (d) Instit. lib. 3, tit. 21 de Fidejuss. (e) Vide etiam Reg. Jur. l. 60. (f) Instit. l. 4, tit. 15 de Replicat.

non posset exigere; id quomodo ex Socini dicto consequatur, ostendere debuit Grotius. An forte quia fidejussor non vult reum absentem liberari ab obligatione pœnæ pecuniariæ, ejus pecunia non potest aut non debet fieri ipsius rei, & sic pro ipso persolvi; licet is fidem suam pro eo interposuerit, & , nisi reus ipse multam solverit, se ipsius nomine promiserit soluturum?

Pergit Grotius Partic. 34: *illud maxime miror, quod Socinus dicat, omnium gentium ac seculorum legibus & consuetudinibus probatum, non posse corporalem pœnam quam unus debeat, ab altero persolvi; & postea exempla institutaque gentium quarundam affert, quæ consueverint ob unius noxam propinquos aut liberos punire.*

At nos non parum miramur, Grotium non intellexisse, quid Socinus sibi voluerit. Hoc enim voluit, ut non semel jam monuimus, & ipsius verba apertissime significant: nec lege, nec consuetudine unquam fuisse receptum, ut pœnam, quam quis corpore luere teneatur, alius, quisquis tandem ille sit, pro eo pendere possit, hoc est, ejus vice seu loco, ita ut perinde sit, siue ipse nocens pœnam illam pependerit, siue alius pro eo, quemadmodum in pœnis pecuniariis accidit. Nec unquam negavit Socinus, ob unius noxam plures puniri solitos, sed non loco nocentis, ita ut eo sponte dimisso, innocentes pœnæ corporali subicerentur. Apertissime id significavit in verbis sequentibus, dum ait: *Solent aliquando homines ira & vindicta libidine excitati in innocentes quoque sævire: maxime vero, cum eum qui ipsos læsit, vel quia eorum manus effugerit, vel quamcumque aliam ob causam ulcisci nequeunt. Sed quod, nocente ipso, consulto & sponte, incolumi dimisso, in innocentem aliquem tantummodo sæviant: id prorsus nunquam vel factum est, vel fiat.* Adeo clare mentem suam explicuit Socinus, ut mirum sit aliquem adeo negligenter potuisse ejus verba legere, ut eorum sententiam non perciperet, nedum Grotium virum tam doctum, & Socinum refutare volentem. An forte Grotius hoc quoque quod Socinum asseruisse dicimus, refellere voluit, & huc exempla ista adduxit? Id vero non minus mirum foret. Quid enim? cum ob unius noxam apud Persas peribat propinquitas, ipse nocens dimittebatur, & propinqui illius loco puniebantur? An apud Macedonas ipsi perduelles pœnæ carebant, consanguinei tantum ejus luebant noxam? Tertium exemplum Grotii id, quod volumus, aperte docet. Ait enim: In Græciæ civitatibus morem fuisse cum Tyrannis Tyrannorum liberos occidi. Non ergo liberi nocentium loco, sed una cum nocentibus puniebantur. Idem de obsidibus dicendum est. His enim occisis nihilominus ipsi hostes, à quibus obsides dati fuerant, occidebantur aut multabantur, ubi id fieri poterat. Quanquam obsidibus occisis, ipsi interdum videri poterant haud leviter puniri.

Istud nescio an recte à Grotio Partic. 35 sumatur, obsidum vel omnium, vel plerorumque, vel eorum saltem, quorum exempla adducit, consensum antecessisse, eamque ob causam non fuisse creditum injustum, alium puniri ob alterius delictum. Obsides enim sæpe dabantur filii impuberes, nonnunquam etiam puellæ, quarum assensus apud cordatiores, ut

de Romanis constat, invalidus habebatur. Alia quædam, quæ hic notari possent, transimus.

Quod vades in capitalibus suppliciis capite plecti solitos ait Grotius Partic. 36, si rei se non sisterent, id tum aliquid virium habebit, si constet primum, vade punito ita reum fuisse liberatum, ut postea deprehensus supplicium subire non cogeretur; deinde si doceatur, id more fuisse receptum. Prius non docuit Grotius. Alterum aliunde potius quam ex illa Damonis & Pythiæ seu Phintriæ historia docere debebat. An enim id, quod à Dionysio, crudelissimo tyranno, semel factum est, vel ut fieret decretum fuit, docere potest, id fieri solitum? Quanquam & illud addi potest, eos, qui ausi fuerunt in vades sævire, in ipsum potius fontem, quam in vadem, si ejus habuissent copiam, fuisse animadversuros, nec reum ideo dimisisse, quod putarent perinde esse, siue vas, siue nocens plecteretur: sed quod crederent, vadem, si tantum supplicium sibi sentiret subeundum, diligenter curaturum, ut reus se sisteret. Ne de eo nunc quicquam dicam, quod fieri potuisset, ut vades ejusmodi tum potius, cum sententia nondum esset lata, quam post damnationem admitterentur. Ut vero Magistratus reum tum, cum supplicium exigendum esset, præsentem, sponte sua incolumem dimitterent, & loco ejus vadem innocentem punirent, id nunquam factum esse crediderim, quod tamen à Deo in negotio satisfactionis factum creditur.

Discrimen, quod affert Grotius Partic. 37, cur ex consensu minus aliquis teneatur ad pœnam corporalem, quam ad pecuniariam, transmittimus. Neque enim pertinet ad id, de quo Socinus loquitur. Nam pone tandem, eandem nos habere potestatem in corpus & pecuniam, nihilominus pœna corporalis ab uno pro altero solvi non poterit, ob causam à Socino explicatam. Potest id Grotius vel ex eo animadvertere, quod cum Deus alios ob aliorum peccata punit, discrimen illud nullam vim habet, cum Deus pro suo jure, absque ipsorum puniendorum consensu puniat, nec tamen ideo alios aliorum loco punit. Nam cum Deus v.g. ob Davidis peccatum LXX millia hominum delevit, haudquaquam eos Davidis loco punivit, quasi ipsemet tot millia mortuum fuisset commeritus.

Nihil etiam iis, quæ hæcenus diximus, obstat id, quod infra commemorat Grotius Partic. 38, *Imperatores Christianos statuisse, ut commentariensis, reo per familiæ suæ culpam carcere elapso, pœnam ipsius ferret.* Nec enim credibile est, Imperatores illos statuisse, ut commentariensis loco rei puniretur, adeo ut reus postea deprehensus, & facinoris convictus, supplicio subijci non posset, tantum abest ut reo sponte dimisso, innocentem commentariensem ejus loco puniri voluerint; quod revera est illud, quod Socinus lege aut consuetudine receptum negat. Ideo autem proculdubio dignus hac pœna judicatus est commentariensis, quia culpæ familiæ suæ videretur quodammodo particeps, partim quod malorum opera uteretur, quemadmodum alibi * in re simili legimus, partim quod familiam non diligenter custodiret, &

* Lib. 4. Instit. tit. 5. De oblig. quæ quasi ex delicto nascuntur.

caveret, ne quid ejusmodi moliri posset. Quanquam hoc Christianorum Imperatorum decretum æquitatem Christianam minime redolet, & plenum acerbis à clarissimo quodam J^Cto (a) merito dicitur.

Partic. 39. Nobilium illorum, quos memorat, juris magistrorum auctoritas nos revera non ferit. Fieri enim potest, ut non is revera, qui ad pœnam capitalem pro altero sese obligat, sed magistratus tantum obligationem admittens peccet. Posset enim nonnunquam arbitrari quispiam, honestissimum esse pro reo mortem oppetere, præsertim si eum credat innocentem. Sic Christianus pro Christiano innocente, si vereatur, ne is metu mortis aliquid se indignum faciat, aut veritatem divinam abneget, aut si eum Christianæ Reipub. sese putet utiliore, posset, imo deberet ad capitalem pœnam sese obligare, itemque filius pro patre, frater pro fratre, amicus pro amico, aut viro aliquo magno, quem digniorem putet vita quam seipsum, si à magistratu talis obligatio admitteretur.

Partic. 40. Ad sequentia respondere non est opus, cum ut toties jam monuimus, Socinus non neget, lege aut consuetudine fuisse receptum, ut innocentes ob nocentium delicta punirentur. Quanquam fieri potest, ut multi ex iis, qui ita vel fecerunt, vel decreverunt, id non satis juste fieri animadverterint, sed utilitatis causa ita faciendum existimaverint. Recte ait Cicero (b): utilitatis specie in Republ. sæpiissime peccari; quod quibusdam tum Romanorum tum Atheniensium factis & legibus, vel crudelibus, vel admodum inhumanis comprobatur. Scribit Tacitus, (c) cum præfectus urbis Pedianus Secundus à servo interfectus esset, *Veteri more* familiam omnem, quæ sub eodem tecto mansitaverat, agi ad supplicium oportuisse; quem morem ibidem confirmat Lipsius. Quomodo vero hanc in tot homines innocentes crudelitatem (nam quadringenti homini isti fuerant servi, qui postea, nullo ætatis aut sexus discrimine, unius ob noxam fuerunt trucidati) defendit ibidem Cassius? *At quidam, inquit, infantes peribunt. Nam & ex fuso exercitu, cum decimus quisque fuste feritur, etiam, strenni sortiuntur. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur.* Iniquitatem facti non audet negare tantæ crudelitatis defensor, sed utilitate publica rependi putat. Hoc idem in decimatione Romanis usitata contigisse satis aperte fatetur, quam Grotius infra injustam fuisse negat.

Scribit inferius Grotius Partic. 41: *Illud quoque mirari libet, quod de Zaleuci facto ita pronunciat Socinus, ut dicat eum pessime audire, ejusque nomen inter impotentes & temerarios principes ac populorum judices censeri, & contrarium ex historicis probat.*

Sed & hic non ea, qua decuit, diligentia usus est Grotius in verbis Socini vel considerandis vel adscribendis. Neque enim ait Socinus, Zaleucum pessime audire, ejusque nomen inter impotentes & temerarios principes & populorum judices censeri: sed Zaleucum dignum esse, qui apud posteros male audiat, & inter impotentes & temerarios principes &c. censetur, hoc est, dignum, ut id fiat. Legatur integer

Socini locus lib. 3. cap. 3, nam vox *dignus* paulo antè hæc verba, quæ sola Grotius adduxit, præcesserat, quia duabus eum rebus dignum Socinus affirmat, quarum alteram commemorat Grotius. Suum ergo judicium de Zaleuci facto exponit Socinus, & non quid revera fiat, sed quid fieri jure possit, refert.

Valerii Maximi verbis de hoc Zaleuci facto recitatis subjicit Grotius Partic. 42: *Ac profecto si quemadmodum exsulandi, ita oculum sibi erudiendi libera esset homini potestas, nihil posset isto Zaleuci facto præclarius reperiri. Præsertim cum legis præcisa obligatio aut propter ipsius principatum, aut propter populi consensum cessaverit. Erravit ergo Zaleucus ut Pagani sermo omnes, quod jus sibi in corpus suum majus vero asseruit. Caterum factum istud tantopere celebratum testimonium præbet contra notitiam illam, quam hominum mentibus impressam Socinus putat, non posse quenquam alieni delicti pœnam in se suscipere.*

At si cessavit præcisa legis obligatio, ob causas à Grotio commemoratas, præstitisset, populo præsertim poscente, quemadmodum à Saule in Jonathan filio, ob violatum patris interdictum mortis pœnam commérito, factum cernimus i Sam. 14, filium liberari, & pœnam ei simpliciter condonari, vel mitigari, quam ejusmodi compensationem, qua Legi satisfieret, comminisci, qua tamen Legi satisfactum non est. Erravit ergo Zaleucus dum & in se & in filium sæviit, cum non sævire jure posset: deinde quod, etsi sævierit, Legi tamen non satisfecerit, quæ ab adultero universam pœnam exigebat, ab infante nullam. Postremus error illius est, quem Grotius notat. Neque vero factum hoc testimonium præbet contra id, quod Socinus asserit. Nec enim Socinus ait, *hanc esse notitiam hominum mentibus impressam*, non posse quenquam alieni delicti pœnam in se suscipere: sed, *rationis lumen aperte ostendere*, non debere nec posse corporalem pœnam, quam unus debeat, ab altero persolvi. Nam per notitias hominum mentibus impressas ea solemus intelligere axiomata, quæ *κοινὰ ἔννοιαι communes notiones*, appellantur, & adeo omnibus sunt manifesta, ut natura nobis videantur insita: quale est, totum esse majus suis partibus. At multa rationis lumen, quo nos Deus donavit, aperte ostendit, quæ non sunt *κοινὰ ἔννοιαι*, sed ex iis per apertam & legitimam consequentiam deducuntur, etiam si fieri possit, ut nonnulli, etiam ex doctis, contrarium sentiant, quia illis aliquid imponat, aut quia principia cum ejusmodi conclusionibus non jungant. Atque in horum posteriorum numero id reponit Socinus, de quo agimus. Posse autem multa etiam à doctis asseri, quæ rationis lumen aperte refellit, argumento sunt tot Veterum philosophorum paradoxæ theses: quales illæ: contradictoria simul posse consistere, aut inter ea esse medium; motum non esse; omnia esse unum: & sexcenta alia. Nam cum rationes in contrarium solvere non possunt, à veritate desciscunt etiam docti. In Practicis præter rationes fallaces etiam affectus varii imponere possunt alioqui prudentibus. Crudelitatem ratio ipsa repudiat. At supra ipse Grotius tum Leges tum facta admodum crudelia gentium & civitatum illarum, quæ alias humanitatis & prudentiæ laude præ cæteris fuerunt celebratæ, recensuit: quo

(a) Matth. Wefenbec. (b) Lib. 3. Offic. (c) Lib. 14. Annal.

quo pertinent etiam humanæ victimæ, quas longo ordine enumerat infra cap. 10, quarum absurditatem & impietatem Plutarchus ex ipso rationis lumine satis aperte ostendit.

Conclusurus hanc quæstionem Grotius Partic. 43, hoc proprie quæri ait, *an actus qui sit in potestate superioris, etiam citra considerationem delicti alieni, possit ab ipso superiore ordinari in pœnam delicti alieni.* Quatenus hoc à nobis vel negetur, vel concedatur, explicatum est Partic. 3, 5, & 29.

Quod de decimatione in Romanis legionibus usitata scribit Part. 44, id nihil adversum nos: cum Grotius ponat, non innocentem, sed eum, qui deliquit, puniri solitum tum pro suo tum pro alieno delicto. At hic quæritur, an innocens ob alienum delictum puniri possit, aut etiam an unus vice alterius pœnam corporalem perolvere possit. Quamquam supra vidimus, Cassium decimationem hanc ab iniquitate non liberare, quia etiam strenui sortirentur.

Ait præterea Grotius Partic. 45: *Quis injustum putet, si summa potestate Legem relaxante, vir aliquis Reip. utilis, sed ob culpam exilium meritis, retineatur in Repub. alio tamen sponte sua se ad exilium obligante, ut exemplo satisfiat?*

Exilium istud, quod alter sponte subit, licet innocens, vel vera pœna est, vel speciem tantum aliquam pœnæ habet, revera autem incommodum tantum est, quo interveniente nocens pœna liberatur. Nempe quia magistratus pœnam nocenti condonans, ne Legis apud populum forte minuatur auctoritas, ei hac specie pœnæ persuadere velit, se Legi nihilominus satisfecisse. Si vera pœna non est, nihil ad rem nostram pertinet, nos enim de vera pœna agimus. Si vera pœna est, iniquissima est, nec ei ratione Legi aut exemplo satisficit. Lex enim nocentem ipsum ad pœnam obligat, & si alterutrum faciendum sit, mavult nocenti pœnam condonari, quam innocentem puniri. Vera autem pœna, ut ex superioribus constat, erit, si innocenti delictum alterius ita fuerit imputatum, ut propter illud dignus censeatur, qui male tractetur, & non secus ac inutile aut noxium Reip. membrum ex ejus corpore ejiciatur, quo pacto exilium hoc ei ignominiosum erit apud illos, qui pœnam hanc ei infligunt, & cum infamia, quæ justum exilium sequitur, conjunctum. An vero hæc jure poterunt contingere innocenti, & quidem tum, cum amici aut reipub. causa ea sponte sua subit? ob quod factum, si id cæteroqui rectum sit, ut Grotius hic ponit, laudem, imo & præmium aliquod mereretur. Quare si exemplum nihilominus statuendum est, & retinendus in civitate is, qui deliquit, mitiganda potius aut commutanda est pœna exilii, ita ut eam sentiat is ipse, qui deliquit, & tamen in civitate maneat, quam ut exemplum tam præpostere statuatur. Si enim ita relaxare licet summæ potestati Legem, ut innocens pro nocente substituatur, quæ ratione Legi haudquaquam satisficit: cur non ita licebit Legem relaxare, ut pœna commutetur ac mitigetur, vel tandem prorsus condonetur, cum summæ potestatis jus huc etiam extendatur?

Quod ad perduellium liberos attinet, quod tertium est Grotii Partic. 46 exemplum, idem respondendum est. Nam si liberi illi innocentes exclusionem

ab honoribus vere puniantur, quod quid sit jam diximus, inique id fit. Si vero non puniuntur revera, sed incommodum tantum aliquod sentiunt, licet occasione delicti paterni, idque in ipsius patris pœnam, nihil id ad rem nostram pertinet. Tum autem sine injuria incommodum hoc sentient, si illis honores isti jure non debeantur, sed in rectoris simul arbitrio sit, eos concedere cui velit, ut Grotius hic ponit, quemadmodum sequentia ipsius verba clarius ostendunt.

Quod generatim antea dixerat, nunc ad præsens negotium transfert Grotius Partic. 47: *In facto nostro, inquit, habuit Deus potestatem affligendi Christum innocentem ad mortem usque temporariam, faciente Socino, jure scilicet dominico. Habuit & Christus concessione divina, imo ut Deus ipse potestatem, quam nos non habemus, in vitam & corpus suum. Ego inquit Christus, &c. h. e. jus & potestatem habeo ponendi animam meam Johan. 10. 18. Nihil ergo iniquitatis in eo est quod Deus, cujus est summa potestas ad omnia per se non injusta nulli ipse lege obnoxius, cruciatibus & morte Christi uri voluit ad statuendum exemplum grave adversus culpas immensas nostrum omnium, quibus Christus erat conjunctissimus, natura, regno, vadamonio.*

Si per exemplum grave adversus culpas immensas omnium nostrum intelligit Grotius afflictionem gravissimam, quæ insigne fuerit documentum, quantopere Deus peccatum oderit, quantopere nos ab eo revocatos cupiat, imo etiam quanta pœna mineat eos, qui peccatis valedicere nolint; fatemur in eo, quod Grotius ait, nihil esse injusti, & tale exemplum nos in Christi morte libenter agnoscimus, ut cap. 1 patuit. Sed, si ut disputatio hæc postulat, per exemplum istud grave adversus immensas omnium nostrum culpas, intelligit pœnam proprie dictam, seu vindictam omnium nostrorum scelerum, de Christo sumtam; tale exemplum in Christo salva justitia statui posse negamus. Quin ex hoc ipso, quod hic ponit Grotius de jure, quo Christus à Deo in mortem traditus fuerit, ostendimus supra Partic. 4. & 7, eum punitum proprie non fuisse.

Quod Christus, ut Deus ipse, habuerit potestatem, quam nos non habeamus, in vitam & corpus suum, non probatur ex illis Christi verbis Johan. 10: præsertim si Grotius per Deum ipsum, ut quidem videtur, intelligat Deum summum atque altissimum. Si enim eum tantum intelligat, qui ratione divinitatis suæ, h. e. ratione divinæ potestatis & &c. dependeat à Deo illo summo, quales sunt angeli ac magistratus; non poterit potestas illa, quam Christus habeat ut Deus ipse, distingui à potestate illa, quam habeat concessione divina; cum tota illa potestas, quam quis habet, quatenus Deus est à supremo numine dependens, sit ex concessione divina. Christum autem isto loco non considerari ut Deum summum atque altissimum, vel potius non esse, patet ex verbis sequentibus, dum statim subjicit: *Hoc præceptum accepi à Patre meo.* Loquitur autem de præcepto ponendi animam, ut eam iterum accipiat. At Deo summo atque altissimo à nemine quicquam præcipi potest. Præcipere enim superioris est, præceptum accipere inferioris. Naturarum distinctio

flinctio hic nil juvat, præsertim Grotium, qui Christum hic ut Deum vult loqui. Præceptum enim accipere proprie personæ est, non naturæ, quæ persona non sit, qualem humanam in Christo esse volunt adversarii. Deinde quid opus fuisset præceptum hoc à Patre accipere, diversa nempe persona cum humana natura id à divina in eadem persona conjuncta accipere posset, atque adeo acciperet? Itaque nec illud ex eo loco probari potest, Christum talem habuisse potestatem in vitam & corpus suum, qualem nos non habeamus; imo contrarium; partim propter verba modo dicta, partim propterea, quod hic sermo sit de potestate ponendi animam pro ovibus, ut superiora Christi verba satis docent. Atqui ejus generis potestas in vitam & corpus nostrum nobis quoque competit, qui exemplo Christi jubemur animas pro fratribus ponere 1 Johan. 3. 16, quemadmodum etiam nonnulli pro Pauli anima cervicem suam supposuisse dicuntur Rom. 15. 4. At præcipi id cuiuspiam non potest, aut à quoquam recte fieri, ad quod faciendum jus & potestatem non habeat. Quod si dicas, Deum eo ipso, dum id jubet, potestatem quoque faciendi concedere; idem de Christo concludere debes, qui hoc ipso loco ait, se id præceptum à Patre suo accepisse.

Partic. 48. Quantam in hoc negotio vim habeat, quod Christus nobis natura & regno fuerit aut sit conjunctissimus, supra visum est hoc eodem capite. Quod ad vadimonium attinet, quia procuidubio vult Grotius, ut etiam alii satisfactionis patroni, Christum se Deo pro nobis stitisse vadem, & ad pœnas nostro loco sustinendas ultro sese obtulisse: cur vadimonium istud ne uno quidem verbo probavit, aut probare conatus est? Fortasse exinde id concludi vult, quod Christus dicatur melioris Fœderis sponsor Hebr. 7. 22. At non dicitur, quod Deo pro nobis quicquam spoponderit, multo minus, quod ad pœnas nostras luendas sese Deo ultro obligarit. Fœderis melioris sponsor dicitur Christus, quia Novum Fœdus, cujus mediator seu interpres ac internuncius fuit à Deo constitutus, non tantum nobis promulgavit, sed etiam plenissimè confirmavit, ac sanguine suo sanxit, & promissorum divinorum in eo comprehensorum plenissimam fidem fecit. Nobis ergo Dei nomine spopondit, non vero nostro nomine. Tanto vero elegantius id de Christo dicitur, quod ea, quæ Dei nomine nobis promissit, reipsa etiam ejusdem nomine exhibet; quod ipsum quoque D. Auctor hac voce tacite videtur fuisse complexus. Hoc nostra postulabat imbecillitas & indignitas, quæ nisi sublevarctur, sese ad spem promissorem omnem fidem excedentium erigere non poterat. Nam tarda solet magnis rebus inesse fides. His autem promissis quid majus aut divinius; nobis contra quid indignius; Deo non erat opus sponse aut vade, qui sese ipsi pro nobis obligaret. Vades enim humanæ imbecillitatis aut indigentiae causa quæriti sunt. Nam cum debitor aut reus ipse vel conveniri ita commode non semper possit, aut non semper ab ipso debitum exigere promptum sit, vades sunt inventi, qui aut conveniri commodius, aut à quibus debitum exigere facilius posset. Deo quid ejusmodi vade opus; aut quando eum requisivisse vel admisisse legitur? Si punire

vult, semper ipsi promptum est reos ac fontes ipsos supplicio afficere. Adde quod in istiusmodi casu, de quali controvertimus, ne apud homines quidem vades usum habere solent ullum. Nam, ut antea quoque dictum est, neminem hominum unquam tam iniquum aut tam crudelem fuisse deprehendere licuit, qui reo præsentem vadem solum ad supplicium raperet. Et Deum id fecisse putabimus, idque ad justitiæ suæ demonstrationem? Quare cum Grotius non ostenderit, Deum juste pro nobis punire potuisse Christum, frustra in eo laborat, ut id sapienter à Deo factum demonstret. Nihil enim sapienter fieri potest, à Deo præsertim, quod justum non sit. Sed videamus tamen, quæ scribat.

R E S P O N S I O

Ad Caput V. quod inscribit Grotius:

An sufficiens causa fuerit quæ Deum moveret ad Christum pro nobis puniendum, & ostenditur fuisse.

A It igitur: Socinus, noluisse Deum, ut Christus pœnas pro nobis penderet, sape hoc argumento probaret nititur, quod cur Deus ita vellet, nulla causa appareat. Et in margine Annotat. lib. 3. cap. 1.

At in toto hoc capite nihil aliud Socinus docet, quam Deum jure nobis peccata, nulla satisfactione vera pro iis accepta, condonare potuisse, secundo demum capite, eum id facere voluisse, quo tamen loco istiusmodi argumento ad id probandum non utitur. Id fortasse huc pertinere putavit Grotius, quod Socinus loco eo, quem notavit, refellit certam quandam causam, qua Covetus cum plerisque aliis, necessario impulsus fuisse putabat Deum ad satisfactionem exigendam. Ejusmodi enim in Deo justitiam statuit, quæ peccatum omnino puniri debere dicit. Sed aliud est quippiam negare, aut excipere, aliud argumentari contra adversarium; aliud certam causam, & quidem necessariam refellere, aliud simpliciter asserere, causam nullam apparere, cur Deus ita velit. Eodem modo alibi quoque excipiendi potius quam argumentandi gratia, causas, quæ ab adversariis afferri soleant, refutat. Quod si alicubi concludit, quia causa hujus facti Deo digna sit nulla, ideo id ne factum quidem esse; id facit posito eo, quod nec per se consentaneum sit, nec adversarii velint, causas veras facti hujusmodi esse prorsus ignotas, & à Deo non patefactas. Quare quod subjungit Grotius, non posse jure à se postulari hujus rei causam, vel nihil adversus Socinum, vel non recte asseritur: si quidem eas causas ipse quoque manifestas esse putat, quod res ipsa etiam satis monet.

Ad causam explicandam accessurus Grotius Partic. 1 id præfatur: *Non recte Socinum postulare, ut talis*

talī causa reddatur, quæ evincat Dum aliter agere non potuisse. Talis enim, inquit, causa in his, quæ libere Deus facit, non requiritur.

Nec revera postulavit ejusmodi causam Socinus, cum ea ab adversario sponte afferretur; nec si ab eo postulasset, iniquum id fuisset censendum. Res enim illi erat cum eo homine, (quales sane sunt plerique) qui satisfactionem prorsus putabat necessariam ad hoc, ut nos remissionem peccatorum consequi possemus. Quare cum is effectum crederet necessarium, nihil iniqui postulasset Socinus, si causam, ex qua necessario hic effectus fluere, ab eo requisivisset. Quod si Grotius liberam hanc Dei actionem statuit, animadvertere etiam poterit, ea, quæ de necessitate satisfactionis à Socino disputantur, ad se non pertinere; nisi forte absurda, quæ ex hoc dogmate consequuntur, causarum gravitate velit excusare.

Ex his patet, non recte objici Socino: Partic. 3: *Tanto iniquiorum esse istam illius postulationem, quod ne ipse quidem cruciatuum & mortis Christi causas reddat, quæ aliquam secum necessitatem trahant*; cum causas ejusmodi, præsertim à Grotio, aut quocunque alio, qui satisfactionem liberam esse statuatur, simpliciter non postulet.

Sed præterea sententiam Socini Partic. 4, de causis, quæ Deum impulerint ad Christum in mortem tradendum, non recte refert. Nihil enim aliud ex ejus dictis potest erui, quod huc pertineat, quam Christum ideo ex Socini mente mortuum, ut *sanctitatis nobis viam monstraret, & ut post vitam hic innocentem actam, in cælum transferretur, & inde maiestatem suam terris ostenderet.* Et tamen addit: *Hæ sunt causæ quibus Christi mortem Socinus adscribit.* At ista nec recte sunt explicata, nec, si recte explicentur, diversas ex Socini mente causas constituunt, sed unam. Hoc enim vult Socinus. Christum *salutis viam* (non *sanctitatis*, ut loquitur Grotius) exemplo suo nobis demonstrare, ac plene confirmare non potuisse, nisi mortem violentam adiisset, & per eam demum ad immortalem gloriam pervenisset. Siquidem hæc ea via est, qua nos ad gloriam Deus vult deducere. Qua de re tum ab initio disputationis nostræ, tum cap. 1. Partic. 26, 27 dictum est satis. Viæ autem nomine hoc loco, vel non tam virtutes ipsæ nobis à Deo injunctæ intelligendæ sunt, vel saltem non solæ, sed etiam ea, quæ nobis eveniunt, ad gloriam immortalem contendentibus, quæ quidem sunt ejusmodi, ut natura sua ad æternum interitum ac infelicitatem potius ducere videantur, & revera etiam, nisi eorum vis à Deo cohibeatur, ducant. Ea ergo non ad interitum, sed ad æternam salutem ac felicitatem nos ducere, exemplo ducis vitæ ac salutis nostræ, qui iter istud ad cælum nobis primus præscriperat, demonstrandum erat, ut Div. Auctor Hebr. 2. 10 & seqq. aperte satis docet. Ad hanc rem non suffecerunt oracula & miracula, ut de sanctitatis via loquitur Grotius, siquidem imbecillitati nostræ consultum voluit Deus. Multum refert ad fidem rei, quæ alioqui videatur incredibilis aut impossibilis, faciendam, exemplum & experimentum ejus certum extare; multum etiam refert ad omnes animandos, ea subiisse omnium

maximum, ac cæteros dignitate longissime superantem, à quibus vilissimi etiam abhorrent; & cum ipsum, qui primus hoc ad felicitatem supremam iter hominibus patefecerit, idem sponte sua ingrellum eo pervenisse, quo id ducere asseruerat.

Patet hinc, Christum id sine morte, ut subjicit Grotius Partic. 5, præstare non potuisse, nec mortem sine Christo, nempe in Apostolis & Prophetis. Christus enim sine morte durissimam viæ ad salutem ducentis partem, quæ spem nostram imprimis convellere poterat, non ostendisset. Prophetæ vero & Apostoli metam viæ nondum attigerunt, eorumque exemplo nondum patet, an ad cælum ea via ducat. Ne de eo nunc quicquam dicam, quod ipsi quoque exemplum hujus rei à Christo expectarint; & illustrius in Christo, primogenito inter multos fratres, ad cujus imaginem cæteros conformari oportebat, fuerit exemplum, quam in aliis. Quare etsi per naturam Christus poterat ut Enoch & Elias, quemadmodum commemorat Grotius, in cælum sine morte transferri; decebat tamen, ut loquitur D. Auctor, Deum, ducem salutis nostræ Hebr. 2. 10, tum ob causam dictam, tum ob alias, per afflictiones consummare. Multum enim præterea intererat, eum, in cujus manu totius salutis nostræ ratio ponenda erat, singularem suum erga nos adhuc impios charitatem apertissimo argumento comprobare, & omnia mala, ipsamque adeo mortem dirissimam, quæ nobis ad salutem aspirantibus perpetuo imminet, experiri, ut misericors evaderet ac fidelis Pontifex ibid. vers. 17, 18; ut illud nunc omitamus, quod nos locis paulo superius notatis persequuti sumus, quodque attigit ipse Grotius cap. 1. de remissione peccatorum agens, ubi docet, Christum ex sententia Socini mortem adiisse, ut perhiberet testimonium prædicationi suæ, in qua poenitentibus remissionem peccatorum proposuerat; id quod hic non commemorat.

Quod ad Grotii sententiam attinet Partic. 6, primo causas affert, cur Deus pœnas æternas remittere nobis voluerit: alteram Dei bonitatem; alteram, quod alias felicitatis desperatione religio tota periisset. Posteriorem correctione quadam agere ostendimus sub finem cap. 3. Priorem prorsus admittimus, imo urgemus: quanquam illud, (nisi forte magis figurate atque oratorie, quam ad rei veritatem accurate ac proprie dictum sit) non putamus concedendum, istam Dei bonitatem, quam Grotius intelligit, *esse proprietatem Dei maxime Deo propriam.* Intelligit enim benignitatem ipsius ac clementiam seu misericordiam, ut tum loci Scripturæ ab ipso allati, tum verba, quæ mox subjicit, indicant, dum ait: *Ubique enim Deus semetipsum hoc maxime attributo describit, quod benignus sit & clemens.* Quanquam clementia benignitate est angustior, & ejus veluti pars quædam. Quandocunque enim exercetur clementia, etiam benignitas, sed non contra. Verum de neutra id, quod Grotius asserit, proprie dici potest. Bonitas quidem illa, quæ pravitati proprie opponitur, estque nil aliud, quam Rectitudo, Deo est maxime propria: sed non benignitas, ac clementia, quæ severitati opponitur & iræ, in qua tamen altera illa bonitas, h. e. rectitudo, non minus quam in benignitate versa-

versatur. Id autem, quod diximus, inde perspicere potest, quod ab iis, quæ Deo sunt maxime propria, nullum ipsius opus ita potest discedere, ut propriis ac naturalibus eorum effectis sit contrarium. Sic quia justus est, nihil unquam facere potest injusti: quia sapiens nihil potest facere insipienter: quia verax, mentiri nunquam potest. At multa Deus facere potest, & nonnunquam etiam facit, quæ cum propriis clementiæ ac benignitatis effectis prorsus pugnant, ut cum peccatores severissime punit, idque nonnunquam non expectata illorum resipiscencia. Ac ne longe abeamus, potuisset Deus omnes, qui peccaverunt, morti æternæ, nulla resipiscentiæ habita ratione subicere, quemadmodum iis, qui sub Lege vixerunt, comminatus fuerat. Atqui è diametro id pugnat cum hoc bonitatis ejus effectu, de quo nobis sermo est. Effectus proprii earum rerum, quæ sunt Deo maxime propriæ, liberæ ipsius voluntati non subjacent: effectus bonitatis hujus divinæ omnes liberæ Dei voluntati sunt subiecti: per accidens fiunt necessarii, cum promissum intervenit. Huic bonitati opponitur in Deo ira & indignatio, qua, ut infra ait Grotius, Deus se impediri testatur, quominus bene hominibus faciat. Illis autem Dei proprietatibus nihil in Deo contrarium potest existere, eaque sunt prorsus infinita. Misericordia ista, de qua in locis à Grotio citatis sermo est, non est prorsus infinita, licet sit maxima ac prorsus admiranda. Nam Deus in primo loco, à Grotio citato, ut etiam alibi, dicitur tardus ad iram, sed multus misericordia. Licet enim istis verbis significetur, majorem esse misericordiam ira: eam tamen ira aliquando terminari, satis aperte significatur. Quare statuendum potius est, hanc Dei bonitatem non esse proprietatem ita in ipso residentem, quemadmodum sapientia, rectitudo, potentia. Est quidem misericordia naturæ illius convenientior, quam contraria severitas aut ira: sed voluntatis tamen est, quod re ipsa talis sit. Quare eam non male dixeris esse constantem quandam benefaciendi voluntatem ac consuetudinem; constantem autem ita, ut nihilominus contrarius voluntatis effectus in ipso interdum existere possit, qui tamen ei denominationem non largitur eo pacto, quo bonitas hæc seu benignitas. Ab eo enim, quod crebrius aut ut plurimum fit, denominatio potius sumitur, quam ab eo, quod minus crebro. Misericors Deus dicitur in locis à Grotio citatis, licet interdum ira misericordiæ contraria in eo existat, à qua tamen non ita denominatur, quemadmodum à misericordia. Nam irasci quidem dicitur Deus, sed non iracundus, imo ne severus quidem simpliciter: contra non tantum misereri dicitur, sed etiam misericors ac miserator. Habet nempe bonitas seu benignitas ac clementia ob constantiam suam similitudinem cum habitibus, contrarium cum affectu non ita crebro exoriente.

Quod vero Grotius Partic. 7 ad dicti sui probationem affert, *Ubique Deum semetipsum hoc maxime attributo describere, quod benignus sit & clemens*, cujus rei nonnulla ex Sacris Literis adducit exempla; id etiam si concedendum esset, parum tamen firmum esset hujus rei argumentum. Potuit enim id eam ob causam fieri, quod inter omnia Dei attributa nullum

sit clementia & benignitate ipsius amabilius, nullum quo genus humanum, peccatis non modo obnoxium, sed & onustum, magis indigeat, præsertim tum, cum conscientia aut pœna delictorum urgetur, nullum quod majorem vim habeat ad nos Deo devinciendos, & ut ipsi laudes dicamus, cultum & obsequium præstemus, permovendos: quod tum per se manifestum est, tum ex iis ipsis, quos Grotius adducit, locis colligi potest. Dubium tamen est, an sapius Deus benignus ac clemens, quam potens, aut justus ac sanctus, ut alia taceam, in Sac. Literis prædicetur. Istud, antequam hinc abeamus, in plerisque locis à Grotio notatis animadverti velim, ad id, ut quis clementiæ divinæ fructum sentiat, nihil aliud requiri quam resipiscenciam ac timorem invocationemque nominis ipsius, non vero, ut quis credat, ab alio pro se fuisse Deo satisfactum. Confer locum Jonæ à Grotio citatum cap. 4. 2, cum fine cap. præced. 2 Chron. 30. 8, 9. Psal. 86. 5 & 103. 8, conf. yf. 17 & 111. 4 & 145, conser. yf. 8 cum 19, 20, 21. Esai. 55. 6, 7. Jerem. 31. 18, 19, 20. Joël. 2. 12, 13, &c. Rom. 2. 4 & seqq.

Deinde ad causas, cur Deus non nisi Christo punito æternas nobis pœnas remittere voluerit, accedens Grotius ait Partic. 8: *causam Deo, cur Christo pœnam imponeret, illa Scripturæ testimonia jam ante nobis adducta evincunt, quæ Christum ob peccata nostra traditum, passum, mortuum loquuntur. Hæc enim loquendi genera, ut ibi ostendimus, causam impulsivam notant.*

Causam impulsivam passionis & mortis Christi istis loquendi generibus designari haud diffitemur, sed non pœnæ proprie dictæ, quam nostro nomine Deus à Christo exegerit, qua de re hic agitur. Imo si Deus benignitate & clementia sua motus nobis æternas pœnas remisit, ut modo docuit Grotius; apparet, eum à nemine pœnas nostro nomine exegisse. Qua de re capite sequenti agemus fufius.

Partic. 9. Pergit: *Ex his vero, quæ de fine diximus, intelligi potest, non modo causam fuisse aliquam, sed & quæ illa fuerit: nimirum quod tot & tanta peccata sine insigni exemplo transmittere Deus noluerit. Hoc autem ideo quia omne peccatum vehementer Deo displicet, eoque vehementius quo ipsum est gravius Prov. xi. 20. Psal. 2. 5. Esai. 66. 4. Zach. 8. 17. Psal. 45. 8. Hebr. xi. 2. Cum vero Deus sit activus, & ratione utentes creaturas in id condiderit, ut suas proprietates magis testatas faceret, conveniens est illi, etiam quantopere sibi peccata displiceant actu aliquo testari: actus autem ei rei convenientissimus est pœna.*

Mirum est Grotium, cum hanc præcipuam satisfactionis à Christo exactæ causam afferre cogitaret, vel non vidisse, vel cum videret, non refutasse ea, quæ Socinus sat prolixè hac de re scripserat lib. 3. c. 2, circa finem, ubi ita inter alia dicit: *Satis se odio peccatum prosequi ostendit Deus, cum, nisi resipiscamus, & peccatis relictis, justitiæ deinceps studeamus, nos graviter punit, atque æterna morti mancipatos relinquit. Satis idem nos à peccando retrahere curat, cum vitam suam corrigentibus æternæ beatitudinis præmiū proponit. Quo præmio omnium, quæ humana mens excogitare potest, maximo & præstantissimo, quodque*

non vehementissime expetere nullo modo possumus, si quis non movetur, & ita à peccando cessat, desperandum omnino est de resipiscencia illius. Præterea, an non ex ipsa morte Christi, citra omnem peccatorum nostrorum punitionem, quantum Deus peccatum oderit, apertissime constet, cum, ut illud in nobis exstingueret & aboleret, atque ea ratione, qua supra expositum fuit, nos ad vitæ sanctimoniam traduceret, carissimum & innocentissimum filium tam atroci & detestabili morti tradere voluerit? videantur etiam sequentia*, eaque memoria tepetantur, quæ nos cap. 1. diximus de similitudine mortis Christi cum pœna *πρωτότυπον* exemplari.

Istud etiam hic observari volumus, locos Scripturæ omnes, quos Grotius de odio Dei adversus peccata citavit, aut citare voluisse videtur, eo excepto, qui de Christo, & Salomone ejus typo, loquitur, qui extat Psal. 45 & Hebr. 1, ostendere, odium istud ipsosmet peccatores spectare, & eos ad pœnam citare: quod idem ostendunt loca, quæ postmodum de ira Dei subjicit, quæ quidem sunt illa Exod. 32. 10, 11. Num. 11. 1. xvi. 22. xxv. 3 & seqq. Psal. 2. 5. vi. 1. Joh. 3. 36. Rom. 1. 18. ij. 8, 9. Eph. 5. 6. Col. 3. 6. Apoc. 6. 16. In loco Hebr. xi. 2, qui est inter testimonia de odio Dei adversus peccatum à Grotio citata, erratum est. Fortasse notari debuit cap. 2. 2, ubi de pœna transgressorum Legis agitur. Quod si autem hæc iræ atque odii divini ratio est, qui nobis Grotius talem in hoc negotio Dei iram aut odium fingit, quod ipsis peccatoribus sponte dimissis, & singulari illis amore exhibito, innocentissimum & ipsi Deo conjunctissimum charissimumque ad pœnam postularit? An non vel exinde satis patet, iram Dei haudquaquam fuisse mortis Christi causam, nec odium Dei adversus peccata fuisse ejusmodi, ut pœnam Christi requisierit, & ea fuerit expletum? Repetantur ea, quæ diximus cap. 1. partic. 1, ubi ostendimus, iram Dei causam impulsivam mortis Christi, ut hic vult Grotius, constitui nullo modo debere, cum Sacris Literis aperrillimis verbis contrariam ei charitatem causam ejus rei constituent.

Partic. 10. Pergit: *Præterea omnis peccati impunitas per se hoc habet, quod efficit ut peccata minoris aestimentur, sicut contra ratio expeditissima arcendi a peccato est formido pœnæ. Hinc illud, Veterem ferendo injuriam, invitas novam. Ergo prudentia quoque hoc nomine rectorem ad pœnam incitat.*

At si ea demum conditione impunitas offeratur, ut à peccatis in posterum abstineas, & sanctitati per omnem vitam totis viribus incumbas, quemadmodum à Deo in remissione peccatorum nobis promittenda factum est, nego ejusmodi impunitatem per se hoc habere, quod efficiat, ut peccata minoris aestimentur: imo hæc expeditissima est homines non prorsus deploratos à peccatis arcendi ratio. Et nisi ejusmodi impunitas hominibus fuisset concessa, felicitatis desperatione religionem totam perituram fuisset, & paulo ante, & cap. 3. asseruit Grotius. Religionem autem tota pereunte, an homines à peccatis arcebuntur? Nonne Grotius cap. 1, de hac ipsa impunitate agens, docere conatus est, ex ea recte in-

* Partic. 57.

ferri, nos in posterum à peccatis abstinere debere, rationem afferens hanc, quod in Sac. Literis homines summis Dei & Christi beneficiis, inter quæ primum locum obtinet ab æternis pœnis liberatio, excitentur ut sancte vivant? Quanquam nos id infirmius esse diximus, nisi addatur, beneficium tantum non nisi resipiscencia & pietate interveniente obtineri posse, quod à nobis hoc loco additur, & ex Sac. Literis est manifestum, ipsique rationi per se admodum consentaneum. Non ergo expeditissima est ratio arcendi à peccato formido pœnæ. Præmiorum amplissimorum spes longe plus roboris habet, quam formido pœnæ: idque docent inprimis Sacræ Literæ Novi Fœderis, quæ ea omnium creberrime inculcant, & illis satis aperte robur maximum à peccatis nos avocandi & pios efficiendi tribuunt. Vide inter alia 1 Johan. 3. 3. 2 Cor. 7. 1. Hebr. xi. 24, 25, 26. Col. 1. 4, 5. 2 Petr. 1. 4. Pœnæ metum incutiebat Lex Mosaica: Evangelium, quod gratia est, promissa maxime inculcat. An vero plus virium habuit Lex ad homines à peccatis abstrahendos quam Evangelium? contrarium docent Sacræ Literæ Rom. 6. 14. vii. 4, 5, 6. viii. 2, 3, 4. Degeneres animos non diuturni magister officii metus aliquo modo coercet, secundum illud vulgatum: Oderunt peccare mali formidine pœnæ: generosiores & probiores animos præmia erigunt & excitant, benignitas & clementia in officio continet. Itaque nec illud semper verum: *Veterem ferendo injuriam invitas novam**: imo sæpe, ut itidem Vetus habet senarius: *Veterem ferendo injuriam vites novam*. Unde Petrus 1 Petr. 3. 9 & seqq. ausus est pronunciare, patientiam injuriarum nobis commendans, & admonens, ne malum malo pensem, nec convicium convicio, sed potius benedicamus: *Ecquis, inquit vs. 13 est, qui sit vos afflictorum, si bonitatis amulatores fueritis?* h. e. si benefeceritis etiam iis, qui vobis injuriam intulerunt. Quanquam enim non id vult Petrus, nulla ratione evenire posse, ut secus eveniat: indicat tamen, non nisi apud homines plane improbos secus eventurum; unde statim subjungit: *Quod si tamen quippiam patiamini propter justitiam, beati, &c.* Idem indicat Paulus, locum ex Proverbiis citans cap. 12. Rom. 5. 20, 21. Quod si autem injuriæ novæ occurrere possumus apud homines malitia non prorsus excæcatos, etiam si injuriam veterem simpliciter, nulla resipiscencie conditione addita, condonemus; quid mirum, ei occurrere, cum ea conditio additur vs. 4, 5, 6? Quod si nihilominus homines in peccatis perseverant, id illorum propriæ & obstinatæ malitiæ est imputandum, qui, ut ait Paulus Rom. 2, divitias bonitatis Dei & tolerantiae & longanimitatis contemnunt, ignorantes bonitatem Dei ad pœnitentiam illos ducere, & secundum duriciem suam & cor pœnitere nescium thesaurum sibi colligunt iræ in die iræ & revelationis justi judicii Dei, qui redditurus est cuilibet secundum ipsius opera. His adde, formidinem pœnæ nihilominus ex morte Christi ad nos pervenire potuisse, etiam si Christus non fuerit punitus, quæ de re supra egimus.

Partic. 11. Addit: *Augetur præterea causa puniendi, ubi Lex aliqua publicata est, quæ pœnam mi-*

* Vide P. Syrum l. Grut. edit.

natur. Nam tum omissio pœna ferme aliquid detrahit de Legis auctoritate apud subditos.

Hæc ratio nullam vim habet, cum supra cap. 3 docuerimus, legem illam, quam Grotius intelligit, per Christum abrogatam esse. Quare fieri non potest, ut Deus illius auctoritatem morte Christi stabilitam vellet, per quam contraria ei sanctio, omnibus peccatoribus resipiscenibus remissionem scelerum omnium promittens, fuit stabilita. Deinde cum ea Lex jam ante à plurimis pœnarum exemplis esset stabilita, siquidem ut D. Auctor Hebr. 2. 2 ait, sermo ille per Angelos dictus, factus fuit firmus, & omnis transgressio ac inobedientia accepit justam mercedis retributionem; quid opus erat, eam morte Christi stabiliri? Adde quod admodum præposterum fuisset ista Legis stabilientiæ ratio, si Deus nocentibus sponte dimissis innocentissimum revera punivisset. Lex enim eum ipsum, qui peccasset, maledictioni addicebat.

Partic. 12. *Gravissimas Deo causas fuisse puniendi, si & magnitudinem & multitudinem peccatorum expendamus*, libenter fatemur. Veruntamen, ut ait Apostolus Rom. 5. 20, ubi abundavit delictum, superabundavit gratia. Addimus, gravissimas quidem Deo fuisse puniendi causas, sed puniendi nos ipsos, qui peccaveramus, non Christum, de quo controversia est. Postquam enim Deus ob tot tantaque peccata nostra nos ipsos punire noluit, nullam amplius sibi reliquit causam, cur quemquam ob peccata nostra punire vellet, eum præsertim, qui esset sanctissimus, & quo nemo ipsi esset charior aut conjunctior.

Ex dictis apparet, ea, quæ subjungit Grotius Partic. 13, plane concidere, nempe, Deum voluisse simul & clementiam, & severitatem, sive peccati odium, & Legis servandæ curam manifestare. Nam severitas cum clementia ista circa eadem numero peccata consistere non potest: & ea, quam severitatem Grotius vocat, non severitas est, sed iniquitas. Severitas enim pœnas, ut Lex constitutum est, ab iis nocentibus exigit; severitas Grotiana, nocentibus sponte dimissis, innocentissimum tantum pœnæ subjicit. Odium peccati tum aliunde, tum ex ipsa Christi morte satis apparuit, etiamsi Christus non fuerit punitus, quemadmodum tum paulo ante, tum cap. 1 ostendimus. Legis servandæ cura in istiusmodi punitione nec apparuisset, nec causa erat cur appareret. Nihil etiam ad rem pertinet ea, quæ de modo leges relaxandi disputat Grotius. Siquidem Lex non relaxata tantum fuit, sed abrogata.

Partic. 14. Istud tamen considerandum est, quod in judiciis pœnalibus, etiam divinis, commutationem inter personas admissam asserit, idque Davidis & Achabi exemplo docere conatur. De Davide adducit verba Nathanis 2 Sam. 12. 13, 14, hoc pacto: *Tralatum est à te peccatum (h. e. pœna peccati) non es enim tu moriturus (quod alioqui Lex postulabat) sed quia Dei inimicis occasionem omnino dedisti Deo contemnit obrectandi, filius iste qui tibi natus est (tibi scilicet conjunctissimus, tuæque pœna vicarius) omnino moriturus est.*

Sed primum, licet id cuiuspiam leve videri possit, expresse interseruit Grotius Prophetæ verbis voculas, *à te*, & rursus voculam *tu* yf. 13: post verba etiam

non morieris, non finit sententiam, sed ita orsus est versiculum 14, *sed quia*, omissa quoque particula *etiam*. Hæc enim non frustra facta sunt, sed ut verba tanto magis ad rem, quæ Grotio probanda erat, viderentur pertinere. Nam particulæ illæ, præsertim *tu*, ante vocem *moriturus*, expresse additæ, emphasin habent Grotii sententiæ faventem quæ, iis sublatis, non appareret. Distinctione etiam majore inter duos illos versiculos adhibita, & pro particula *sed*, voce *Veruntamen* reposita, quam plerique interpretes habent, & addita vocula *etiam*, Prophetæ verba non æque favent Grotii sententiæ. Quare nos ea, ut in Hebræo habentur, ponemus: *Dominus transire fecit peccatum tuum: non morieris. Veruntamen quia conviciando conviciari fecisti inimicos Domini in verbo hoc, etiam filius natus tibi moriendo morietur.* Deinde animadvertendum est, verba illa, *transire fecit vel transfudit peccatum tuum*, non significare translationem pœnæ in aliam personam, ut voluisse videtur Grotius, sed simpliciter ablationem & remotionem pœnæ, seu condonationem. Sic usurpatur infra hoc eod. libro cap. ult. yf. 10, ubi *transfer vel transire fac iniquitatem servi tui*, non significat transfer pœnam iniquitatis meæ à me in alium, sed aufer, condona, ut ibi præter alios notavit Vatablus. & Zach. 3. 4, ubi ita notatum est in Bibl. Mag. Rob. Stephani: *transire feci* Hebraismus pro *abstuli*, Quasi dicat, scito Dominum condonasse tibi omnia peccata tua. Eodem modo dicitur Psal. 119. 39, *transire fac opprobrium meum*, non, transfer in alium, sed *aufer*, quemadmodum nonnulli interpretes vel reddiderunt, vel annotarunt. Quia qui facit, ut aliquid transeat, is id à priori loco amovet. Similem loquutionem habes Marc. 14. 35, *ut transfret à se hora*, & yf. 36, *transfer poculum hoc à me*. Quare sensus verborum Nathanis est, Deum Davidi condonasse, & ab eo avertere decrevisse pœnam peccati ab eo admissi, pœnam, inquam, veram ac propriam, in Lege constitutam, h. e. pœnam mortis, quod statim declarat, cum addit: *non morieris*. Verum ne David putaret, se prorsus impune laturum tantum flagitium, excipit Propheta, filium, qui ipsi natus fuerat, moriturum, non quidem ipsius vice, ut vult Grotius, sed in ipsius pœnam. Acerbum enim erat Davidi filium sua culpa perire, ut historia satis indicat. Afflictus quidem fuit infans, sed non revera punitus. Neque sane recta hæc fuisset ratio abstergendi ignominiam, divino nomini à Davide apud ipsius hostes inultam, si Deus loco ac vice Davidis infantem fuisset ultus, non vero in Davidis supplicium infantem afflixisset; imo hæc res majorem adhuc, nec immerito, dedisset ansam adversariis Domini de ipso male loquendi, utpote qui innocentes nocentium loco iniquissime puniret. Sed hoc omnes vel norant, vel nosse facile poterant, liberorum ademptione puniri parentes, idque Deo, qui absolutus est omnium Dominus, licere. Qua de re superiori capite actum est.

De Achabo vero ita scribit Grotius Partic. 15, *Achabus & homicidio se & rapina inquinaverat: denunciat ei per Eliam Deus futurum, ut canes lingant ejus sanguinem. Veruntamen mox conspecto ipsius pavore, & quadam divini numinis reverentia, dixit idem Deus: non inducam*

inducam malum illud (quod scilicet & ipse meruerat, & ego eram comminatus) diebus ejus. Diebus filii ejus (qui scilicet præter suas, paternas quoque pœnas feret) inducam malum illud super domum ejus. Et subjungit, Deum & hic & in superiori exemplo pœnam in alterum transtulisse.

Hic primum sumit Grotius, Achabum non sustinuisse illam pœnam, quam ipsi Deus fuerat comminatus, ut canes lingerent ejus sanguinem, sed in filium hanc pœnam fuisse translatam. Atqui Sacræ Literæ expresse tradunt, ut cap. superiore docuimus, canes Achabi sanguinem linxisse secundum Dei verba 1 Reg. 22. 38. Ex hoc errore natus est alter, quod illa verba, *non inducam malum illud in diebus ejus*, accipit de pœna, quam Achabus in sua ipsius persona debuerat sustinere, nempe de morte cruenta, unde futurum esset, ut ipsius sanguinem canes lingerent; cum id de internecione miserabili totius familiæ Achabi sit accipiendum, ut verba ab ipso Grotio citata sat manifeste ostendunt. Et sane cum non de lingendo sanguine simpliciter, sed de Achabi ipsius sanguine fuisset loquutus Deus, quomodo potuisset dicere, se istud malum non in Achabi, sed filii diebus inducturum? ac præterea cum de morte alicujus agitur, non dicitur, malum istud in diebus illius ipsius, qui eam sustinere debeat, fieri vel non fieri. Hinc pendet tertius error, filium Achabi præter suas, paternas quoque pœnas tulisse. Id enim sibi vult, si ium duplicem sustinuisse pœnam, alteram quam ipse fuisset commertus, alteram quam pater. Sed quænam fuit illa pœna, quam à Patre in ipsum translatam vult Grotius? mors cruenta. An vero hanc non meruerat ipse idololatria, cui fuit addictus 2 Reg. 3. 2, 3? aut an bis mortem sustinuit, pro se semel, pro Patre iterum? Non duplicem pœnam sustinuit filius, sed pœnam gravem, duplicem ob causam, ut superiori capite docuimus. Et ut tandem ipsius Achabi tempore malum istud, quod fuerat comminatus, induxisset Deus, eandem tamen mortem ac calamitatem, quam postea sensit, fuisset subiturus filius, ut ex verbis Eliæ v. 21, 22, 24 satis patet. Quare nihil hoc exemplum juvat Grotium.

Ad ea, quæ subjunguntur Partic. 16, per superiora satis est responsum. Ideo ea non adscribimus. Illud tamen considerandum videtur, quod inter alia ait: *Deo non fuisse ἀδιδόξως punire peccata.* Non arbitror id cum velle, Deo non fuisse liberum pœnam vel infligere, vel prorsus ommittere. Repugnaret enim iis, quæ supra hoc cap. docuit, & Augustini atque Athanasii confirmavit auctoritate, liberam hanc Dei esse actionem, & alium etiam nos liberandi modum possibilem Deo non defuisse. Quod si hoc tantum vult, non parvi id momenti visum Deo, nec parum interfuisse, ut puniret; fatemur ita se rem habere, si per se spectetur. Verum si puniendi causæ conferantur cum causis parcendi, hæ, ut ipse fatetur Grotius, non parum præponderant: ita ut dici queat, eatenus non amplius Deo fuisse ἀδιδόξως non punire. Nec est quod dicat Grotius, causas quidem graviores fuisse, cur nos ipsos non puniret, quam ut puniret, sed non ut pœnam prorsus omitteret: quandoquidem nemo ob nostra peccata præter nos ipsos jure puniri po-

tuit. Quare qui neglexit causas nos ipsos puniendi, easque causis parcendi postposuit, neglexit etiam causas puniendi simpliciter, quod attinet ad ea peccata, quorum impunitatem ipsi sumus consequuti.

In Socini porro dictis errores non paucos notari ait Grotius Partic. 17, quorum primum facit, quod Socinus tradat, *justitiam punientem non residere in Deo, sed esse effectum voluntatis ipsius.* Et subjicit: *Punire sane effectus est voluntatis: sed justitia illa sive rectitudo ex qua nascuntur tum alia, tum pœnarum retributio, proprietas est in Deo residens. Scriptura enim concludit Deum esse justum, quia pœnas reddit delictis, ex effectu causam colligens.*

Hic ne erret lector, observandum est, quid justitiæ punientis nomine Socinus intelligat. Intelligit igitur ex eorum, cum quibus disputat, mente, tale Dei attributum, quod misericordiæ opponatur, & pœnas quorumvis peccatorum repetat & infligat, quod, ut Socinus notavit, in Sacris Literis non justitiæ, ut adversarius faciebat, sed iræ, indignationis, aut severitatis nomine insignitur, quæ cum in pœnis tantum appareat, longe differt ab illa Dei justitia, quæ rectitudo dicitur, de qua loquitur Grotius. Rectitudo enim Dei non minus in remittendis pœnis, quam in infligendis cernitur, imo in omnibus prorsus Dei operibus. Punientem vero illam, de qua Socinus loquitur, justitiam non esse proprietatem in Deo naturaliter residentem, satis ostendit Socinus. Sequeretur enim alias, Deum nullum peccatum impunitum relinquere posse. Nec enim potest contra proprietates istiusmodi quicquam agere Deus. Cætera apud ipsum Socinum videantur. Quare quod hic ait Grotius, *justitiam sive rectitudinem Dei esse proprietatem in Deo residentem*, id nihil adversus Socinum, qui hanc non intelligit per justitiam illam punientem. Dicit Grotius, hanc ipsam intelligi debere, quia hæc sit causa pœnarum & præmiorum; cum ex eo, quod Deus puniat, justus esse concludatur. Respondeo, Socinum loqui de justitia ejusmodi, quæ sit causa quarumvis pœnarum divinarum, & Deum ad peccata punienda simpliciter impellat. At talis non est rectitudo Dei. Licet enim hæc in omnibus pœnis divinis cernatur, non tamen omnium pœnarum est causa, aut Deum ad peccata punienda simpliciter incitat, sed tantum ad pœnas non relapscentium, ut alibi * fusius est explicatum.

Ait Partic. 18: *In hunc errorem inductus videtur Socinus, quod Dei proprietatum effectus quosvis esse credidit necessarios omnino, cum multi sint liberi, intercedente scilicet inter proprietatem & effectum actu libero voluntatis. Sic bonitatis Dei est effectus bona sua communicare. At hoc ante creationem non fecit. Ejusdem bonitatis est parcere fontibus: at parcere Deum iis, quos pœnis æternis punit, vix quisquam dixerit.*

Sed nec error est, quem ita vocat Grotius, nec id, quod Socino hic tribuitur, nisi commoda adhibeatur interpretatio, ei est adscribendum. Socinus nusquam dixit, quosvis proprietatum Dei effectus esse necessarios, nec quarumvis; sed quicquid dixit,

* Cap. 1. part. 78. & seqq. cap. 2. part. 29. 30.

ex quo id colligi posse videatur, eo redit, ut intelligatur, eos effectus divinarum proprietatum seu attributorum naturaliter in ipso residentium, ad quos eum proprietates istæ per se ac simpliciter impellunt, circa suum objectum esse necessarios. Naturæ enim suæ repugnaret, si iis repugnaret. Tale effectum est justitiæ, id quod æquum est facere, ac suum cuique tribuere; ideo id semper facit Deus, contrarium nunquam. Sapientiæ effectus istiusmodi est, convenienter omnia agere; veritatis pronunciare ea, quæ cum re consentiant, ac promissa servare. Hæc quoque circa objectum suum sunt necessaria ac Deo perpetua. Quod si justitia illa puniens esset proprietas naturaliter in Deo residens, non posset Deus non punire peccata, præsertim gravia. Ejus enim effectus proprius, ad quem per se ac simpliciter Deum impellit, est punire. *Erroneæ Instantia* Grotii nullam vim habet. Ostendimus enim antea, istam Dei bonitatem, quam intelligit Grotius, h. e. beneficentiam ac clementiam seu misericordiam, effectum esse voluntatis divinæ, non proprietatem naturaliter ac necessario in ipso residentem.

Quod subjicit Partic. 19: *Neque ideo quia liber est Deo proprietatum istarum usus, dici potest cum iis utitur sine causa facere quod facit*, si Socinum petit, ut quidem videtur, cum non ferit. Talem enim deductionem apud Socinum nusquam invenias.

Partic. 20. Alterum errorem supra quoque indicatum ait: *quod Deum peccata remittentem plane idem vult facere, quod homines, qui de jure suo decedunt*. Jure id à Socino asseri cap. 2 ostendimus; ubi etiam rationes, quibus hic utitur contra Socinum Grotius, excussimus. Ex iis autem apparet, fundamentum pœnæ proximum esse relationem rei ad personam, non minus quam in cæteris contingit, quæ ad jus crediti ac dominii pertinent, cum causa pœnæ vera ac naturalis sit læsio, seu injuriæ alteri illatæ ratio. Quare contraria Grotii assertio falsa est; & ea, quæ inde porro deducuntur, nullo nituntur fundamento.

Cum vero inter ea dicitur Partic. 21, *Socinum ut certissimum posuisse, Remp. nihil commissuram injusti, si nocentem absolvat, nisi jus proprium privati alicujus simul ladat, aut Dei Legem infringat; vel injustum sumit pro inhonesto simpliciter, quemadmodum superiora videntur indicare; vel pro eo, quod injuriam in se continet, estque adversus alterum*. Si priori modo vocem illam accipit, Socinum non ferit, qui eo loco * strictius sumit. Si posteriori modo, concedi potest, id Socinum dixisse, quanquam revera non dixit. Nam ait quidem, Rempubl. aliquid posse committere injusti, si alterutrum istorum fiat: sed non dixit, si neutrum istorum fiat, nihil eam commissuram injusti. Verum nihil est, quo falsum id esse demonstrarit Grotius. Nam primum non est necesse Rempublicam vel pro iis solis accipere qui reguntur, vel pro iis tantum qui regunt, ut facit Grotius: cum pro utrisque conjunctim sumi possit, seu pro toto communitatis corpore, cujus utilitati pœna fuerat destinata. Cur enim ei non liceat eo jure cedere, quod ipsius utilitati tantum servit? Deinde quod de temperandis aut relaxandis Legibus hic dif-

ferit, vel falsum est, vel nihil ad rem facit. Nam vel statuit, quemvis, qui absolvit nocentem ac pœnam ei remittit, temperare seu relaxare legem, quæ pœnam delicto constituerat, vel id non statuit. Si statuit; relaxare Legem poterit etiam privatus, cui per illam jus crediti in pœna acquisitum est, quod in pœnis pecuniariis usitatum esse falsus est supra Grotius. Nam de jure crediti cedere potest quisque pro arbitrio, ut idem urget. Falsum igitur erit, eo posito, multitudinem, quæ regitur, non habere jus temperandarum legum. Si non statuit id, quod diximus; nihil ad rem facit, quod de legum temperatione aut relaxatione scribit. Socinus enim de absoluteione tantum nocentis loquitur, non de relaxatione legis. Et potest sane nocens absolvi, etiamsi nulla Lex sit lata, quæ pœnam ei constituerit, modo is ex ipsa rei æquitate pœna sit dignus, unde nec relaxatione erit opus.

Justitiæ rectoris partem esse servare Leges, etiam positivas & à se latis Partic. 22, tum demum concedimus, cum de alieno jure in iis agitur, aut alioquin rector ad eas servandas se ipsum obstrinxit. An enim alioqui summus rector Leges aliis ferre non potest, quibus ipsemet non teneatur? id sane in Deo est manifestissimum, idque Grotius ipsemet supra cap. 4 urgit, quanquam non suo loco. Itaque etiamsi sine causa sufficiente non deceat relaxare Legem positivam, quam rector non sibi sed aliis tulerit, & in qua jus alienum non agatur: (temeritatis enim id foret, & inconstantia cujusdam:) tamen non protinus id injustum est, seu injurium, ut Grotius fuerat contra Socinum concludendum: adeoque si hoc sensu dicit, id non licere, dictum negamus: si non licere posuit pro non decere aut non convenire absolute; nihil id adversus Socinum. Etiamsi autem actus Legem ferendi aut relaxandi sit actus imperii, non vero dominii absoluti, nempe proprie ac proxime, est tamen hujus remote in herili imperio, quod ex dominio absoluto totum revera pendet, ejusque finis est ipsius imperantis utilitas, ad quam boni ordinis in ea communitate, cui herus præest, conservatio spectat, ut initio cap. 2 diximus. Adde quod in aliis etiam imperii generibus Lex aliqua potest ad solius imperantis utilitatem spectare, de qua cedere pro arbitrio quisque potest. Quare sine cujusquam injuria is, qui imperat, potest Leges hujusmodi relaxare. Ponimus autem in hac responsione, eandem esse rationem relaxationis, quæ est lationis Legum, ut Grotius pro concessio sumit. Alias enim, ut antea diximus, si omnis liberatio à pœna Legibus constituta est relaxatio, ut Grotium ponere est necesse, si ad rem loquutus esse censeret vellet, ea etiam privatis competet, qui pœnæ creditores à Lege sunt constituti.

Postremo illud reprehendit Grotius, quod Socinus dicit Partic. 23: *Præter Dei & Christi voluntatem non posse ullam legitimam causam reddi mortis Christi, nisi dicamus Christum meritum fuisse ut moreretur*. Et ait: *Nam inest quidem in antecedente causa meritum, sed impersonaliter. Merebantur enim peccata nostra, ut pœna exigeretur. Quod vero pœna in Christum collata fuerit, hoc ita ad Dei & Christi voluntatem referimus, ut ea quoque voluntas, causas suas habeat, non in merito Christi (qui peccatum dum*

* Lib. 3. cap. 1.

non nosset, à Deo peccatum factus est) sed in summa Christi aptitudine ad statuendum insigne exemplum: quæ tum in maxima ipsius nobiscum conjunctione, tum in incomparabili persona dignitate consistit.

Sed hæc responsio Socini dictum non evertit. Is enim loquitur de causa mortis Christi definite, eaque legitima, h. e. tali, ob quam Christus mori jure teneretur, ut cap. 1 explicuimus Partic. 16. Quod igitur in antecedente mortis Christi causa fuerit meritum, sed impersonaliter, id ad rem nihil: cum causa quærat, ob quam hæc ipsa persona morte affici jure potuerit, aut debuerit. Sed deinde non est concedendum Grotio, in peccatis nostris, quæ præter Dei ac Christi voluntatem fuerunt antecedens mortis Christi causa, fuisse meritum impersonaliter: h. e. ea fuisse commerita pœnam indefinite, cujuscunque tandem personæ, non vero definite pœnam ipsorum nocentium. Id enim est falsissimum. Peccata nostra nostram etiam pœnam merebantur definite. Suum quemque scelus ad pœnam obligat. Unde vulgo dicit solet: noxa caput sequitur, quemadmodum cap. seq. de pœnis corporalibus ait Grotius. Quare peccata nostra non potuerunt esse legitima causæ mortis Christi, licet causæ essent ejusdem impulsivæ.

Sed collectionem Socini manifestis Scripturæ testimoniis refelli ait Grotius. Nam *cur mortuus sit*, inquit, *infans Davidis, causa antecedens aperta redditur: quia David gravissime peccando occasionem impiis dederat contumeliose insultandi divino nomini. Est ergo hic meritum, sed non infantis. Et in Achabi posteritate puniendi præter meritum proprium respexit Deus ad merita peccatorum Achabi. Unde apparet causam antecedentem pœna esse quidem meriti, sed non semper meritum personæ quæ puniatur.*

Conclusio Grotii si de pœna quavis, sive justa sive injusta loquitur, nihil adversus Socinum facit. Si de pœna justa, falsa est, nec exemplis istis probatur. Nam Davidis infans punitus non fuit, sed per ejus afflictionem ac mortem David. Achabi posteritas punita quidem fuit, sed suo merito, ut fateatur Grotius. Nec est quod dicat, alienum meritum nihilominus fuisse causam legitimam, ibi quidem mortis & afflictionis simplicis, hic vero pœnæ. Nam quatenus afflictio vel in infante vel in posteritate illa terminabatur, eatenus legitima ejus causa non fuit meritum alienum, eo sensu, quo Socinus eam vocem accipit, sed tantum causa impulsiva simpliciter. Neque enim alienum meritum jus dedit Deo ad infantem illum affligendum aut posteritatem Achabi puniendam: sed ibi quidem dominium absolutum, quod in infantem habebat: hic vero meritum posteritatis Achabi proprium. Quatenus autem ex ea afflictione damnum aliquod h. e. vel dolor vel ignominia ad Davidem aut Achabum ipsum redundabat, eatenus legitima quidem ejus causa fuit alienum, h. e. parentum meritum: sed eatenus etiam non liberi, sed parentes in liberis aut per liberos puniebantur: cui considerationi nihil in nostro negotio respondet. Neque enim, ut alibi quoque jam monuimus, nos Christi morte fuimus puniti, ex qua nihil ad nos, ex Dei consilio, redundavit mali, sed Christus tantum nostri loco punitus creditur. Itaque si

aliqua præter Dei & Christi voluntatem legitima seu iuridica est ejus mortis causa, ea non nostrum, sed Christi ipsius meritum fuerit, cum summa ipsius contumelia atque injuria, constituenda. Pœnæ scilicet justæ causa legitima non est nisi meritum ejus ipsius, qui eam sustinet.

RESPONSIO

Ad Cap. VI. quod inscripsit Grotius:

*An Deus voluerit Christum punire: & ostenditur voluisse: simulque satisfactio-
nis natura explicatur.*

Quod Grotius ait Partic. 1, Socinum negare, Christum à Deo punitum, recte asserit, sed quod ait, id ab eo fieri lib. 3. cap. 2, non satis recte. Socinus enim ibi non de pœna simplici loquitur, sed de vera satisfactioe. At non omnis pœna Socino vera satisfactio est, sed ea demum, quæ peccatorum meritis prorsus sit æqualis, ut jam non semel monuimus. Itaque hæc duo ex mente Socini simul possent consistere, Christum esse à Deo punitum, & eundem Deo vere non satisfecisse pro peccatis nostris.

Loca, ex quibus evincere conatur Grotius Partic. 2, Christum à Deo punitum, cap. 1 excussimus, quo lectorem remittimus.

Ad ea, quæ Socinus objicit, accedit Grotius Partic. 3, & primum quidem ad exempla & promissiones remissionis peccatorum ante Christum, *An exempla*, inquit, *indulgentiæ quod attinet (præterquam quod ex iis nihil universale recte concluditur) notandum est ea aut pertinere ad pœnas temporarias, aut ad æternas. Si ad temporarias tantum, ut in Achabo, manifestum est discrimen. Nam, ut vulgo dici solet, quod differtur non aufertur. Adde jam quod in ipso Achabi facto, ut & in facto Davidis, contrarium ejus apparet quod inferre vult Socinus illa ipsa pro se allegans. Pœna enim temporaria ita ablata est à Davide & Achabo, ut in alios sit translata. Et in ipsa Lege non remittuntur peccata, nisi fusis victimarum sanguine. Si vero de pœna æternæ remissione agitur, nullo argumento probat Socinus, eam esse factam cuiquam citra respectum Dei ad Christum.*

At cum Deus jam ab orbe condito, iis, qui, ut plurimum sibi parerent, aut resipiscerent, semper peccata remisit, nulla vera satisfactioe pro ipsis accepta, ut ex iis, quæ ad hoc probandum adduxit Socinus, perspicui potest, nec ullum dissimile exemplum à Grotio, ut videbimus, proferri potuerit: an non recte concluditur, in universum ita sese rem habere? & utut aliquando aliter egisset Deus, tamen ex eo, quod ut plurimum fecisset ante Christum, recte colligetur, eum sub Novo Fœdere, sub quo secundum divitiæ gratiæ suæ, perque viscera misericordiæ, peccata nobis condonavit Eph. 1. 7, resipiscitibus Luc. 1. 77, 78, nulla vera satisfactioe accepta peccata remittere

tere voluisse, id quod Socino propositum fuit ostendere. Inter remissionem pœnarum temporariarum & æternarum manifestum esse discrimen haud negamus, sed tale, quod ad rem nostram nihil facit. Nam quod Deus à quibusdam temporarias pœnas abstulit, à quibus æternas auferre non decrevit, causa non est, quod pro pœnis temporariis vel nullam Deus exigit satisfactionem, pro æternis autem exigit, vel pro istis satisfactio vera præstita fuerit, pro his non item: sed, quod resipiscentia eorum, quibus temporarias pœnas condonavit, non fuerit plena, h. e. ejusmodi, ut in posterum omnes peccatorum habitus exuerent, & pietatis studio totos se consecrarent. Adde quod, si Grotium sequamur, longe promptius futurum sit Deo, sine satisfactione resipiscentibus condonare pœnas æternas quam temporarias. Vult enim Grotius, ut supra vidimus cap. 2, pœnam omnem ad commune bonum seu ordinis conservationem, & rationem expetibilis non habere nisi ab hoc fine. At pœnæ æternæ ab ipsis etiam resipiscentibus exactio ad eum finem nihil fecisset, imo eum etiam sustulisset. Quandoquidem ea universo generi humano extremam sempiternamque allatura fuisset infelicitatem. Qua de causa contendit Grotius, nisi eam pœnam resipiscentibus condonare voluisset Deus, felicitatis desperatione funditus perituram fuisse religionem, in qua vel solum vel saltem potissimum ordo ille communis continetur, quem Deus in humano genere querit: cum contra remissio illius pœnæ, sempiternam hominibus felicitatem afferens, religionem maxime animis nostris inferat, nosque ad amorem ac pietatem in Deum vehementissime stimulet. Quare nulla erat eam pœnam, si Grotii sententiam sequamur, exigendi causa, remittendi vel omittendi potius maxima. At temporariæ pœnæ bonum humani generis non prorsus evertunt, præsertim sempiternum, nec religionem, ut æternæ, protinus extinguunt, & quia oculis nostris sunt subjectæ, à peccando plerisque magis absterrent, quam æternæ, quæ sensibus non sunt obviæ. Itaque ut Deus temporarias exigit, magna est causa; ac proinde ad earum remissionem compensationem seu satisfactionem intervenire oportere verisimilius foret, si id remissionis natura ferret, quam ad æternarum condonationem, quæ nonnisi vere resipiscentibus contingit, & perfecte quidem tum demum, cum eos Christus è mortuis excitabit. Cur enim illius rei remissio, vel potius omissio compensetur, cuius exactio nullam fuisset habitura utilitatem, sed damnum potius maximum, omissio utilitatem insignem?

Quod autem Grotius ait, de temporariis pœnis loquens, quod differtur non aufertur; id non recte ab eo dictum est: siquidem de illarum remissione, de qua Socinus una cum Sacris Literis agit, loquitur, quemadmodum sane loqui debet. Nam si differt Deus tantum pœnas, & non vere etiam aufert, vere etiam eas non remittit, nisi forte eatenus, quatenus ipsa dilatione mitigat, qua ratione aliquam illarum partem aufert tamen: si vere remittit, non differt sed aufert. Is enim remittit pœnam, qui jure, quod ad pœnam repetendam habebat, cedit. Qui autem jure illo cedit, non differt pœnam, sed aufert. Achabi

quidem pœna, quatenus ad familiam ejus spectabat, dilata potius fuit, quam ablata, adeoque mitigata tantum aliquantum, non remissa simpliciter. Quatenus de gravitate illius ipsa dilatione aliquid decessit, eatenus pars aliqua illius fuit remissa. Sed aliter contingit ibi, ubi temporaria pœna simpliciter remittitur. Itaque hoc exemplum nihil adversus Socinum facit. Nam quatenus & ipse cruenta morte fuit sublatus, & familia internecione deleta, eatenus nulla fuit remissio: quatenus autem remissum aliquid fuit de rigore pœnæ, eatenus nulla intercessit satisfactio, sed tantum pœnitentia seu dolor quidam Achabi, & coram Deo demissio, quæ ad veram resipiscentiam non fuit progressa, tantum abest ut vera fuerit satisfactio, quam Socinus intelligit. Quod ad Davidis exemplum attinet, ne ibi quidem vera intervenit satisfactio. Nam mors infantis illius non compensatio fuit pœnæ remissæ, sed quædam pœnæ particula, quæ, maxima supplicii parte sublata, relicta fuit, ne prorsus impune tam grave peccatum ferret David. Itaque Davidi non tota pœna fuit remissa, sed tanta; qua distinctione paulo post utitur Grotius. Commiatus enim ei fuerat Deus 2 Sam. 12. 10, ab ipsius domo non recessurum gladium in seculum; quam pœnam ita removet Deus, ut unius infantis afflictione ac morte hac in parte contentus esset. Itaque non fuit pœna à Davide, ut Grotius vult, in infantem translata, & sic Davidi per compensationem remissa: sed reliqua supplicii, quod David ipse luere in familia sua debebat, parte, absque ulla compensatione, remissa, hæc relicta fuit, quemadmodum & illa, qua per filium debuit affici partim in seipso, partim per uxorum ignominiam in ipsum redundantem ibid. vers. 11. & cap. 16. 21, 22.

Quod vero sub Lege non remitterentur peccata, nisi fuso victimarum sanguine, id non ideo factum, quod in eo vera esset pro peccatis satisfactio, quemadmodum ex parte docuimus cap. 1, plenius autem, Deo volente, explicabimus cap. 10. Sed quod oblatio victimarum esset obedientia quædam, quamvis exigua, ex voluntate divina pendens (continetur enim numero *δυσωπία* Ephes. 2. 15. Coloss. 2. 14, seu placitorum, quæ ipsa rei natura vere non nituntur, sed arbitrio constituentis, licet causam aliquam habeant, cur constituentur, qualis est v. g. rei futuræ adumbratio) qua interveniente levium delictorum venia concedebatur à Deo, cum in gravioribus victimæ nullam vim haberent, sed ut David docet, Psalm. 51. 18, 19, spiritus contritus, cor contritum & confractum, præsertim si factorum etiam sequeretur mutatio in melius. At obedientiam istam à vera satisfactione aperte distinguit Socinus, idque rectissime, cum veram ac plenam ex ipsa rei natura pro peccatis compensationem satisfactionis nomine intelligat, qualis obedientia nostra esse nequit.

Cum denique ait, remissionem pœnæ æternæ non esse factam citra respectum Dei ad Christum, ambigue loquitur, possuntque verba hæc in eum sensum accipi, quem Socinus quidem admittat, sed qui Grotium nihil juvet; nempe, Deum non nisi per Christum pœnam mortis æternæ reipsa tollere decrevisse ab iis, quibus ante ipsum peccata remisisse

dicitur. Neque enim illa remissio jam olim perfecta fuit, nec ante perficietur, quam illi à morte liberati ad immortalitatem transferentur, quod per Christum Deus est factururus. Verum id proculdubio sibi voluit Grotius, Deum etiam ante Christum, ad pœnas æternas hominibus condonandas, satisfactione, quam is præstiturus esset, motum fuisse. Sed id alto Scripturarum ea de re silentio refellitur. Percurrat quis omnia illa loca, in quibus iis, qui sub Veteri Fœdere vixerunt, peccata remissa, aut remissio peccatorum promissa scribitur, ejus rei causas, primam quidem & potissimam Dei clementiam, mediam vero hominum fidem aut resipiscentiam, crebro commemorari deprehendet, Christi satisfactionem, quæ tamen prior ac potior quam hominum fides ac resipiscentia foret causa, nuspiam. Atqui oportebat saltem alicubi rei ad remissionem peccatorum tantopere pertinentis mentionem fieri. Quin etiam, si Theologis satisfactionem Christi urgentibus credimus, non poterant hominibus peccata remitti, ita volente Deo, nisi sibi applicuissent satisfactionem Christi, & eam pro se præstandam agnovissent, quod nuspiam fuisse commemoratum, si ita se res haberet, mirum sane foret. Idem Grotius statuendum est, si modo credit, Deum ante Christum hominibus constare voluisse, se æternas ab illis pœnas ablaturum, ubi resipuerint. Inculcanda enim illis fuerat Christi satisfactio, ne ex impunitate illa peccata minoris æstimarentur; quod ne fieret, à Christo satisfactionem exactam fuisse credit Grotius. Non poterat autem satisfactio Christi id præstare, nisi de ea hominibus aperte constaret. Quod si dicat Grotius, satis constare, satisfactionem Christi fuisse inculcatam, aut ab iis agnitam, quibus olim peccata fuerunt remissa, quia non nisi per fidem remissionem peccatorum fuerint adepti, fides autem satisfactionem Christi apprehendat; ad id cap. I responsum * est, quo lectorem remittimus.

De promissionibus idem quod de exemplis statui vult Grotius Partic. 4; nos idem responsum volumus, præsertim quia Socinus ista non disjunct. De discrimine, inter remissionem pœnæ totius & tanta, ei assentimur.

Sed probat Partic. 5: *nullam esse promissionem remissionis, qua Christi respectum excludat. Huc pertinent, inquit, illa Sacra Scriptura effata, qua sine ullo temporis discrimine Christum ostendunt, pro omnibus gustasse mortem, dedisse se λύτρον pro omnibus* Hebr. 2. 9. 1 Tim. 2. 6, multoque magis illa, qua per comparationem additam omnem temporis restrictionem repudiant, ut cum omnes dicuntur peccasse, & justificari per redemptionem in Christo Rom. 3. 23, & cum per unum Christum ita dicitur in omnes (quotquot scil. justificantur) venisse justitia, quemadmodum per unum Adamum in omnes venit condemnatio Rom. 3. 12. v. 15, 17, 18. 1 Cor. 15. 22.

Verba illa Grotii, promissiones remissionis quoad pœnas æternas non excludere respectum Christi, si ad rem pertinere debeant, ita accipienda esse, ac si dictum fuisset, Deum in promissionibus illis vel faciendis vel exsequendis satisfactione Christi futura motum fuisse, jam antea monuimus. An id loca à

* Partic. 8a.

Grotio adducta demonstrent, videamus. Primum nulla in his locis satisfactionis pro peccatis nostris præstitæ fit mentio, nedum ut ea Deus jam olim ante Christum ad remittendas æternas pœnas motus dicatur. De prioribus tribus locis agatur c. 8 & 9. In ultimis duobus nihil dicitur aliud, quam Christum justitiæ & vitæ esse causam & authorem in nobis, quemadmodum Adamus fuit condemnationis & mortis. Locus Rom. 3. 12 hic non recte est positus.

Deinde quomodo probat Grotius, loca ista ad ea etiam tempora respicere, quæ Christum antecesserunt? An quia temporis discrimen non additur? esto. An non res ipsa monere poterat unumquemque, vocem *omnium* in istis locis positam denotare homines istius sæculi, quo Christus existere, & gratiam Dei salutarem omnibus hominibus revelare cœpit, ac temporum sequentium, ad quæ salutaris illius gratiæ revelatio porrigitur? An forte inusitata est hujusmodi vocis universalis restrictio? haudquamquam. Nam ut alia præteream, in loco secundo à Grotio citato dicitur, non expresso temporis discrimine, ut oremus *pro omnibus hominibus*. Quis vero hic intellexerit omnes homines, qui ab initio mundi usque ad illud tempus, quo oratur, vixerunt? an non per se manifestum est, id intelligendum esse de omnibus hominibus ejus sæculi, quo quis orat, non antecedentium? idem alibi sæpissime contingit, nec quisquam est, qui ea de re dubitet. Sed præterea an non ipsa loca satis indicant, ad quæ tempora sint referenda? Legantur ea quæ scripta sunt Hebr. 2, initio factò à vs. 10, ubi usque ad finem capitis rationes redduntur, ob quas Christus pro omnibus gustare debuerit mortem, & apparebit, omnes spectare ad ea tempora, quæ Christum sunt consecuta, atque ad eos, qui ejus tanquam ducis exemplum imitari, qui ex resurrectione ac imperio divino, quod per mortem adeptus est, consolationem capere, & mortis metu, cui antea fuerant obnoxii, liberari, qui à Christo, Pontifice fideli ac misericordi effecto, auxilium in tentationibus petere & sperare possunt.

In loco vero 1 Tim. 2. 6, postquam dixisset Apostolus, *qui dedit seipsum redemptionis pretium pro omnibus*, statim addit, *testimonium temporibus propriis*, hoc est, ut id cederet in testimonium divinæ erga omnes homines benevolentiae, temporibus propriis. An vero hæc tempora propria sunt omnia tempora, etiam ea, quæ Christum antecesserunt? imo vero an non illis opponuntur? Significatur enim his verbis tempus certum, rei, de qua agitur, destinatum, & inprimis præcedentibus temporibus opponitur. Vide in hac Epist. cap. 6. 15. Gal. 6. 9. Tit. 1. 2, 3. Præterea verba illa: *Jesus Christus dedit se λύτρον pro omnibus*, afferuntur ad probandum, Deum omnes homines velle servari & ad cognitionem veritatis pervenire, ubi intelliguntur omnes in universum homines, tam Judæi quam gentes. Quando vero id, quod hoc loco dicitur, factum est? certe non ante quam sub N. Fœd. Act. 11. 18, ubi etiam gentibus Deus pœnitentiam dedit ad vitam, & eas cohæredes ac participes promissionis suæ in Christo Jesu fecit Eph. 3. 6. Licet enim Deus nunquam quenquam à pœnitentia prorsus excluderit: tamen, ut Paulus ait Act. 14. 16, in præcedentibus generationibus per-

misit omnes gentes ambulare viis suis, & temporibus ignorantiae dissimulatis, nunc, hoc est, sub Evangelio, denunciat hominibus omnibus ubique ut poenitentiam agant Actor. 17. 30. At vero si verba illa: *dedit se pretium redemptionis pro omnibus*, ad omnia præcedentia secula extenderentur, sequeretur, omnibus seculis tantam Dei gratiam, quanta in verbis præcedentibus exprimitur, contigisse, & Deum tum etiam cupiisse ac curasse, ut omnes homines, etiam Ethnici, ad cognitionem veritatis pervenirent.

Eadem ratio ostendit, tertium locum, in quo Grotius ait comparisonem additam omnem temporis restrictionem repudiare, ad Novi Fœderis tempora pertinere. Nam cum Paulus in verbis illis Rom. 3. 23 loquatur de Judæis & gentibus, ut præcedentia manifeste docent, qui non ex Lege, sed ex fide Jesu Christi justificentur, & inter quos jam nullum sit hac in re discrimen; satis patet, ad N. Fœderis tempora hæc esse referenda. Quando enim justificatio gentibus est oblata? quando fides Jesu Christi eis est patefacta? imo quando Judæis? quando discrimen inter Judæos & gentes sublatum? nonne cum utrisque Evangelium est annunciatum? Quid? quod superiora verba, ex quibus hæc pendent, manifeste temporis discrimen exprimunt. Præcesserat enim apud Apostolum: *Nunc autem sine Lege justitia Dei revelata est, testificata à Lege & Prophetis; justitia vero illa Dei per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes qui credunt. Non est enim discrimen, Omnes enim peccaverunt*, & quæ sequuntur. Indicant idem verba Apostoli sequentia: *ad declarandam justitiam suam in presenti tempore* yf. 26.

Quod ad locum Rom. 5. 17, 18 attinet, (nam verba cap. 3. 12 cum loco priori sunt jungenda) cui etiam plurimum tribuit Grotius, nonne yf. 17, quem ipse annotavit, expresse dicitur: multo magis ii, qui abundantiam gratiæ & doni justitiæ accipiunt, regnabunt per unum Jesum Christum? quæ verba ad eos omnes, qui ab initio mundi ad Christi usque tempora vixerunt, pertinere, quomodo probabit Grotius? Abundantia gratiæ, de qua loquitur Apostolus, sub Novo demum Fœdere hominibus oblata, & ab iis, qui in Christum crediderunt, accepta est, ut tum ex aliis apparet, tum ex eo, quod infra ad finem capitis docet Paulus, qua ratione Deus effecerit, ut gratia ipsius abundaret, nempe quod Legem voluerit subintroire, ut abundaret delictum, sed superabundaret gratia. Abundantia ergo illa gratiæ post Legem demum exitit, adeoque non ab initio mundi, sed post Legem demum, tempore gratiæ, ab hominibus est accepta. Quare cum verba sequentia, *Itaque ut unius delictum* &c. quæ Grotius fortasse potissimum sibi favere arbitratus est, ex iis, quæ modo explicuimus, deducantur, siquidem de eventu ipso sunt intelligenda, ut Grotius sentire videtur, ad eosdem homines, qui abundantiam illam gratiæ acceperunt, adeoque sub Novo Fœdere vixerunt, sunt restringenda: si vero, ut nos arbitramur, de consilio divino, non de eventu ipso sunt accipienda, intelligendum est, ea ad illos omnes pertinere, qui ab eo tempore vixerunt, quo hæc abundantia gratiæ hominibus est oblata, seu ad eos, qui ex Christo

spirituali ratione nasci potuerunt. Nascimur autem ex Christo spiritualiter, dum ejus verbis ac promissis fidem habentes, obedientiam etiam ejus imitatur. Nam quemadmodum in omnem Adami progeniem damnatio, ita in omnem Christi progeniem justitia & vita pervadit. Neque vero comparatio, quam Grotius urget, non est recte instituta. Ad eam enim satis est, ut, sicut ex Adamo in omnes condemnatio transit, qui post ipsum fuere: ita per Christum in omnes, qui post ipsum fuere, justitiam transire velit Deus. Quod autem Adamus, ita rei natura ferente, ante omnes in universum homines, Christus vero non ante omnes prorsus, sed ante omnes homines certorum temporum extiterit, id, quod ad comparisonem ipsam attinet, per accidens est. Adde, quod ab eo tempore, ex quo justitia mundo per Christum est oblata, consilium Dei fuit, ut in nobis prorsus cessaret effectus ille noxæ Adami, seu damnatio, nisi nos ipsi culpa nostra eum in nobis foveremus, oblatam gratiam aspernantes: qua de causa Paulus in tota hac collatione de damno nobis per Adamum illato tanquam de re præterita, & quæ amplius non sit, loquitur; adeo ut utrique, Adamo scilicet & Christo, suum tempus in collocatione assignetur, illi quidem tempus quod Christum antecessit, huic omne id quod sequutum est. Quare ut collatio sit perfecta, tantum abest ut necesse sit, justitiam per Christum in omnes homines, qui ab initio mundi usque ad Novi Fœderis tempora vixerunt, transiisse, ut potius statuendum sit, per eos omnes, in quos condemnatio ex Adami delicto manavit, eos intelligi, qui Christum antecesserunt: per eos autem, in quos justitia ex obedientia Christi propagata est, vel propagari ex Dei consilio debet, istos intelligi, qui Christum sunt sequuti. Hac enim ratione plena futura est comparatio.

Ex his patet etiam aliqua ratione responsio ad locum 1 Cor. 15. 22, præsertim si cum Grotio statuas, eundem esse hujus & prioris loci sensum, eandemque comparisonem. Patet autem ex versiculo sequenti, qui præcedentem illustrat, per omnes, quorum fecerat mentionem, intelligere Paulum eos omnes, qui Christi sunt, hi vero sunt, in quibus Christi spiritus, atque adeo Christus ipse habitat Rom. 8. 10. Ex horum autem numero eos fuisse, quos Deus ab initio mundi justificavit, quid est, quod planum nobis faciat? Et licet ii quoque per Christum sint vivificandi, id tamen in comparisonem Apostoli non venit. Christus enim sui corporis servator est Ephes. 5. 23, & suis membris vivificandis proprie destinatus: cæteris extraordinarie idem beneficium per Christum contingit. Verum quid hic locus ad propositum Grotii facit, cum ne species quidem hic sit aliqua satisfactionis Christi, ad quem Deus ab initio mundi in hominibus justificandis respexerit? Neque enim hic Paulus ad mortem Christi, quam satisfactionem illam esse falso credit Grotius, sed ad resurrectionem ejus respicit. Quemadmodum enim omnes homines, qui ab Adamo mortali propagati sunt, mortales sunt & ipsi, adeoque vi naturæ moriuntur: ita etiam omnes, qui nascuntur ex Christo, qui primus per resurrectionem immortalis est effectus, ipsi quoque vivificantur, seu immorta-

immortales evadunt. Si cui placet, plura poterit hac de re legere in Disputat: Socini cum Francisco Puccio cap. 10. pag. 304 & seqq. & utriusque comparationis Rom. 5 & 1 Cor. 15, hunc esse sensum facile deprehender.

Subjicit Grotius Partic. 6 ad eandem sententiam probandam: *Hinc est quod Christus dicitur agnus mactatus à jacto mundi fundamento* Apoc. 13. 8. *quem locum à Socini interpretatione satis vindicant tum ipsa verborum series, tum similis Petri locus, ubi redemptio dicitur facta per sanguinem Christi agni inculpati & immaculati. præcogniti ante jacta mundi fundamenta, manifesti autem facti ultimis temporibus* 1 Petr. 1. 19. 20.

At verba *a mundi fundatione adscriptionem in libro vite agni* referri posse, ita ut sensus sit, eos adorasse bestiam, quorum nomina non sunt scripta ab origine mundi in libro agni, qui mactatus est; locus similis cap. 17. 8, indicio est: *& mirabantur inhabitantes terram, quorum nomina non sunt scripta in libro vite a fundatione mundi.* Agnoverunt id ex veteribus interpretibus seu Patribus, quos vocant, non pauci, ut videre est apud Fr. Riberam, qui hanc interpretationem pluribus prebat, & ab iis, qui aliter faciunt, sensum loci perverti arbitratur. Agnovit idem Piscator, qui Fr. Junium id observasse scribit, & eodem modo, quo Socinus, probat. Exempla similis transpositionis verborum, quæ in loco à Grotio producto apparet, non deesse in Sacris Literis, non modo dicti autores, sed & Socinus demonstravit, ad quæ mirum est Grotium non respondisse, sed satis habuisse, verborum seriem objecisse, quasi ad hoc argumentum refellendum nihil attulisset Socinus. Mirum etiam est, eum nihil respondisse ad cætera, ubi Socinus docuit, etiam si concedatur, verba illa à constitutione mundi jungi debere cum verbo *mactati*, non protinus tamen consequi, Deum ab ipso mundi initio ad homines justificandos fuisse motum satisfactione aliqua, quam Christus esset præstiturus. Potuit enim idcirco dici, Christum occisum fuisse ab ipsis mundi primordiis, quia Deus jam tum, ut is mactaretur, decrevisset: quo pacto Paulus dicit, datam nobis fuisse gratiam per Christum Jesum ante tempora æterna 2 Tim. 1. 9, quia eam Deus jam tum nobis dare decrevisset. Qui loquendi modus in aliis compluribus Sacrarum Literarum locis reperitur. Quod enim Deus facere decrevit, id pro jam facto habetur, ut infra Grotius docebit, & ex Prophetarum vaticinationibus manifestum est. Locus Petri non ostendit, verba illa *a constitutione mundi* ad mactationem Agni in Apocalypseos loco referri debere, multo minus, in eo dici, mactatione Christi satisfactum Deo pro peccatis omnium, qui ab initio mundi vixerunt, hominum, & Deum ad eos justificandos illa fuisse motum. Nam nec quicquam tale in Petri loco dicitur, nec quicquam est quod suadeat, utriusque loci eundem esse sensum, in ea præsertim re, de qua inter nos est controversia. Petrus ait, eos, ad quos scribit, redemptos à vana conversatione, h. e. ab impia vita revocatos, sanguine agni, ante jacta mundi fundamenta præcogniti, h. e. à Deo antea approbati. & ad rem hanc, de qua agitur, electi ac destinati. Quemadmodum enim simplex

vox *cognoscendi* approbandi, eligendi, decernendi ac constituendi significationem habet, ut ex Sacris Literis est notissimum; ita & vox *præcognoscendi* vim habet ante approbandi & eligendi seu præordinandi. Vide Act. 2. 23. Rom. x1. 2, & ibidem Beza, & cap. 8. 29, & hoc ipso capite apud Petrum yf. 2. Inspiciantur etiam ea, quæ Piscator tum in hunc ipsum, de quo agimus, locum, tum in cæteros scribit. Quare si locus hic cum Apocalypseos verbis est conferendus, & verborum transpositio repudianda, confirmabitur posterior, quam ex Socino produximus, eorum verborum explicatio. Quod si quis vocem *præcognoscendi* prorsus proprie accipere velit, ita ut sensus sit, Deum ante jacta mundi fundamenta novisse Agnum illum immaculatum sanguinem fufurum, ut nos à vana conversatione redimeret; quid hoc juvabit Grotium? Sed verba sequentia, quæ integra debuisse adducere Grotius, ejus sententiam satis aperte refellunt. Addit enim Petrus post verba illa, quæ Grotius adduxit: *manifesti autem facti ultimis temporibus propter vos, qui creditis per eum in Deum, qui resuscitavit illum a mortuis, & gloriam ei dedit, ut fides vestra & spes esset in Deum.* Ex quibus apparet, Agnum illum ante mundum conditum à Deo destinatum, ultimis temporibus re ipsa exhibitum, adeoque mactatum eorum causa fuisse, qui per Christum in Deum credunt, & hanc fidem ex resurrectione & gloria, qua ipsum Deus coronavit, concipiunt. Eos vero, qui ab initio mundi fuerunt justificati usque ad Christi tempora, per ipsum in Deum credidisse, & ex resurrectione & exaltatione ipsius fidem in Deum concepisse, quod in Sacris Literis indicium?

Pergit Grotius Partic. 7: *Quare alibi Christi mors dicitur intercessisse ad redemptionem etiam earum transgressionem, quæ sub priore pacto fuerant* Hebr. 9. 15.

At neque hic ulla est veræ satisfactionis mentio; ut cap. 8 planum fiet; tantum abest, ut ea Deus sub Vet. Fœdere motus dicatur ad æternas pœnas hominibus remittendas. Deinde si, ut cum Lutero Piscator in Germanica ejus loci translatione fecit, ita ea verba accipias, ac si dictum esset, Christum mortuum esse ad *redemptionem à transgressionibus*, quæ sub priori Fœdere fuerant, de qua interpretatione agitur itidem cap. 8, quid roboris habebunt ad probandum, Deum sub Vet. Fœdere, non dicam satisfactione, sed morte Christi fuisse motum ad pœnas æternas hominibus condonandas? Neque enim ex hujusmodi interpretatione consequitur, redemptionem hanc contigisse iis, qui sub Vet. Fœdere vixerunt: sed potius significatur, ab iis transgressionibus, quæ in hominibus sub Vet. Fœdere viventibus vim suam habuerunt, eos, qui sub Novo vivunt, cujus causa Christus, tanquam ejus mediator, mortem hic adiisse dicitur, morte hac interveniente esse redemptos ac liberatos. An vero in horum censu ii quoque fuerunt, qui vixerunt sub V. Fœd. antequam id abrogaretur, & Novum constitueretur? Præterea quocunque modo Redemptionem accipias, & cum voce Transgressionum conjungas, ex hoc tamen loco nequaquam probatur, mortis Christi vi fuisse expiata peccata sub Lege admissa & remissa. Neque enim D. Auctor per Transgressionem quæ sub priori Testamento

stamento seu Fœdere, intelligit facta ipsa singularia, sub Vet. Fœdere perpetrata condonataque, sed genus transgressionum istarum, quæ sub eo Fœdere viguerunt, & ejus vi tolliatque expiari non potuerunt; qualia erant peccata, quibus mortis pœna in lege fuerat constituta, quæ D. Auctor § præc. 14, *mortua* seu mortifera appellat, de quibus loquitur Paulus Aëtior. 13. 18, cum ait, per Christum annuciari Judæis remissionem peccatorum, & ab omnibus, a quibus non potuerint in Lege Moysi justificari, in hoc omnem credentem justificari. Harum ergo redemptionem, h. e. expiationem & ab iis liberationem morte Christi, ad confirmationem N. Fœderis, in quo ea promittitur, & per quod aliquo modo perficitur, interveniente, nobis contigisse D. Auctor asserit, unde fiat, ut jam nihil nobis obstat, quominus nos, qui ad vitam æternam vocati sumus, eam reipsa adipiscamur. Nihil enim magis æternæ nostræ felicitati obstat, quam transgressionem istam, quæ vi Vet. Fœderis expiari non poterant. Non est autem prætereundum, quod Grotius, ut causæ suæ aliqua ratione serviret, verbis Auctoris interseruerit particulam *etiam*, hoc modo: ad redemptionem *etiam* earum transgressionum, quæ sub priore pacto fuerant. Licet enim addita Grotii de hoc loco sententiam non stabiliat, detracta tamen labefactat. Mirum enim esset, Auctorem, cum, ut totus locus indicat, de vi mortis Christi loquatur, quam sub ipso N. Fœdere habeat, finem ejus propinquiorem hunc simpliciter constituere, ut Deo, quemadmodum vult Grotius, satisficeret pro peccatis sub Vet. Fœd. commissis ac remissis, & postmodum addere, *ut vocati promissionem accipiant æternæ hæreditatis*, qui finis sit mortis Christi ulterior, ad quem prior ille referatur: cum *vocatorum* nomine ii revera intelligantur, qui per Evangelium sunt ad æternam felicitatem vocati, quibus istorum peccatorum, quæ sub ipsa Lege fuerunt commissa remissaque expiatio nil prodest. Etiam si ergo tandem iste fuisset mortis Christi finis, quem Grotius intelligit, non tamen ita, ut fecit Auctor, erat commemorandus, sed eo modo, quo fecit Grotius. Sed si nostra horum verborum explicatio retineatur, optime omnia quadrant. Finis enim proprius mortis Christi non is fuit, ut expiarentur ignorantia & fragilitates, quæ etiam sacrificiis legalibus expiari poterant, sed, ut expiarentur illæ transgressionem, quæ vi prioris Fœderis & sacrificiorum in illo constitutorum expurgari non poterant. Quare simpliciter poterat dicere Divinus auctor, Christi mediatoris N. Fœderis mortem ad expiationem harum transgressionum intervenisse. Deinde hic finis in futurum spectat, & maxime facit ad eum, qui subjungitur, nempe ut nos, qui ad æternam hæreditatem vocati sumus, hoc ipsum promissum, hic quidem spe firma, olim vero reipsa accipiamus, sublatis peccatis eam rem impediētib.

De loco Rom. 3. 25, quæm subjicit Grotius Partic. 8 ad idem demonstrandum, satis dictum est cap. 1, particula 74 & seqq.

Partic. 9. Subjicit: *Accedit illustris ille ad Hebraeos locus cap. 9. 25 & seqq. Non ut sapius offerat seipsum sicut princeps Sacerdos in sacrarium intrat quo-*

tannis cum alieno sanguine (alioqui oportuisset eum saepe passum fuisse à jacto mundi fundamento) sed nunc semel in consummatione sæculorum ad peccatum per immolationem sui ipsius è medio tollendum factus est manifestus. Et sicut statutum est hominibus semel mori, deinde judicium: ita & Christus semel oblatus, ut sursum ferret multorum peccata, &c. Cujus loci tota series si recte attendatur, & præsertim conferatur Petri ille locus 1 Petr. 1. 19, ubi de re eadem iisdem prope vocibus agitur, apparebit hoc differre sacrificium Christi à Levitico, quod hujus vis esset limitata annuo tempore, illius vero vis se per omnia secula extendat: quippe cujus passio apud Deum ante omne ævum pro peracta sit habita, etsi reipsa certo tempore peracta, & sic decretum Dei nobis apertissime sit revelatum. Ni vero ita esset, oportuisset Christum sapius subire passiones, non postquam cepit prædicare, sed ab ipsa mundi origine. Quæ voces nullam plane habent significationem, nisi vis mortis Christi ad omnia peccata se extendat, quæ ab ipsa mundi origine hominibus unquam remissa fuerunt: plane sicut judicium post mortem ad omnia ea peccata se extendit, quæ vita durante homo commisit.

Si eadem de re hic agit D. Auctor, de qua Petrus Ephes. 1. 19, non multum hic locus Grotii causam juvabit, imo potius labefactabit, ut ex iis constat, quæ de Petri verbis paulo ante diximus. Sed nec eadem de re agit Petrus, nec in verbis magna est convenientia. Etiam si autem ex hoc loco probari posset, sacrificio Christi omnia peccata, quæ ab orbe conditio fuerunt remissa, fuisse expiata: non tamen sequeretur, Christum pro iis pœnas luisse aut satisfecisse, quemadmodum Socinus ostendit. Hoc igitur erat ostendendum Grotio, non illud. Hoc enim in controversia nunc versatur, quod tamen Grotius ne attingit quidem. Sed nec illud, quod Grotius vult concludere, ex eo sequitur. Nam ut ad verba accedamus propius, discrimen inter Christi sacrificium & Leviticum, quod explicare voluit D. Auctor, est, quod hoc quotannis iteraretur, illud vero semel tantum fuerit peractum: cui discrimini alterum interferitur, supra eod. cap. explicatum, quod Christus semetipsum obtulerit Deo, cœlum nimirum, quæ sunt sancta sanctorum Pontificis nostri, ingressus, cum Pontifex legalis cum alieno sanguine ingrederetur in sancta. Discrimen, quod Grotius constituit, hoc loco non apparet, eo præsertim sensu, quo ipse vult, intellectum. Nam per *omnia secula*, illa etiam intelligit, quæ ab initio mundi ad Christum usque fluxerunt, qui si intelligeret universum illud tempus, quod à patefacto Christo usque ad mundi finem duraturum est, hoc ei discrimen libenter concederemus: sed id causæ illius nullo pacto patrocineretur. Dicit Grotius, ex illis se vocibus discrimen istud colligere: *alioqui oportuisset eum saepe passum fuisse à jacto mundi fundamento*. Sed tantum abest, ut hæc verba eum sensum postulent, ut contrarium potius doceant, quemadmodum Socinus ostendit, ad quæ Grotius tacet. Dixerat Socinus: Si virtus sacrificii Christi ad eos etiam pertingere debuit, qui sacrificium istud antecesserunt, non erat opus, ut Christus ab orbe condito sapius pateretur, seque offerret. An non enim satis superque fuisset, si Christus, postquam in mundum venit, pati cœpisset, & ante illum extremum diem

diem subinde passus esset? Quare aliam horum verborum, quam Grotius arbitretur, esse sententiam necesse est. Vis autem hæc est: Si Christus se sapius offerre debuisset, debuisset etiam sapius pati: cum sine passione & sanguinis sui fusione seipsum offerre non posset. Verum quia sacrificii vis non pertinet ad eos, qui ante illud vixerunt, sed ad illius & sequentium temporum homines, (id quod auctorem divinum pro concessio sumere diximus) necesse fuisset, ut Christus, antequam nos esse desissemus, ad quos Novum Fœdus, & sacrificii ipsius vis pertingere debebat, sapius pateretur. Hoc ergo tempus, quod eos omnes antecessit, ad quos Novum Fœdus pertinet, ut emphatice denotaret D. Auctor, & tanto evidentius exprimeret, quid fieri oportuisset, si Christus seipsum sapius offerre debuisset, ait, eum sapius pati debuisse *ab origine mundi*. Sententia enim illa, quæ vult, Christum se sapius offerre debuisse, hoc etiam necessario ponit, Christi sacrificium, quo sapius iteretur, tanto maiorem vim habiturum ad peccata nostra expianda. Quare ut plenissime peccata nostra expiarentur, oportuisset Christum, non modo aliquoties antequam nos esse desissemus, ad quos Novum Fœdus pertinet, seipsum Deo offerre, & sic etiam pati, sed ejus rei à mundi primordiis facere initium, & ex eo tempore sapius pati, ac sacrificium suum iterare.

Partic. 10. Ex his patet, Socini interpretationem nec voces reddere inanes, nec argumentum Scriptoris enervare, quod ei Grotius objicit. Nam primum Socinus etiam vult, posita ea hypothesi, quam oppugnat Auctor, nempe Christum sapius offerendum fuisse, consequi, eum sapius offerendum fuisse à jacto mundi fundamento. Sed aliam, ut vidimus, consequentiæ rationem affert, & ex parte contrariam ei, quam Grotius hinc evincere conatur, & necessario putat ponendam. Illud, ut res melius intelligatur, addi potest: verbum *idē* seu *oportuisset*, quo utitur Auctor, ita late patere, ut non tantum ejusmodi necessitatem, cujus contrarium est prorsus impossibile, complectitur, sed etiam vim, aut, ut vulgo loquimur, necessitatem ejusmodi, cujus contrarium non sit consentaneum, licet non sit prorsus impossibile. Nam etsi aliquid ejus, quod ex hypothesi illa deducit auctor, sit prorsus necessarium, non tamen necesse est id eo verbo esse significatum, aut totum id, quod deducitur, esse ejusmodi. Deinde quemadmodum verba illa *in consummatione seculorum*, quæ opponuntur illis à jacto mundi fundamento, non ita exacte sumuntur ab auctore, ut terminum seculorum ultimum significant, in quo Christus per hostiam suam apparuit: ita etiam consentaneum est, verba opposita, non ita exquisitè sumenda esse, ut significetur, ab ipso seculorum initio statim fuisse Christo patiendum, hypothesi illa posita: sed in illo seculorum ab origine mundi fluentium tractu id oportuisse fieri, jam olim facto initio.

Non postrema vero, quæ in errorem induxit Grotium Partic. 11, causa fuit, quod hypothesin, quam auctor impugnat, non satis recte constituit. Ea enim ab Auctore talis constituitur: Si Christus se sapius debuisset offerre. Grotius hanc ponit: Si sacrificium Christi Levitico par esset, h. e. virtutis certo

tempore limitatæ. At hoc illo latius est. Verum quidem est, si Christus seipsum sapius offerre debuisset, ejus sacrificium futurum virtutis certo tempore limitatæ, sed non contra. Si enim ita limitetur ejus virtus tempore, ut nihilominus perfecte ad omnes eos perveniat, quorum peccatis expiandis destinatum est, non est necesse ut sapius iteretur. Limitata est virtus sacrificii Christi ratione temporis illud antecedentis, non consequentis, id quod maximam inter Christi sacrificium & Leviticum constituit imparitatem. Leviticum enim ad futura peccata nullo pacto sese porrigebat: Christi sacrificium in æternum peccata omnia expiat.

Illud obiter notari velim, Grotium Partic. 12, hoc loco oblationem Christi ab immolatione ipsius distinguere, & illam hujus consequens facere, dum huic dignitatem, illi effectum tribuit. Animadvertit nempe, Auctoris D. argumentum, ut Socinus monuit, laboraturum petitione ejus quod in principio, si oblatio foret immolatio seu passio ipsa, vel in ea consisteret. Ex quo satis apparet, oblationem Christi expiatoriam, cui proxime tribuitur remissio peccatorum, de qua loquitur Auctor Epist. ad Hebr. non esse mortem Christi, sed ejus consequens. Qua de re agitur inf. cap. 10.

Ad testimonia, quæ ad Christi & Novi Fœderis tempus Socino videantur proprie spectare, respondet Grotius Partic. 13, dicere quidem *Hieremiam Deum propitium fore peccatis: sed non negare id quod dicit Paulus, hanc propitiationem fieri in Christi sanguine: sive Christum à Deo respici, imo omnes Prophetas (in quibus & Hieremias) testimonium præbere, remissionem peccatorum per nomen, h. e. vim atque virtutem Christi accipi*, Auctor. 10. 43. *Et liberationem per Christum obtigisse nobis duci juxta fœdus illud quod cum Patribus Deus fecerat, & juxta ea quæ per Prophetas prænuñciaverat* Luc. 1. 68. 70, 71, 72, 73, 74. *Baptistam quoque divino mandato poenitentia ductis remissionem polliceri, eamque propter viscera misericordie Dei nostri: sed eundem, Christum esse dixisse agnum qui tollat peccata mundi, per mactationem scilicet, quod exprimat Apocalypsis, aut per sanguinem, ut Petrus loquatur. Quibus locis Agni iidem facta mentio clavo monstrat, quo Baptista respexerit.*

Sed ad rem non respondet Grotius. Neque enim Socinus testimonia de remissione peccatorum ad Novi Fœderis tempus proprie pertinentia eo adduxit, ut ostenderet, Deum in remissione peccatorum concedenda non respexisse ad Christum, quæ de re seqq. cap. agitur, aut propitiationem, de qua loquitur Hieremias, non fieri in sanguine Christi, aut per Christi vim ac virtutem, aut per ipsum tanquam agnum mactatum ejusve sanguinem: sed ut ostenderet, non esse Deo veram pro peccatis nostris satisfactionem à Christo præstitam, nec ab eo fuisse requisitam. Hoc Socinum ex iis testimoniis non recte deduxisse, ostendere debuit Grotius. Ea, quæ ex Scripturis adducit Grotius, non minus agnoscit Socinus, quam ipse. Constituit Deus Christum propitiatorium in sanguine ipsius, quatenus in eo nobis se propitium exhibuit, & rationem, qua eum reipsa propitium experiri possemus, ostendit, ac sanguine ipsius fuso apertissime demonstravit. Per nomen Christi:

Christi, h. e. per ipsius potestatem ac virtutem, vel simpliciter, per ipsum Christum, remissionem peccatorum credentes accipiunt. Per ipsum nobis contingit liberatio, per hanc hoc loco Grotius potissimum liberationem à peccatorum pœnis intelligit, quia eam nobis Dei nomine obtulit & confirmavit, omnia ad eam consequendam media suppeditavit hodieque suppeditat, eamque omnibus reipsa est largiturus. Est Christus agnus ille Dei, qui tollit, h. e. aufert, peccata mundi, sive per peccata ipsas divinæ voluntatis transgressionem intelligas (qua de re vide 1 Johan. 3. 5, 8. & 1 Petr. 1. 18.) sive peccatorum pœnas: idque etiam per macerationem & sanguinis fusionem, ut alibi est declaratum. Quanquam non est necesse, ut Baptista ad macerationem Christi nominatim respexerit, etiamsi agni fecerit mentionem. Qua de re capite 10 dicitur.

De voce *Remittendi* seu ἀφίεναι, quam Socinus urget, ait Grotius Partic. 14: *A se ostensum supra, neque Græcæ, neque Latine vocis eam esse vim, quæ juris proprii cessionem omnimodam necessario includat.*

Duo sunt, quæ in hac responsione afferuntur, quorum alterum est, hanc vocem non includere necessario juris *proprii* cessionem: alterum, eam non necessario includere cessionem *omnimodam*. Illud nihil ad Socini ratiocinationem pertinet; hoc parum, & quatenus facit, falsum est. Prius docuimus cap. 2. Partic. 37. Neque enim Socinus ex hac voce concludit, tale esse jus istud, quod Deus ad nos puniendos habuit aut habet, sed tanquam aliunde manifestum sumit. Posterius ideo adversus Socinum parum facit, quia etiamsi ea vox non significaret *omnimodam* juris cessionem, significaret tamen talem, quæ veram satisfactionem seu plenam debiti compensationem excludat; id quod Socino propositum fuit ostendere. Est enim aliquid intermedium inter omnimodam juris cessionem, & exactionem istiusmodi satisfactionis. Eatenus autem & cum Socini sententia & cum veritate id, quod Grotius ait, pugnat, si intelligit, remissionem & retentionem aliquam juris simul posse consistere, respectu ejusdem debiti secundum eadem illius partes, ita ut, etiamsi quis totum debitum remiserit, nulla ejus parte excepta (quod nobis in hoc negotio contigit) jure tamen suo, quod ad debitum illud exigendum habebat, penitus cessisse non sit censendus: aut si partem aliquam debiti remiserit, ejus tamen partis ratione jure suo non omnino cesserit, adeoque compensationem aliquam eo nomine possit admittere; id quod falsissimum est. Remissio enim est omnimoda juris extinctio, respectu ejus, quod vere dicitur remitti. Itaque si totum debitum remittatur, totum jus tollitur; si tantum, h. e. si debiti pars remittatur, respectu ejus partis, jus penitus tollitur, ita ut nulla vera eo nomine possit requiri satisfactio. Hoc autem propterea monemus, quia pœna simpliciter posset dici remitti, quia fere tota remittatur, exigua aliqua parte relicta; seu, quod idem est, quia gravior in longe mitiorem commutetur. Quod autem de potiori parte verum est, id interdum absolute de toto pronunciari solet. Quod idem significavit Grotius supra, cum de remissione pœnarum temporariarum agens ait, id non semper intelligendum de pœnis

totis, sed de tantis. Tunc ergo proprie remittuntur potiores pœnarum partes (habet enim pœna partes ratione gravitatis ac levitatis) earumque respectu est omnimoda juris cessio, nec compensatio fit per pœnæ illius reliquias, aut pœnam mitiorem: reliquiarum autem partium ratione nec remissio est, nec juris cessio ulla.

Quod igitur Grotius ait Partic. 15, *in pœna remissione, quæ a rectore fiat, nullam esse juris talis proprii ac privati, qualem Socinus indicet, dominii scilicet absoluti aut crediti, abominationem*: Hoc ad rem nihil facit, nec argumentum Socini convellit. Nos enim capite 2 docuimus, Deum in hoc actu considerandum revera ut partem offensam & pœnæ creditorem, non ut Rectorem. Deinde, etiamsi tandem jus divinum in pœna non esset jus dominii & crediti, nihilominus argumentum Socini ex voce remissionis contra satisfactionem ductum firmum est. Significatur enim nihilominus hac voce ad debitum aliquod relata, juris, qualecunque illud sit, cessio ejusmodi, quæ debitum illud eo usque, quo usque pertingit remissio, prorsus extinguat, & sic veram etiam satisfactionem excludat.

Quod ait Partic. 16, *velle Socinum remissionem pugnare cum quavis solutione accedente*, quanquam Socinus non *cuius* solutioni sed plenæ satisfactioni opponere solet remissionem, verissimum tamen est, quod ei tribuit Grotius, si respectu ejusdem debiti, & eandem ejus debiti partium intelligantur. Quod si ergo debitum totum sit remissum, omnis excluditur solutio, si pars, partis.

Postea descriptionem quandam Remissionis debiti ponit Grotius Partic. 17, quæ species illas duas, nempe crediti & pœnæ, sub se contineat: idque, ut ait, juxta ejus vocis usum tum in jure civili, tum in sermone communi. Ait ergo: *Remittere debitum est actus aut creditoris aut rectoris, pœna seu crediti obligatione reum liberantis.*

At nisi liberatio hæc ab obligatione ita intelligatur à creditore aut rectore facta, ut ea ex mera ipsius beneficentia fuerit profecta, quæ omnem solutionem veram excludat, non est admittenda hæc Remissionis definitio. Suo enim definito erit laxior. Recte Johannes Calvinus de Remissionis natura scripsit in suis Institutionibus*: *Quid est, inquit, remissio, nisi mera liberalitatis donum? Non enim remittere dicitur creditor, qui antapocha testatur sibi numeratam pecuniam: sed qui nulla solutione, ultro sua beneficentia nomen expungit.* Quæ eadem de remissione peccatorum, quæ nobis à Deo concessa est, dici vult; cum hoc argumento Pontificiorum satisfactiones, tanquam cum remissione peccatorum pugnantes, refellat, quod longe validius adversus plenam, quam Christus præstiterit, satisfactionem pugnat. Neque vero unquam demonstrabit Grotius, aliter remissionis nomen in hac materia usurpari.

Quod autem Grotius Partic. 18, paulo inferius, cum docuisset, *solutionem rei plane ejusdem quæ erat in obligatione, ipso facto liberare*, subjungit: *Alia quævis solutio ipso facto non liberat, puta si aliud quam quod in obligatione est solvitur. Sed necesse est actum aliquem accedere creditoris aut rectoris, qui actus recte & usitate*

* Lib. 3. cap. 4. sect. 25.

remissio appellatur. Talis autem solutio, quæ aut admitti aut recusari potest, admissa in jure, speciale habet nomen satisfactionis, quæ interdum solutioni strictius sumptæ opponitur; Hic primum dicimus, si aliud solvatur, quam quod in obligatione est, non modo ejusdem pretii, cujus est illud, quod est in obligatione, verum etiam ei, cui solvitur, vel eum ad finem, in quem solvitur, æque commodum atque utile, eaque de re creditori constet; ipsam æquitatis naturam omnino postulare, ut solutio istiusmodi admittatur, & reus obligatione ipso facto liberetur; & iniquissime facturum creditorem, si rem ipsam, quæ est in obligatione, sibi exhiberi postulet, præsertim si videat, id cum extrema debitoris perniciæ fore conjunctum: habebitque hic vere locum istud tritum: summum jus, summa injuria. Quid enim? an solutio hæc justa non est? imo vero maxime est; cum æqualitas, in qua justitia consistit, hic sit maxima, tum ratione pretii, tum ratione utilitatis. Nam quod alias civili jure non protinus liberatur debitor, qui, cum rem teneatur tradere, pretium persolvat, imò ne tum quidem, si aliquid majoris pretii solvat, id ideo accidit, quod fieri sæpe possit, ut res, licet ejusdem, aut etiam majoris pretii, tamen minus utilis aut commoda sit ei, cui solvitur, aut ad eum finem, in quem solvitur, atque est id, quod est in obligatione: unde fit, ut minus tum videatur solvi. Minus enim esse videtur, quod minus est utile aut commodum: quemadmodum contra plus videtur petere is, qui aliud pro alio sibi solvi postulat, licet minoris pretii, quam id sit, quod est in obligatione: quia sæpe accidit, ut ei, qui obligatus est, facilius sit solvere id, quod majoris pretii est. (a) Verum si res, quæ solvitur, æque sit pretiosa, & commoda, æquitatis natura, ut diximus, non patitur, eum qui solvit, amplius obligari, & apud Deum omnis æquitatis auctorem, id fieri nulla ratione potest. Jam videamus, an talis fuerit ea solutio, quam pro nobis præstitam una cum cæteris vult Grotius. Si quidem rem ipsam spectes, talis solutio à Christo nostri loco nec præstita est, nec præstari potuit: cum debitum illud, quod solvendum erat, esset mors æterna ac tempore infinita hominum innumerorum: Christus autem quicquid perpeffus est, id & tempore & gravitate fuit finitum, imò brevi tempore peractum. (b) At finiri ad infinitum nulla est proportio, nedum unius finiti ad innumera infinita. Unde consequitur, nec talem à Christo præstitam esse solutionem, qualem descripsimus, nec ullam veram & ex rei ipsius dignitate pendentem compensationem: cum necesse sit inter id, quod compensat, & quod compensatur, aliquam saltem proportionem esse. Veruntamen si adversariorum nostrorum mentem respiciamus, comperiemus, eos generatim omnes statuere, Christum ob infinitam personæ dignitatem non tantum æquivalentem debitis nostris pœnam luisse, sed etiam ea superantem. Unde vulgo hoc sensu dicunt: vel unicam sanguinis Christi guttam pro omnibus totius mundi peccatis suffecisse. Quod ad Grotium attinet, etsi non satis liqueat, quid hac de re sentiat, tamen si sibi constare velit, idem statuere cogitur. Nam cum is sentiat,

(a) Lib. 4. Instit. tit. 6. de Actionibus, paragr. 33. (b) Vid. Soc. lib. 3, cap. 3, & 4.

pœnam nullam habere rationem expetibilis, nisi quatenus intersit bono communi, ordinis nimirum conservationi & exemplo: ab hoc fine pretium illius & æstimatio omnis petenda erit; isque plus solvisse censendus erit, cujus pœna ad hunc finem plus contulerit, minus, cujus pœna minus eam ad rem fuerit utilis. Jam vero an nostrum omnium interitus æternus plus intersuisset bono communi, quam mors Christi? vel potius, an relinquitur verum aliquod commune bonum, cum omnibus æterna supplicia sunt perferenda? An etiam mores ita potuissent corrigi, atque nunc morte Christi factum est, si nobis in æternum fuisset pereundum? An non ipsemet bis scripsit: *Si omnes peccatores morti æternæ mancipandi fuissent, periuram fuisse funditus religionem in Deum?* An vero ordo communis conservatur, & mores corriguntur, cum funditus perit religio in Deum? quid ordo communis religione in Deum habet majus aut præstantius? At per Christi mortem homines, ut Sacrae Literæ testantur 1 Pet. 1. 18. 2. 24, 25. 11. 18. Joh. 12. 32. 1 Cor. 6. ult. cap. 7. 22, 23. Tit. 2. 14. Hebr. 9. 14. Apoc. 5. 9, 10, à vana conversatione sunt redempti, ad Deum & Christum adducti, ejusque servi ac mancipia effecti, qui ardent in posterum bona sectentur opera, serviantque pura conscientia Deo viventi. Qui ergo fieri potuit, ut Deus hujusmodi solutionem, si aliqui fuit justa, ut nunc una cum Grotio ponimus, vel non admitteret, vel ea admissa nos ab obligatione non liberaret, cum etiam plus accepisset, quam debebatur? Quod si vi hujus solutionis extincta est statim obligatio, nulla consequi potuit remissio. Nam, ut paulo ante dixit Grotius, circa id, quod non existit amplius, actus nullus versari potest, ac proinde nec remissio. Quod ergo ait Grotius, actum illum creditoris aut rectoris, quem accedere oporteat ad liberationem ab obligatione, cum aliud solvitur, quam quod est in obligatione, remissionem appellari; id nec semper verum est, nec simpliciter, sed eatenus tantum, quatenus aliqua ratione minus solvitur, ita ut is, cui solvitur, de jure suo cedat, & partem saltem aliquam debiti condonet, sine ulla ejus compensatione. Alias negamus actum illum remissionem appellari solere, & Grotium urgemus, ut idoneis exemplis contrarium probet: cum is vocis illius usus, quem nos urgemus, omnibus sit obviis. Similem actum creditoris ad novationem, seu obligationis unius in aliam mutationem, concurrere oportet, nec tamen ibi protinus est remissio, cum altera obligatio possit æque esse dura atque prior, & debitori nihil perire de utilitate ac commodo. Deinde etiam si hic remissio aliqua concurrere queat, non erit tamen ea totius debiti remissio, nec ita appellabitur, quod tamen de remissione nostri debiti expresse dicitur Matth. 18. 32 in persona regis servo debitum condonantis. Neque enim eo pertingit remissio, quo solutio, & contra. In quantum ergo compensatum est debitum, & pro eo solutum, in tantum nulla contigit remissio, sed eatenus tantum, quatenus nil solutum est, sed simpliciter condonatum. Itaque si Grotius remissionem cum solutione ac compensatione in hoc negotio velit conciliare; necesse est ut dicat, nec totum debitum remissum esse, nec totum solutum aut compensatum,

fatam. Quæ sententia an sit Catholica, cuius se defensor in hoc libro profitetur Grotius, & ipse viderit, & alii: vera sane non est, quatenus in ea affirmatur, non esse remissum debitum nostrum universum, sed partem tantum; adeoque & illud, partem ejus aliquam vere esse compensatam.

Quod vero Grotius hic obiter causam notat Partic. 19, *cur poena corporalis vicarius ipso facto reum solvendo poenam non liberet*, eamque hanc esse ait: *quia solvat aliud quam quod est in obligatione: esse enim in obligatione afflictionem ipsius qui deliquit*; id admittimus. Sed hoc ipsum tamen con nititur, quod Socinus dixerat, & pro discrimine hac in parte inter poenas pecuniarias & corporales attulerat, quod afflictio unius non possit fieri alterius. Nam si ea, non secus ac pecunia, alterius fieri posset, etiam si in obligatione fuerit ipsius nocentis afflictio, non solveretur tamen aliud tum, cum quispiam alius, nocentis nomine, eam persolvit. Ipsius enim nocentis effecta censeretur aliena afflictio, & sic legi satisfieret. Quod si hoc Socini discrimen removeas, Grotii discrimen nullam vim habebit. Neque enim minus in obligatione est ipsius nocentis pecunia in multis, quam afflictio in poenis corporalibus. An enim leges, cum multas constituunt, non ipsum nocentem, sed indefinite quemcunque poenam ferre, & damnum sentire volunt? & non à reo, sed à quocunque multam exigunt? Certe non minus in illis punire volunt nocentem, quam in corporalibus. Id vero quomodo fiat etiam tum, cum alius pecuniam pro eo numerat; sup. cap. 4 Partic. 3 i fufius est explicatum.

Istud, antequam alio progrediamur, in hac enumeratione modorum, quibus debitor obligatione liberetur, observandum est, Grotium Partic. 20, cum jam pervenisset ad eam liberationem, quæ citra ullam solutionem debitum plane perimit, quod ad creditum attinet, acceptilationis tantum meminisse, ad quam certæ verborum formulæ requiruntur, nulla facta mentione ejusmodi, qui ea verborum solennitate caret, & vulgo est usitatissimus, ac simplicissimus, atque, ut ita dicam, naturalis, à quo ducta est illa similitudo Regis debitum servo remittentis Matth. 18. At hujus vel inprimis facienda fuisset mentio, cum de remissione ea agitur, de qua Sacræ Literæ, ex communi hominum usu & sermone hac voce accepta, loquuntur. Quod si eam explicare voluisset Grotius, & quo nomine vulgo insigniri soleat, docere, apparuisset, huic usitatissime & maxime proprie remissionis nomen tribui, & sicubi de alia aliqua specie, ut acceptilatione, in qua sola Justinianus Remissionis vocem usurpat (nam simplicissimam remittendi rationem, in foro Romano fortasse non satis validam, non explicat) effertur, id eatenus fieri, quatenus nec ibi quicquam revera solvitur, adeoque cum simplici condonatione ei hac in parte convenit.

Explicatis modis, quibus ab obligatione liberetur debitor, aut reus, *bis falli Socinum* ait Grotius Partic. 21, *cum ad eam remissionem quam nobis Deus concedit, desumptam ex jure vocem acceptilatione applicet*.

Sed nos cap. 3 ostendimus, id injuria Socino Partic. 1 adscribi. Quanquam illud, quod inter alia

affertur, ad hujusmodi assertionis refutationem pertinens, ad rectorem nihil ex poena proprie pervenire, vel nihil huc pertinet, cum Deus hic proprie non sit spectandus ut rector, sed ut creditor; vel si ad Deum in hoc negotio transferatur, eo modo consideratum, quo cum considerandum esse docuimus falsum est, ut cap. 2 ostendimus. Deinde quod ait, Christum dedisse pro nobis λύτρον, & nos pretio emtos, hoc est, solutione aliqua liberatos, vel proprie accipit vocem λύτρον ac pretii, vel improprie. Si proprie, alicui proprie persolutum est hoc pretium, & nulli quidem alii quam Deo, cui satisfactio, hoc est, solutio recusabilis, præstita à Grotio dicitur. Unde consequitur, Deum id etiam accepisse, eo modo, quo labores v. g. ab illo, in cujus utilitatem fiunt, accipi possunt; & sic aliquid ad ipsum proprie pervenisse, quod paulo ante, quanquam generali oratione, negarat Grotius; & recte quidem, si veritatem rei spectes, sed posita satisfactio non recte. Nam quod ad rei veritatem attinet, Deus ipse filium suum dedit, aut, ut Paulus loquitur Joh. 3. 16. Rom. 8. 32, pro nobis omnibus tradidit. Quomodo ergo hoc pretium accepit, quod ipsemet impendit? an sibi ipsi solvit aut satisfecit? Restat ergo ut improprie dictum pretium fuerit datum. Ex pretio autem improprie dicto, proprie dicta solutio, quæ hic intelligenda foret, colligi haudquaquam potest. De quo plura eo loco, ubi latius de eo se acturum pollicetur Grotius.

Quod ait Partic. 22, *Socinum male arbitrari, remissionem pugnare cum antecedente satisfactio*, id supra excussimus, & verissime dictum vidimus, si præsertim intelligatur, quid Socinus, adversarium suum sequutus, satisfactio nomine intelligat. Deinde etiam si minus perfecta foret, tamen cum totius debiti remissione pugnaret eamque excluderet. Quod vero ad sententiæ suæ confirmationem addit: *cum contra omnis satisfactio (h. e. solutio recusabilis) ideo admittatur, ut remissioni sit locus*; id huc nihil pertinet; cum hæc satisfactio, ut supra vidimus, si cæteroqui fuit iusta, recusari non potuerit. Deinde etiam si recusabilis fuisset, tamen, ut modo diximus, cum remissione totius debiti pugnaret. Quamquam præterea non video, quomodo dicere possit Grotius, omnem solutionem recusabilem admitti, ut remissioni sit locus, quasi remissio sit consequens aut finis solutionis illius jam admissæ. Nam remissio est actus creditoris aut rectoris circa obligationem adhuc existentem, & actus quidem beneficentiæ, quod utrumque docet Grotius. At postquam solutio recusabilis admissa est, vi illius liberatur ab obligatione debitor aut reus; cum solutio admissa sit satisfactio, satisfactio autem, ut ait Ulpianus, * sit pro solutione, quæ sane strictius sumpta, ut itidem docet Grotius, protinus extinguit obligationem. Admissio enim solutionis defectum supplet in satisfactio. Quod si dicat, interdum conditiones adjungi, quæ liberationem differant; respondeo primum, eum de omni satisfactio-
ne loqui, conditiones autem istas non semper adjungi: deinde conditiones istas cum solutione seu satisfactio ipsa esse computandas, easque non relinquere libertatem creditori aut rectori, sed præstitas, vi

* Dig. lib. 46. tit. 3. Lib. 52.

admissionis, necessario parere liberationem ab obligatione. Patet idem inde, quod satisfacere, ut Causus testatur *, & alias ex bonis auctoribus constat, est desiderium alicujus implere. Cujus autem desiderium est impletum, quid desiderare amplius potest, aut exigere a debitore? quomodo ergo eum amplius tenere obligatum queat? si nequit? extincta est obligatio, nec amplius benignitas ulla in liberando cernitur. Quare si remissio est actus ejusmodi qualem diximus, & tamen in satisfactione locum habet, necesse est eam in admissione solutionis recusabilis consistere. Grotius sane paulo inferius, cum de actibus voluntatis loquitur, qui in satisfactione ad liberationem requirantur, nullum alium creditori aut rectori actum tribuit, quam ut alterius rei pro altera solutionem admittat: nec alium excogitare poterit. Admissio autem solutionis recusabilis, non est revera solutionis aut satisfactionis effectus, sed una cum ipsa solutione satisfactionem constituit, & liberationis ab obligatione est causa. Quare si in ea consistit remissio, hæc non erit satisfactionis effectus ac consequens, quod tamen vult Grotius, & cap. I prolixè defendit, ac non semel repetit.

Quod porro ait Partic. 25: *Cum dicimus satisfactionem antecedere remissionem peccatorum, id intelligendum est aut actu ipso, ut in peccatis Christianorum contingit, aut in decreto certo & irrevocabili, ut in peccatis sub Lege commissis & remissis. Quod enim Deus facere decrevit pro jam facto habetur, & dum debitum vere solvatur, nihil refert, quo tempore id fiat, præsertim apud eum, qui omnia quæ certo futura sunt compertissima habet, & ea tanquam præsentia perpetuo videt atque intuetur, quæ est ipsius Socini confessio lib. 2. cap. 26, qui locus in margine notatus est. Posterius hoc, quod satisfactio in decreto certo & irrevocabili præcesserit remissionem, quod attinet ad peccata sub Lege commissæ & remissa, id eam ob causam proculdubio dicit Grotius, ne cogatur novationem ac delegationem hic admittere, qui alii sunt liberationis ab obligatione modi, quam is est, qui fit per satisfactionem, quem ipse hoc loco ponit. Sed frustra. Nam si ii, qui sub Lege in Deum crediderunt, obligatione pœnæ re ipsa fuerunt liberati, ob satisfactionem olim demum à Christo præstandam, ad quam, istis jam liberatis, Christus adhuc fuit obligatus, novatio hic est & delegatio. Obligationis enim unius loco substituta est altera, quæ novatio est, & debentis persona est commutata, quæ delegatio. Certitudo decreti ac præscientiæ divinæ novationem aut delegationem non tollit, nisi dicas, eam effecisse, ut Christus post liberationem eorum, qui sub Lege peccatorum tulerunt impunitatem, non obligaretur amplius ad satisfactionem pro illis præstandam. Hoc enim stante, integra est novationis & delegationis natura seu essentia. Istud autem ex sententia Grotii falsissimum est; cum necesse sit Christum tam diu fuisse ad satisfactionem pro iis præstandam obligatum, donec eam præstitit; id quod factum esset post istos ab obligatione jam liberatos. Patet autem vel ex ipsius Grotii dictis, non tantam fuisse decreti, & præscientiæ divinæ vim, quanta hic requireretur. Nam & supra hoc cap. & cap. I,*

* Dig. l. 2. tit. 8. Leg. 1.

adducens locum Pauli Rom. 3. 25, 26 ait, Deum eo tempore, quod Christum antecessit, non remisisse sed transmississe peccata, & tolerantia vel inhibitione quadam usum, cui opponatur divinæ justitiæ demonstratio, quæ temporibus Christi tribuitur. Quare ex sententia Grotii apud Deum non prorsus perinde est, si jam præstita fuerit solutio, si postea demum certo præstanda, & alia illius vis est, alia hujus. Nam postquam ea præstita est, *αὐτῷ* non amplius utitur Deus, nec tantum transmittit peccata, sed & remittit, ut vult Grotius: contra facit, cum ea demum futura est, licet certo prævideatur, & ab eo ipso fuerit decreta. Ait quidem Socinus, id, quod Deus facere decrevit, pro jam facto haberi, sed habita ratione veritatis ac certitudinis, ob quam fiat, ut ita de eo loqui liceat, atque si jam factum esset, quamvis id sine figura aut tropo aliquo non fiat. Dicit etiam, dum debitum vere solvatur, nihil referre, quo tempore id fiat, præsertim apud Deum, ob causam dictam; sed quod attinet ad rem ipsam seu effectum, de quo ibi agitur, h. e. salutem hominibus conciliandam, & pariendam liberationem à peccatorum pœnis: non autem quoad specialem hujus liberationis modum, qualis est vel novatio ac delegatio, vel satisfactio ab illa distincta. Nam quod ad ipsam à peccatorum pœnis liberationem attinet, nihil refert, quo tempore solvatur, præsertim apud Deum, modo vere solvatur: sed quod ad modum liberationis attinet, multum refert. Nam alius est liberationis modus, cum nulla nova obligatione interveniente, sed solutione tantum, quæ satisfactio sit, ab alio præstita, liberatur debitor: alius, cum delictor liberatur, alio interim ad solutionem manente obligato. Hic enim novatio est, cum nova obligatio aut novus contractus in alterius locum successerit, eoque prior fuerit peremptus.

Partic. 24. Ex his autem patet, non esse à quæstione hac alienum, probare, non posse satisfactionem sequi post remissionem, aut omnino simul contingere, neque hic ullam esse novationem aut delegationem, quemadmodum Socinum reprehendens asserit Grotius. Siquidem ex sententia Grotii consequitur, satisfactionem sequi post remissionem, & novationem hic esse ac delegationem, respectu eorum, qui ante Christum remissionem fuerint consequuti ob satisfactionem ab ipso postmodum præstandam; cum tamen ista se mutuo evertant. Præterea cum non quivis earum rerum, quæ remissioni aut satisfactioni aliquo modo sunt affines, ita sit gnarus, ut ea norit à se invicem discernere, aut quænam istorum simul consistere queant, quæ minus, cognitum habeat; non frustra Socinus, ut Grotius ei objicit, quædam istorum attingit, ut argumentum suum, quod ex remissionis natura contra satisfactionem duxerat, muniret, & exceptionibus quibusdam, etiam eorum, qui minus essent istarum rerum periti, occurreret, haudquaquam interea asserens, adversarios aliquid horum, præter id, quod argumento suo oppugnabat, asserere. Quod si hæc frustra dicuntur, & ad quæstionem nostram non pertinent, cur Grotius ipse post Socinum, hæc eadem tam fuscè docet? Quamquam Socinus non docet, nullam hic esse novationem, ut idem scribit: sed, si novatio hic

hic credatur facta, sequuturum, non simul esse factam remissionem & satisfactionem, imo remissionem hic non esse.

Quod postea subjungit Partic. 25, *non esse verum quod dixerit Socinus, satisfactione omnino ac statim tolli debitum*; vox *omnino*, quæ apud Socinum non extat, non est ultra illud ipsum debitum, pro quo satisficit extendenda, sed ita capienda, ac si dictum esset, totum illud debitum tolli: alias ex Socini sententia non loqueretur Grotius. Id autem quod Socinus sensit, facile defenditur, si intelligatur, eum de plena satisfactione expresse loqui, h. e. de solutione ejusmodi, quæ licet rem ipsam in obligatione existentem non exhibeat, eam tamen pretio & utilitate sua plene compenset, adeoque recusabilis non sit, sed ea in parte solutionis strictæ sumtæ vim habeat. Itaque negamus Grotio, duplicem voluntatis actum, voluntatis, inquam, liberæ, (de hujusmodi enim actu sermo est) accedere debere, ut liberatio ab obligatione contingat, qui uterque certis legibus ac conditionibus definiri possit. Is enim, cui præstatur satisfactio, cum salva æquitate non possit non admittere ejusmodi solutionem, nihil circa liberandum debitorem libere agit. Deinde pone, solutionem per se esse recusabilem, & sic actum voluntatis liberum accedere oportere; quæro, utrum talem intelligas, quæ sola, absque aliis conditionibus, præsertim debitori impositis, desiderium creditoris aut rectoris circa debitum, pro quo solvebatur, impleverit, an talem, quæ absque his non impleverit? Si posterioris generis solutionem intelligis, ea sola satisfactio non est, sed una cum cæteris conditionibus conjuncta. Satisfacere enim, ut Cajus docuit, est desiderium alicujus implere, intellige desiderium relatum ad rem eam, seu debitum, pro quo satisficit. At nos cum satisfactionem in hoc negotio nominamus, intelligimus solutionem ejusmodi, quæ sola, non inclusis conditionibus aliis, satisfactio vere sit. Talem enim mortem Christi arbitrantur vulgo, quæ non demum à subsequuta Christi intercessione, aut à fide ac pietate nostra, satisfactio fiat, sed cum jam sit, nobis applicetur. Si ergo prioris generis solutionem intelligis, qualem hic sumendam esse diximus, quomodo is, qui solutionem istam admisit, conditiones adhuc alias imponere potest, ad liberandum debitorem necessarias? qui enim conditiones imponit, ejus desiderium nondum est impletum. Quapropter ex parte ejus, cui satisfactio hujusmodi est præstita, non potest conditionum impositione adferri mora, quominus statim consequatur liberatio, etiam si actus voluntatis liber ad satisfactionem accesserit. Quod ad eum attinet, qui solvit, verum est, actum voluntatis ipsius liberum accedere oportere, ut id, quod solvit, alterius nomine solum censeatur, & sic liberationem ipsi pariat; veruntamen ubi is talem præstat satisfactionem, qualem hic à Socino intelligi, aut omnino intelligendam diximus, non potest simul ejusmodi conditionem imponere debitori, ne à creditore aut rectore obligatione statim liberetur. Id enim partim cum natura hujus satisfactionis pugnaret, ut patet, partim cum æquitate ac justitia rectoris aut creditoris. Nam si hic nollit liberare debitorem, plena debiti compensatione

accepta, plus exigeret, quam ipsi debebatur. Tantundem enim accepit, quantum debebatur: quicquid ulterius exigit, æqualitatem superat. Verum quia ipsi satisfaciendi debitor, ob hanc solutionem alteri præstitam, obstringitur, potest is ei conditiones æquas imponere, quemadmodum fidejussor ei, pro quo pecuniam solverat, quibus non præstitis in ejusdem generis aut magnitudinis debitum incidat, quantum id erat, à quo fuerat ipsius ope liberatus. Quapropter Christus, non vero Deus, conditiones nobis aliquas imponere potuisset, quarum præstatione, non quidem à priorè debito, quo Deo fuëramus obstricti, liberaremur, sed debitum illud, quo Christo ipsi postea fuisset obligati, exsolveremus ita, ne in debitum istud, cui antea eramus obnoxii, incideremus. At conditiones nobis imponuntur in Sacris Literis ad remissionem peccatorum à Deo obtinendam necessariæ, eæque universæ ab ipso primum profectæ. Is enim Christo, per quem eæ nobis innotuerunt, præceptum dedit, quid loqui deberet Joh. 12. 49, 50. VII. 16. XIV. 24. VI. 38. Unde is professus est, doctrinam suam non esse suam, sed ejus, qui se miserit: se non venisse ut voluntatem suam faceret, sed ejus, qui se miserit, patris. Quod si quis dicat, Christum, etiam si plenam satisfactionem, qualem Socinus intelligat, præstaret, potuisse tamen simul velle, ne Deus statim nos liberaret, quia non simpliciter id, quod solvit, pro nobis solum voluerit, sed sub conditione certa, quam Deus nobis esset impositurus; is non animadvertit, hinc sequuturum, id, quod Christus solverit, non simpliciter fuisse vel satisfactionem vel pœnam pro peccatis nostris persolutam, sed sub conditione demum, quæ nisi præstetur, satisfactio etiam aut pœna illa non sit amplius. Utraque enim sua natura solutio est alicujus debiti, sive veri, sive apparentis, sive proprii, sive alieni. Hic autem non potuisset esse nisi alieni. Præterea, si conditio illa vel à nemine præstetur, vel à paucis, ut fere fit, id, quod pro illis solum censeretur, si conditionem præstitissent, vel repetetur à Christo, vel donabitur ei, cui persolutum fuerat? An non patet, quicquid solum sit à Christo, simpliciter solum esse nostro nomine, ac proinde si debitum nostrum æquet, non potuisse nobis liberationem non parere apud eum, cui solutio illa præstita est, utpote justissimum atque æquissimum.

Quare jam concidit illud, quod Grotius Partic. 26 subjungit: *fuisse & Christi satisfaciendi & Dei satisfactionem admittentis hunc animum, ac voluntatem, hoc denique pactum & Fœdus, non ut Deus statim ipso perpeffionis Christi tempore pœnas remitteret, sed ut tum demum id fieret, cum homo vera in Christum fide ad Deum conversus, supplex veniam precaretur, accedente etiam Christi apud Patrem advocacy sive intercessione.*

Nimis sane audacter hæc Grotius sine ulla probatione pronuntiat, & nobis credenda obtrudit. Ubinam enim tale Christi satisfaciendi & Dei satisfactionem admittentis pactum & Fœdus in S. Literis legit? An de iis, quæ Deus & Christus, inter se præsertim, fecerint ac constituerint, nobis extra divinarum scripturarum auctoritatem quicquam asserere, &

iis, cum quibus disputamus, obtrudere licet? idque non modo sine ratione, sed etiam contra rationem? Ostendimus enim satisfactione vera præstita, conditiones nobis, præsertim à Deo, ad obrinendam à debito liberationem imponi non potuisse. Præterea absurdum est admodum, aut Deum Christo hanc conditionem imposuisse, aut Christum in se recepisse, ut eum, cui plene satisfecisset, nihilominus intercessionem sua propitium nobis redderet, & ad condonandum debitum, pro quo æqualis pretii & utilitatis rem solvisset, moveret. Quod si verum amas, ita potius statuendum est, Deum qui nobis remissionem peccatorum per Christum offerre & largiri ex mera benignitate & clementia decreverat, simul etiam decrevisse, ne quis eam re ipsa consequeretur, nisi ad Deum conversus in Christum crederet, peccatorum veniam suppliciter peteret, & sic intercessionem Christi, h. e. interveniente sollicita ejus cura, quam pro nobis, supremam à Deo potestatem consequutus, gerit, ab omnibus peccatorum pœnis re ipsa liberaretur. Id enim Sacrae Literæ abunde testantur.

Pergit Grotius Partic. 27: *voci remissionis per se inefficaci, fulcrum addit Socinus ex parabola Matth. 18, idque duplici argumento, primum quod Deus comparatur regi pecuniam debitam servo remittenti, nulla addita cujusquam satisfactionis mentione: deinde, quod nos tacite jubeamur idem facere quod Deus: minime vero nos oporteat ita in nos delinquentibus ignoscere, ut pœnas ab amicis ipsorum expetamus. Sed facilis est responsio, comparisonem ultra id tendi quo respicit: quod in omni argumento à similitudine ducto vitiosum est. Confert se Christus furi, nos vero quæstori de alieno largienti: non quod aut ipse rem alienam subtrahat invito domino, aut quod nos idem facere oporteat: sed se quidem furi, quod superveniat improvisus; nos vero quæstori isti, quod nos de nostro facere oporteat id quod ille fecit de non suo. Sic in ista parabola Matth. 18, commendatur nobis benignitas in proximum, quia Deus in nos benignus sit. In hoc conveniunt rex ille in parabola & Deus, quod benigni sint in eos qui longe infra se sunt positi. Hanc benignitatem testatur Deus pœnas remittendo: rex ille remittendo pecuniam debitam. Ut aliud debendi genus, ita & aliud remittendi. Disconveniunt quidem in eo Rex & Deus, quod Rex citra satisfactionem, Deus non citra satisfactionem remittit: sed in eo sita non est comparatio. Ratio quoque est alia. Nam de credito, quod jus ad utilitatem creditoris comparatum est, statuendi quisque habet liberrimam potestatem, & quo minus exigit, eo est liberalior. Exigendo autem nullum virtutis actum exercet. At de pœna quæ ad bonum commune & ad ordinem pertinet, habet quidem rector potestatem, sed quæ in infinitum non exeat. Et cum pœnam exigit, virtute quadam utitur, quæ dicitur ἀρετή, ut supra ostendimus. Hæc de priori argumento ex parabola ducto.*

An vox remissionis inefficax fuerit ad id, quod Socinus volebat, probandum, ex dictis lector judicet. Ad exceptionem Grotii, qua prius Socini argumentum ex parabola Matth. 18 ductum labefactare conatur, dico: Comparisonem ultra id, quo respicit, à Socino non tendi. Nam cum ipse Grotius fateatur, commendari hic Dei in nos benignitatem, quam testetur remittendo nobis pœnas, eamque il-

lustrari comparatione benignitatis, quam Rex exercet in servum suum, pecuniam illi remittendo; necesse est, ut illa remissio pœnarum, quæ Deo tribuitur, cum remissione pecuniæ debitæ, quæ Regi tribuitur, quoad benignitatis rationem conveniat, eique sit similis, non vero admodum dispar ac dissimilis, præsertim ita, ut Rex pecuniam servo remittens multo sit benignior, quam Deus esse censeatur pœnas nobis remittens. Nam quominus Deus sit longe benignior, nihil prohibet, nec id comparationis vim minuit, sed auget. Similia enim in eo, de quo agitur, & quo respicitur, convenire debere, exempla Grotii quoque docent. Nam adventus Christi similis est adventui furis in nocte, cum uterque sit improvisus, nec certi temporis: nos ut in æterna recipiamur tabernacula, similes esse debemus in largiendo de iis, quæ nobis Deus dedit utenda, quæstori, qui, ut ab aliis in eorum ædes reciperetur, de heri sui bonis liberalis fuit. Nam, quod Grotius non videtur animadvertisse, huc etiam recte extenditur similitudo, ut, quemadmodum ille de alieno largitus est, ita & nos de iis largiamur, quæ aliena sunt, hoc est, de iis, quæ sunt Dei, qui eorum nos ad tempus dispensatores constituit. Patet id ex eo, quod Christus ea, quæ in parabola docuerat, magis adhuc inculcaturus, ita inter alia ait Luc. 16. 12: *Si in alieno fideles non fuistis, vestrum quis vobis dabit?* ubi sic notatum est in Bibliis Vatabli, quod unicuique etiam per se patet: *si in alienis opibus, nempe iis, quas Deus dedit vobis dispensandas &c. fideles non fuistis.* Quanquam etiam si hic esset aliqua differentia inter largitionem quæstoris & nostram, ea tamen similitudinis vim non labefactaret, sed augeret. Benignitas enim nostra, hac in parte major foret quæstoris illius largitione: & verisimilius esset, benignitatem de nostro nobis profuturam apud Deum, qui benignissime æstimat & remunerat benefacta, quam quæstori profuit largitio de alieno. Jam videamus, an, si Deus non nisi plena satisfactione accepta nobis remisisse pœnas statuatur, eadem sit futura ratio, quod ad benignitatem attinet, remissionis pœnarum, quam Deus nobis concessit, & remissionis pecuniæ, quam Rex servo suo concessisse in ea parabola statuitur. Remissio illa Regis est mera debiti condonatio, absque ulla solutione, sive ejusdem rei, quæ deberetur, sive alterius, quæ tantundem valeret, sive ab ipso debitore, sive ab alieno præstita, profecta tantum ex misericordia condonantis, interveniente supplici debitoris precatione; ejusque natura describitur illis verbis: *misericordia motus dominus, ipsum (servum) dimisit, & debitum remisit ei;* itemque illis infra: *omne istud debitum remisit tibi, quia precatus es me.* Deus contra ex Grotii sententia, ita nobis pœnas condonavit, ut prius pro iisdem ab alio sibi plenissime satisfieri postularet, & tantundem, quantum nos debeamus, imo plus etiam solvi curaret. Eademne hic benignitatis ratio? Rectene huc accomodari possunt verba illa Regis servo beneficium exprobrantis: *Totum debitum remisit tibi, quia me rogasti,* in quibus benignitas Regia explicatur? Certe non magis, quam si Rex idem, pro pecuniâ illa decem millium talentorum, passus esset sibi, sive ab ipso debitore, sive ab alio, solvi rem, quæ istorum

istorum decem millium talentorum prætium æquaret, & ipsi æque utilis esset, & sic demum obligatione servum liberasset. Hujusmodi enim liberatio ab obligatione exacte isti remissioni, quam Deo tribuit Grotius, respondet. An vero arbitratur Grotius, eandem futuram ejusmodi liberationis, & remissionis, quæ in parabola describitur, rationem, quod ad benignitatem attinet? imo an ulla prorsus futura fuisset regis illius benignitas? an recte putaret Grotius usurpari posse à Rege illa verba: *totum istud debitum remisisti tibi*? quæ ne ibi quidem usurpari possent, ubi parte non exigua debiti condonata, reliquum fuerit exactum. Quod si hic non recte institui posset comparatio ratione benignitatis, neque ibi recte institui posse concludendum est, & statuendum, quemadmodum Rex pecuniam sine ulla præcedente solutione aut vera satisfactione debitori, & quidem servo, remisit: ita etiam Deum nobis servis ac mancipiis suis pœnas remisisse, sine ulla præcedente solutione aut satisfactione vera. Sic enim par erit ratio benignitatis in utraque remissione, justaque inter utramque analogia.

Quæ addit Grotius de discrimine crediti & pœnæ, ea cap. 2. excussimus, & ex hac ipsa parabola refutavimus. Vide inter alia part. 25. Mirum autem est, cum Grotius statuatur, Deum esse in hoc negotio nostro partem offensam: parti autem omni offensæ deberi compensationem, eamque ex delicto alieno fieri creditorem; offensas præterea majestatis divinæ esse innumeras atque infinitas; vel non agnoscere, Deum in hoc negotio nostro esse creditorem, apud quem infinitum debitum contraxerimus, cui solvendo nullo modo sumus, ita ut si salvi esse debeamus, id nobis omnino fuerit condonandum; vel cum id agnosceret, non statuere, de hujus potius debiti remissione hic agi, quam de illius, quod ad ius crediti non pertineat, & non ad Dei ipsius, sed ad alienam, nempe generis humani, utilitatem pertineat. Siquidem illius debiti remissio, exactissime respondet remissioni pecuniæ ingentis à Rege creditore concessæ servo; cum sit ejusdem generis, & ratio benignitatis par, vel potius in illa major: hæc vero, ut loco dicto ostendimus, sit illi multum dissimilis, & benignitatis ratione valde impar, imo ab ea sejuncta. Quare si ullus est Scripturæ locus, qui de ea agit, hic est, de quo nunc est controversia. Quod si hic non est, dicat nobis Grotius, quoniam de ea loquatur? Ipse sane omnia loca, quæ de ea accipi possint, ad alterius generis debiti remissionem retulit, hanc autem ne attigit quidem, imo id revera egit, ne hæc ulla ratione appareret. An vero putat Grotius, fieri posse, ut cum beneficia divina longe minora, eaque uni aut paucis hominibus, aut brevi tempore concessa, in Sacris Literis, tantopere celebrentur, beneficium hoc infinitum, hoc est, infinita debiti remissio, innumeris hominibus concessa, & perpetuo durans nuspiam, præsertim clavis verbis, sit expressum, & à Sacris Scripturis celebratum, nuspiam nos ad id agnoscendum & gratiarum actione celebrandum excitemur? imo an fieri posse putat, ut id innumeris in locis, clarissimis verbis non inculcetur? Cur ergo id ita suppressit, & quantum in se est, ex memoria hominum

it sublatum, & loca S. Scripturæ de eo loquentia alio detorquet? An forte vidit, si excutitur, quale id sit debitum, appariturum, id nil esse aliud, quam pœnam, ejusque condonationem esse peccatorum remissionem, toties in Sac. Lit. celebratam, id quod tantopere refugit dicere? Quod si enim pœna non est, dicat nobis Grotius, quodnam sit illud debitum, quæ ejus condonatio? Ego sane nihil dubito, quin si is est in Grotio candor & veritatis divinæ amor, qui esse debet, quemque esse confido, eum agnitorum suum hunc errorem, quo convulso tota hæc satisfactionis defensio, quæ eo plurimum nititur, facile corrui. Nam si pœna Deo debetur tanquam creditori, totum id concidit, quod cap. 2. tanto conatu adstruxerat: concidet distinctio illa in hoc negotio rectoris & creditoris, & quæ inde pendet differentia inter hujus & illius remissionem, & rationem benignitatis, qua uterque in remittendo utatur, quam & hic & alibi crebro inculcat, & qua vim argumentorum nostrorum contra satisfactionem istam pugnantum elidere conatur, quod in sequentibus etiam manifeste apparebit: concident illa, quæ de Justitia scribit, qua Rectores adigantur ad statuendum exemplum, & qua Deus etiam in hoc negotio impulsus fuerit, ad pœnam peccatorum nostrorum exigendam, quæ cura creditori, qua talis, haudquaquam incumbit. Illud adhuc ex superioribus repetendum est, etiam si jus, quod in pœna Deus habet, non esset jus crediti aut absoluti dominii, sed ad utilitatem communem per se & necessario referretur, tamen vim comparisonis omnino excludere satisfactionem; præsertim cum nec Grotius diffiteatur, potuisse nobis Deum sine satisfactione peccata condonare, nec diffiteri possit, tanto majorem remittentis benignitatem cerni in remissione, quanto minus solvitur, adeoque maximam, cum nihil, nullam, cum omnia. Perinde autem est, sive id, quod debetur, solvatur, sive prorsus tantundem, hoc est, ratione pretii & utilitatis par.

Partic. 28. *Ad alteram, inquit, comparisonem quod attinet, quæ inter Deum & nos in parabola impudicæ instituitur, nihil aliud inde inferri potest, quam æquum non esse ut duriores simus in parem, quam Deus tanto superior est in nos miseros homunciones. Hinc sequitur, non debere nos magis vindictam expetere quam pœnam Deus expetat. Quomodo autem Deus istam liberationem peregerit, ibi non dicitur, nec ad institutum pertinet. In eo enim non similitudo est, sed dissimilitudo. Deus enim judex est: nos privati. Judici convenit sollicitum esse de exemplo: privatos ea cura non spectat. Judici officio continetur puniendi potestas: eadem privatis ademta est. Quod si nimium primatur ista comparatio (ut fit à Socino) sequeretur homines quoque judices non debere a fontibus illis pœnas exposcere.*

Imo vero etiam id, quod Socinus vult, ex parabola impudicæ recte concluditur, & ad institutum imprimis pertinet, ne statuatur Deus vera demum satisfactione ab alio accepta nobis peccata remisisse. Alias enim sequeretur, nos vi hujus parabola, & exempli divini in ea nobis propositi, ad nihil aliud faciendum adigi, ut itidem in ipso delinquente offensas minime vindicemus; nec quicquam nos facturos contra hoc Christi monitum, si pro

fratrum delictis ab aliis plenissime nobis satisfieri potestulemus: cum tamen manifestum sit, nobis in istis verbis Christi præcipi, ut offensas fratribus prorsus condonemus, nulla vindicta aut poena ab ullo, eo nomine expetita. Quomodo enim nos exemplo ejus, qui delictum ita condonet alteri, ut ab alio sibi prius eo nomine vere satisfieri curet, adigi possumus ad condonanda aliis delicta, nulla prorsus satisfactione accepta? Non cogit alterius exemplum, ut plus, vel potius aliud facias, quam fecerit is, qui proponitur imitandus. Recte igitur urget Socinus: si rex ille servo, qui ipsi maximam illam pecuniæ summam debebat, dimisso, ab alio eam, vel id, quod tantundem valeret, sibi reddi curasset, eum illi exprobrare deinde non potuisse, quod ipsi universum debitum remisisset, is vero conseruo suo remittere noluisse. Nonne enim à servo illo audire debuisset: quid tu mihi debiti remissionem exprobras, cum tibi abunde pro eo universo, quod tibi debebam, satisfactum fuerit? aut cur mihi objicis, quod à conseruo meo, id quod meum erat, repetere voluerim, cum tu ab alio, quod ego tibi debebam, aut tantundem, repetieris? Nam ego quoque, si alium invenissem, qui mihi pro illo satisfecisset, libentissime illum dimissem. Cur enim, illius maximo incommodo, quod mihi debebatur, extorquere curassem, cum & ejus ingente comodo, & promptissime meum recipere potuissem? Quapropter jure concludimus, non esse dissimilitudinem eam in remittendi modo, quam vult Grotius: siquidem ea universam similitudinis vim enervaret, & id tolleretur, cujus causa parabola fuit instituta.

Quod Deus judex sit, nos privati, id nihil hic virium habet, nisi ostendatur, Deum peccata nobis condonantem spectandum ut judicem de alieno jure agentem, non vero ut creditorem de suo jure, suisque offensis, quarum remissio nemini noceat, agentem, quod posterius à nobis est ostensum. Itaque rectissime concluditur, ut in nostris offensis privatisque injuriis id faciamus, quod Deus fecit in suis. Nec nimium hoc pacto premitur comparatio: nec sequitur, homines quoque judices non debere à fontibus ullis poenas exposcere, intellige qua judices sunt, & de alieno jure, sive Dei, sive reipubl. sive alicujus privati, agunt: cum nec Deus hic qua judex consideretur. In privatis suis offensis & injuriis, quas à fratribus acceperunt, id facere omnino debent judices, quod diximus, si Christo velint obsequi.

Pergit Grotius Partic. 29, *Remissionis vocem non satis esse validam ad omne genus solutionis sive satisfactionis excludendum, Socinus aliquatenus agnoscens, aliquanto plus subsidii sperat ab altera voce ῥαεῖς, quam in hoc argumento Paulus ter usurpat Coloss. 2. 13. cap. 3. 13. Ephes. 4. 32, cujus vocis non aliam esse vim supra indicavimus, quam ut aliquod beneficium, præsertim vero indebitum ea indicetur.*

Remissionis vocem satis esse validam ad veram satisfactionem excludendam, arbitramur & à Socino & à nobis ostensum. Quod Socinus ait, verbum *condonare* seu ῥαεῖς magis liberalitatem sonare, quam verbum *Remittere* seu ἀφίημι, id non arguit, eum aliquatenus agnovisse, Remissionis vocem non satis esse validam ad satisfactionem excludendam: sed, vocem

Condonandi seu ῥαεῖς apertius & clarius idem præstare, quam Remissionis. Sumimus autem id, quod de vocis hujus significatione asserit Grotius, eam significare beneficium aliquod, præsertim indebitum; intellige beneficium ejus, qui dicitur quippiam ῥαεῖς seu condonare, sed suo nomine, non alieno. Nam si alieno nomine condonet, beneficium ejus est, cujus nomine id facit, qua de re paulo post. Indicat autem id satis origo vocabuli, quæ docet id, quod quis dicitur ῥαεῖς gratiæ illius esse imputandum, seu gratis ab ipso dari aut fieri, quod etiam exempla à Grotio paulo inferius allata comprobant, & per se est manifestum. At hoc satisfactionem veram prorsus excludit. Quod enim beneficium indebitum præstat debitori is, qui pro eo vere sibi satisfieri curat, & tantundem, quantum debebatur, recipit? Is quidem qui pro debitore solvit, beneficium illi præstat, & tanto majus, quanto plus solvit: sed nullum is, qui solutionem accipit. Quis hujus gratiæ liberationem ab obligatione imputaret, aut gratis se ab ipso liberatum fateretur? Quare non poterit dici, ipsum *ῥαεῖς* debitum.

Sed castigat Socinum Grotius Partic. 30, qui ut certissimum ponat, ad ejus vocis significationem hoc quoque requiri, ut quisquam sibi aliquid adimat, suoque se comodo privet; & id plane verum non esse ait, exemplis allatis, ex quibus pateat, ad vocis ῥαεῖς significationem sufficere, ut ad patientem aliquid commodi non debiti perveniat, etiamsi agentis nihil decedat.

At verba Socini ita sunt accipienda, ac si dixisset, vocem ῥαεῖς non posse de quopiam usurpari, nisi is de jure suo, quod habeat in ea re, quam dicitur ῥαεῖς, remiserit, & comodo, quod ad eum inde redire poterat, sese privaverit. Ponit nempe Socinus, eum, de quo agatur, jus aliquod in re, quam alteri gratificetur, habere, & commodum aliquod ipsius in ea agi: quemadmodum in hoc negotio accidit; cum Deus sit poenæ creditor, cujus usus illa servire debeat. Quare nisi suo jure, ac comodo, quod ad ipsum ex poena redire debebat, se privasset, non posset dici eam nobis ῥαεῖς: quemadmodum nec scenerator ille, de quo Luc. 7. 42, 43, *ῥαεῖς* debitoribus mutuum, nisi suo se jure ac comodo privasset. Quare nihil est opus respondere ad loca, quæ Grotius produxit: cum ambitum ejus materiæ, in qua versatur Socinus, egrediantur.

Subjicit Grotius Partic. 31: *Accedit quod supra ostendimus, rectorem in poena nihil proprium atque privatum à se abdicare: idque in hoc argumento eo est manifestius, quia non Deo tantum tribuitur, sed & Christo Ephes. 4. 32. At peccati injuria proprie in Deum fertur, ita ut si eo nomine Deus remittens peccata censendus sit suum sibi adimere, idem tamen de Christo qua mediatore dici nequeat.* Deum in poena proprium ac privatum aliquid à se abdicare supra ostendimus. Grotii argumentatio si firma est, non magis adversum nos, quam adversus ipsum militabit. Quomodo enim Deus ex ipsius mente condonat aut remittit nobis peccata? Quatenus admissa solutione recusabili tanquam Rector nos ab obligatione poenæ liberat. Remissionem etiam poenæ generatim definit, Actum Rectoris reum obligatione poenæ liberantis.

At

At Christo, qua mediator est, tribuitur peccatorum remissio seu condonatio, ut hic docet Grotius; tribuitur Apostolis Johan. 20. 23, tribuitur aliis, tum alibi, tum in his ipsis locis Ephes. 4. 32. Col. 3. 13. His vero definitio illa Remissionis non convenit. Quid Grotius respondere velit, ipsi considerandum relinquimus. Quamquam arbitramur, eum de Apostolis idem, quod nos, responsurum. Nos respondemus: id, quod de vi verbi *χαρίζεσθαι* à nobis asseritur, de eo esse intelligendum, qui suo nomine & re ipsa, non vero alieno nomine, aut ratione declarationis tantum aliquid dicitur *χαρίζεσθαι*. Nam si alieno nomine quispiam dicatur *χαρίζεσθαι*, tum non ipse, sed is, cuius nomine id facit, censendus est commodo suo se abdicare. Itaque hæc vox ne tum quidem eam, quam diximus, vim prorsus amittit, sed personæ tantum ratione eam significationem mutat. Christus autem consideratus ut mediator, h. e. interpres ac Legatus Dei, ad Novum Fœdus ipsius nomine nobiscum pangendum missus, non suo, sed Dei nomine nobis peccata condonavit ac remisit, idque eatenus revera, quatenus remissionem perfectam nobis obtulit, declaravit, promulgavit, eamque spe certa nobis impertivit: qua in re etiam Apostoli aliquid habent cum Christo commune, ut cap. I vidimus. Indicat istud locus à Grotio citatus Ephes. 4. 32, cum illo ad Col. 3. 13, qui potius adducendus hic fuerat Grotio, collatus. Quod enim in hoc dicitur: *Sicut & Christus condonavit vobis*; id in priori dicitur: *Sicut & Deus in Christo condonavit vobis*. Locos autem hos esse parallelos, quemadmodum ipsæ sunt Epistolæ, vulgo notum est. Quod ergo Christus Dei nomine fecit, id Deus in ipso seu per ipsum fecisse censendus est. Qua de re vide etiam 2 Cor. 5. 19. Deum autem non modo promulgare, sed etiam re ipsa remissionem peccatorum, non alieno, sed suo nomine præstare, nemo ignorat. Quare quæ de vi vocis *χαρίζεσθαι* à Socino dicta sunt, ea in nostro negotio ad Deum proprie sunt transferenda.

Addit Partic. 32: *Neque magis verum est quod ex illo ante posito deducit Socinus, nempe τὸ χαρίζεσθαι pugnare omnino cum satisfactione quavis. Neque enim pugnat cum ea quæ & libere admittitur cum posset repudiari, & ad quam is qui beneficio afficitur, nihil ipse contribuit: quorum utrumque accidit in Christi pro nobis satisfactione.*

Τὸ χαρίζεσθαι pugnare omnino cum satisfactione vera seu plena, (hanc erim Socinus intelligit, ut non semel monuimus) ostendimus antea; itemque illud, satisfactionem, quam Christus pro nobis præstitisse creditur, talem tamque perfectam ex adversariorum mente fuisse, ut, si cæteroqui fuit iusta, quemadmodum ab iis ponitur, non potuerit æquitate salva repudiari, contra quam hic affirmat Grotius. Adde quod, etiamsi ea non fuisset prorsus perfecta & plena, non posset tamen simpliciter dici, Deum nobis *χαρίζεσθαι omnia delicta*, ut dicitur Coloss. 2. 13; nisi forte dicas, eam adeo fuisse in se imperfectam, ut respectu culpæ nostræ fere pro nihilo fuerit habenda, qua ratione ex rei ipsius natura satisfactionis nomen haudquaquam merebitur, nec pro vera compensatione, de qua loquimur, haberi po-

terit. Cæteroquin enim, cum pars debiti magna solvitur, dici non potest, omne id, quod debebatur, condonatum fuisse, sed partem tantum. An id quicquam juvet Grotium, quod nos ipsi, ad quos beneficium pervenit, nihil contribuerimus, mox videbimus.

Partic. 33. De verbo condonandi, quod eatenus urgemus, quatenus verbo *χαρίζεσθαι* respondet, per ea, quæ diximus, responsum est. Istud addimus, propter verba illa Grotii: *Principes cum capitalium criminum reis veniam concedunt, solere & multa aliquid, & publicam quandam culpæ deprecationem illis indicare: neque tamen eo minus condonare dici crimina: si multa ista æquet pœnam promeritam, aut gravitate ad eam proxime accedat, dici non posse, principes condonasse crimina, sed pœnam tantum commutasse. Imo ne tum quidem, si multa illa non levis sit censenda respectu delicti, id simpliciter dici potest, sed tantum, aliquid de pœna esse remissum. At in nostro negotio plena creditur præstita satisfactio, quæ delictorum nostrorum æquarit merita, imo superarit.*

Quod addit Partic. 34: *Quantum ergo iustius ea vox hic usurpari poterit, ubi requisita satisfactio à nobis non procedit, sed liberatio contingit plane gratis quoad nos, etsi non gratis absolute: quod Scriptura indicat, cum iustificatos non dicit gratis, & confestim addit ὅτι τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, & quæ sequuntur Rom. 3. 24. Certe cum Scriptura non uno loco redemptos nos dicat, & quidem pretio, & Christum se, aut carnem suam dedisse ad nos liberandos, harum vocum vim omnem evertere, condonationis τὸ ἰσχύει, supra quam usus vocis desiderat, urgendo, æquitas nulla patitur.*

Hoc nihil facit ad ostendendum, jure dici posse, Deum ipsum, etiam accepta vera satisfactione, nobis *χαρίζεσθαι* seu condonare delicta, aut gratis nobis remittere. Nam quod satisfactio à nobis non proficiatur, id non arguit, eum, qui satisfactionem requisivit & admisit, gratis hic quicquam fecisse, sed eum, qui satisfactionem ita pro nobis præstitit, ut nullam veram à nobis compensationem exigeret. Quare Christo, non Deo, hujus beneficentiæ laus foret tribuenda. At ille ipse locus Rom. 3. 24, quem pro se adduxit Grotius, contrarium docet. Nam ibi non satis habuit Apostolus dixisse, nos justificari gratis h. e. ut Beza verbis utar, ex dono gratuito & mera liberalitate, sed statim addit, *ipsius i. e. Dei gratia*, ut tanto apertius designaret eum, cuius beneficentiæ justificationem nostram acceptam ferre debeamus, seu quisnam sit ille, qui gratis nobis immunitatem à peccatorum pœnis præstet. Quapropter quod additur: *per redemptionem qua in Christo Jesu*, non potest significare, per satisfactionem veram Deo à Christo Jesu præstitam; quod non modo alienum est tum, cum meræ Dei liberalitati beneficium hoc adscribitur verum etiam eam prorsus evertit. Sed si per redemptionem intelligas liberationem à peccatorum pœnis, non quidem actu ipso in nobis existentem ac perfectam, sed in cura, opera, & impendio divino per Christum ad nos re ipsa liberandos facto consistentem, rectissime hæc cohærebunt. Inde enim evidentissime patebit, meræ Dei benignitati ac liberalitati uni-

universam justificationem nostram, in quam pretiosum etiam unigeniti Filii sui sanguinem impendit, adscribendam. Qua de causa idem Apostolus ait Ephes. 1. 7, nos habere redemptionem, per sanguinem Christi remissionem peccatorum, *secundum divitias gratiae ipsius*, h. e. Dei, ut locus ipse satis docet. Quare nihil ad convellendum argumentum nostrum ex Condonatione peccatorum ductum facit, quod Scriptura nos dicat redemptos; nec magis, id, quod pretio emtos dicat, & Christum se aut carnem suam dedisse, nempe ad nos liberandos: cum ea nullam solutionem, & sic nec satisfactionem, Deo praestitam arguant. Alias sequeretur, Deum ipsum, à quo pretium hoc & impendium ad nos liberandos datum factumve est, sibi met ipsi solvisse ac satisfecisse. Qua de re & sup. partic. 21 nonnihil dictum est, & alibi plura dicentur.

Partic. 35. Ad argumentum Socini, quod ex imperata nobis Dei & Christi in condonandis peccatis imitatione, de qua cap. 4 Eph. vers. vult. & initio cap. 5. & Coloss. 3. 13 depromitur, idem respondet, quod ad parabolam Matth. 18, idque breviter repetit. Quare nos etiam eodem lectorem remittimus. Quamquam si quis Socini & Grotii verba inter se conferre voluerit, animadvertet, vim argumenti Socini à Grotio non attingi. Est quidem verum, remissionem peccatorum & benignitatem ipsam nobis imitandam proponi: sed id, quod Grotius hic intelligit, nec benignitas est, nec remissio; siquidem cum plena satisfactione consistere potest. Itaque vim ad nos excitandos, ut aliis delicta ipsorum condonare velimus, nullam habet; siquidem nos jubemur ita condonare offensas; ut nec ab eo ipso, qui in nos deliquit, nec ab alio, ipsius nomine, veram satisfactionem exposcamus. Et sane id est, quod in condonatione delictorum est omnium difficillimum. Nam non ideo potissimum tam difficulter ad condonandas offensas adduci possumus, quod ei, qui nos laesit, commodum illud, quod ex condonatione ad illum redire posset, invidemus, sed quod ea ratione nobismet ipsis aliquid adimere, & nos laedere videamur, cum contemtum, qui fuit in injuria, non vindicaverimus, & honorem nostrum eo pacto non assuerimus. Itaque si exemplum Dei nos ad condonationem offensarum efficaciter impellere debet, necesse est, ut Deus non tantum nos ipsos impunitos dimiserit, verum etiam eo, quod ex poena ad ipsum pervenire poterat, seipsum privaverit; quod factum non fuisset, si plenam satisfactionem ab alio sibi nostro nomine praestare curasset.

Addit Partic. 36: *Quod si quis rem subtilius intueatur, reperiet forte, ne ab ea quidem qua nobis precipitur, condonatione, omnem omnino satisfactionem removeri, sed eam duntaxat, quae pro ratione persona, parvis scilicet, non superioris modum superet. Nam ipsa culpa confessio & deprecatio (quam expeti non vetat Christus Luc. 17. 4, 5.) adeo à satisfactione non abhorret, ut hoc ipsum Latini elegantiores proprio quasi vocabulo satisfacere appellent. Sic & Paulus vocem καὶ ἐξιδού de Corinthio usurpat, cum tamen praecessisset ἐπιτιμία τὸ πῶν πλησίον 2 Cor. 2. 7. Et proximis post Apostolos saeculis scimus lapsis publice pacem (quam vocabant) Ecclesiae*

non datam, nisi post quosdam demissionis actus publicos, quos propterea satisfactiones vocabant.

At ejusmodi satisfactiones, si eas ita libeat appellare, quid commune habent cum ea satisfactione, quam Socinus oppugnat, in qua poena delicto pretii ratione aequalis, rei nomine persolvitur?

Pergit Grotius Partic. 37: *Ducta à liberalitate ratio fragili fundamento innuitur. Non ut ante ostendimus, ea virtus, qua Deus in remittendis peccatis utitur, non est liberalitas, sed clementia, quam Seneca recte definit lenitatem superioris adversus inferiorem in constituendis poenis: Cicero nomen generis pro specie ponens, hanc ipsam clementiam lenitatem vocavit, eamque definiit, justitiam positam in moderatione animadvertendi; justitia nempe voce tam late sumpta, ut & pietatem & fidem & amicitiam complectatur. Hec ergo clementia ad eam virtutem pertinet, quam Aristoteles in Ethicis vocat πραότης. Est enim clementia πραότης ἔλεος. Multum autem disjuncta sunt πραότης & ἐλεος. Scriptura hanc Dei clementiam nomine aliquanto generatiori vocat χρηστότητα Rom. 2. 4. & XI. 22. Tit. 3. 4. ἐλεος ἐλεότης autem nunquam. Imo quod amplius est, vox ἐλεος ἔλεος sive liberalitatis ne in aliis quidem rebus qua dari & accipi solent, de Deo usurpatur: sed hac quoque virtus charitas potius Dei dicitur. Quia liberalitatis proprie est ita dari aliquid, ut danti pereat.*

Primum etiam si voce Liberalitatis abusus esset Socinus, in re tamen ipsa, quae in Sacris Literis satis est expressa, haudquaquam errasset. Tanto vero minus hoc in ipso esset reprehendendum, quod Theologi, contra quos disputat, & quidem ii, qui Latini sermonis elegantia & puritate nemini sui ordinis sunt secundi, Liberalitatis nomen in hoc negotio usurpent, ut vel ex iis constat, quae hoc capite * ex Calvino & Beza annotavimus. Sed deinde, nos cap. 2. Partic. 31. Ex ipsis etiam Grotii dictis ostendimus, Liberalitatem ita late extendi posse, ut mansuetudinem & clementiam, quatenus de jure suo cedit, complectatur. Beneficentiae nomen paulo post in hoc negotio admittit & approbat Grotius: Benignitatis nomine non semel est usus. Cur à Liberalitatis voce tantopere abhorret? an nos has voces, bonos auctores sequutus, inter se commutare potuit Socinus, & promiscue usurpare? Cic. lib. 1. Offic. *Justitia, inquit, conjuncta est beneficentia, quam eandem vel benignitatem, vel liberalitatem appellare licet.* Trii hæc tanquam synonyma ponit. P. Manutius ad Cic. lib. 4. Epist. 5: *Liberalitatis nomine non largitionem tantum, sed officium quodlibet, omnemque benignitatem indicari ait, & in eam rem citat locum ex nobili illa ad Lentulum Epistola lib. 1. Epist. 9, ubi vox liberalitatis pro benignitate saepius ponitur.* Sed, ne ullam Grotius habeat conquerendi causam, indicemus nonnullos Ciceronis locos, in quibus Liberalitatis nomen clementiam vel significat, vel complectitur. In Orat. pro Marcello, clementiam Caesaris, qua post victoriam partam fuit usus, cum crudelitatem, qua Pompejani fuissent usuri si vicissent, contendens; postquam dixisset, se victoriæ ferocitatem extimuisse, addit: *Quo gravior tua liberalitas, C. Caesar, nobis, qui illa vidimus, debet esse.* Liberalitatem Caesaris ferociæ victoriæ opponens; quam postea ex-

* Partic. 17. & 34.

plicans, clementiam ipsius in conservandis victis fuisse commendat. De eadem ita loquitur infra: *De nobis, quos in Repub. tecum simul salvos esse voluisti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de singulari sapientia tua cognabis.* In orat. pro Q. Ligario ejusdem Cæsaris clementiam admirabilem prædicans, & quædam de se commemorans, quæ animum illius, nisi is fuisset clementissimus, potuissent offendere, subjicit: *Vide quam non reformidem: vide quanta lux liberalitatis & sapientia tua mihi apud te dicenti oboriatur.* Infra ead. orat. ad eundem: *Itaque tribuis tu quidem tuis ita multa, ut mihi beatiores esse videantur interdum, qui tua liberalitate fruuntur, quam &c.* Ubi liberalitatis vox quamvis benignitatem Cæsaris complectitur, etiam eam, qua ad preces suorum amicorum aliis solum ignoscere, iisque salutem concedere, ut locus inspectus unumquemque docebit.

Quod Scriptura Dei clementiam *ἀπαρχή* nunquam vocet, & ne in aliis quidem rebus, quæ dari & accipi solent, de Deo hanc vocem usurpet, id nihil adversus Socinum, modo vox liberalitatis ad Deum recte transferri possit, & ad clementiam etiam ejus extendi; quod ostensum est. Alias ille quoque reprehendi posset, qui de beneficentia, quam nobis Sacre Literæ præscribunt, loquens, hac voce uteretur, cum ea Sacris Literis prorsus sit incognita, & ne de nobis quidem usurpari soleat.

Scribit porro Grotius Partic. 38: *Quod autem Socinus magna sermonis intemperantia perpetuam Ecclesie sententiam impietatis damnat & sacrilegii, ideo quod ipse, ut dicit, duplicem agnoscat Dei liberalitatem, nos autem simplicem duntaxat, in eam magnam veritatem injuriam facit. Nam duplicem Dei non liberalitatem (ea enim vox ab hoc argumento aliena & Scripturae inusitata est) sed beneficentiam, nostra quoque sententia agnoscit, & quidem majorem multo quam ista nuper nata Socini opinio.*

Quod de perpetua Ecclesiæ sententia ait Grotius, si etiam Apostolos, & eos, qui ab ipsis acceptam doctrinam puram retinuerunt, includit, ipsi minime concedimus: si de Ecclesia, quæ post Apostolorum tempora extitit, loquitur, id nihil ipsum juvat, nobis nil obest: cum & ex Sacre Literæ prædicationibus & ex veterum Ecclesiasticorum Scriptorum testimonio constet, à morte Apostolorum, eorumque qui Christi tempore vixerant, corruptam fuisse sinceram Evangelii doctrinam, & graves errores in Ecclesiam inductos: qua de re * alibi fortasse à nobis dicetur aliquid: ut taceam manifestos patrum etiam antiquissimorum errores, quos Grotius non ignorat. Sed præterea de eorum omnium, qui post Apostolos extiterunt, perpetua de satisfactione sententia & consensu, nihil certi statui potest. Nam ne nunc de eo dicam, quod non ignoret Grotius, multos eosque doctissimos fuisse viros, qui in doctrina de natura Christi, vel plane nobiscum, vel non multo aliter senserunt, & non paucos habuerunt sibi consentientes, quos verisimile non est idem, quod Grotius, de satisfactione sensisse: ut tacem etiam, ex cæteris Ecclesiæ doctoribus vel paucos sententiam suam literis mandasse, vel paucorum libros ad manus

nostras pervenisse; ut, inquam, hæc mittam, eorum omnium, quorum exstant scripta, eam fuisse sententiam non docuit Grotius. Nam nonnullo um Patrum, & quidem antiquissimorum, verba à Grotio producta longe aliam, quam ipse arbitratur, sententiam pati possunt: ut, quod Christus victima fuerit, aut nos redemerit, aut peccata nostra portarit, quæ sent in primorum Patrum, quos Grotius laudavit testes, verbis. Sane quod de redemptione dicitur ab Origine, id in quarto loco, quem produxit Grotius, explicatur, dum adductis Petri verbis 1 Epist. 1. 19 addit: *Si ergo pretio emti sumus, ut etiam Paulus ad stipulatur, ab aliquo sine dubio emti sumus, cujus eramus servi, qui & pretium poposcit quod voluit, ut de potestate dimittat, quos tenebat. Tenebat autem nos Diabolus, cui distracti fueramus peccatis nostris. Poposcit ergo pretium nostrum sanguinem Christi.* Diabolo ergo, non Deo, qui publici boni causa *λύτρον* exegerit, pretium esse solutum censuit Origenes; quæ redemptionis ratio longe differt ab ea, quam Grotius defendit. Idem, quod Origenes, Ambrosium & Augustinum dicere ausos docuit Socinus lib. 2. cap. 2, quorum sententia merito ab omnibus fuit explosa. Lactantium, quem itidem produxit Grotius, cum ipso sentire, valde incertum est; imo si quis ea, quæ scripsit lib. 4. Inst. Divin. cap. 26, conferat cum iis, quæ superioribus capp. præsertim 23, & 24 disputarat, videbit, eum minus morti Christi tribuere, quam revera tribuendum erat, & hanc vel solam vel potissimam ejus causam statuere, ut patientiæ exemplum nobis præbeat: nec Grotius quicquam ex illo protulit aliud, quam quod Christum pro crimine nostro passum dicat: quod significare potest, Christum passum ut nos à crimine nostro liberaret. Sed hæc nunc mittamus. Sententiam de satisfactione Christi vera, beneficentiam Dei, quam Sacre Literæ in remissione peccatorum nobis exhibitam prædicant, partim tollere, partim obscurare, ut Socinus dixerat, patet. Nam si Deus pro peccatis nostris plenissime sibi satisfieri curavit, perit illa Dei beneficentia, quam Sacre Literæ prædicant, quod nobis gratuito peccata omnia condonarit, & omnia debita nostra remiserit. Deinde, si eum in finem filium suum in mortem dedit, ut suum reciperet, & sibi plenissime satisficeret, cum totum debitum jure posset omnino condonare, (de ipsius enim solius jure agebatur) idque maxima cum laude; obscuratur & admodum minuitur altera ipsius beneficentia, quæ in Christo morti pro nobis tradendo conspicitur. Quapropter quod Grotius ait, suam quoque sententiam, duplicem agnoscere beneficentiam, & quidem majorem, quam Socini sententia; id nihil est. Nam solutionem eam, quam à Christo præstitam esse vult, à Deo non potuisse jure repudiari, antea docuimus. Nullam ergo in eo nobis ostendit beneficentiam, quod eam admisit, ut vult Grotius. Quamquam ubi legit uspiam in Sacris Literis, quæ beneficentiam divinam per Christum nobis præstitam creberrime inculcant, ea in re Deum fuisse beneficentem, quod solutionem, quæ ipsi à Christo præstaretur, admiserit? Cur ergo id Grotius asserere audeat? Quod vero Deus eam solutionem repererit, quod

* In Præfat.

quod priori beneficentiæ annectit Grotius, & filium suum charissimum morti dedit, ut eam satisfactionem perageret, pœnas peccatorum ferendo, quæ altera est Grotio Dei beneficentia; ea aut nulla est, si, ut quidem necesse esset, Deus ideo id fecisset, ut suum reciperet. Solutionem enim reperire, aut filium charissimum diræ morti objicere, ut tuum recipias, quod condonare jure posses, id non modo beneficentiam tuam non commendat, sed etiam te juris tui tenacissimum esse, & rigidum debitorum exactorem arguit.

Quod Socini sententiam, opinionem nuper natam appellat, id, nisi docuerit, eam ex Christi & Apostolorum dictis non esse excerptam, non magis nobis curandum est, quam curarunt ii, qui hoc seculo veritatem denuo cœperunt ex tenebris Pontificiis in lucem proferre, quosque Grotius habet in religione duces, cum illis idem à Pontificiis objiceretur. Verum hac in parte non videtur satis convenire Grotio cum amico & defensore suo Vossio, qui adversus Ravenspergum scripsit*, eandem, quæ Socini sit, saltem in præcipuo capite, ante annos quingentos sententiam fuisse Petri Abailardi, quod alii quoque ante ipsum asseruerunt: quin etiam idem Vossius, tum Augustini auctoritate nixus, tum Driedonis verbis in eam rem adductis, docere conatur, annis circiter septingentis ante Abailardum idem docuisse Pelagium. Driedo vero affirmat, hanc sententia Augustini tempore Ecclesiam Christianam (ut ipse judicat) infecisse, & usque ad tempora Bernardi ejus reliquias mansisse. Ab iisdem non videtur sejungendus Lactantius, ut paulo ante monuimus. Quomodo ergo nuper nata dici debet hæc Socini sententia? Quanquam nos præclarius de vi mortis Christi, & salutis nostræ per Christum partæ ratione, & sentire & loqui ex Sacris Literis per Dei gratiam edocti sumus, quam isti, quos hac in parte sequi dicimur, sensere. Abailardus enim Christum dicit mortuum ad amoris sui testationem; Pelagius, ad humilitatis & patientiæ exemplum, aperte interrim negans, Christum nos ab ulla caprivate ac servitute liberasse, quæ propemodum etiam videtur Abailardi fuisse sententia, si ea sunt illius verba, quæ à Vossio adducuntur: qua in re nos utrumque gravissime errasse, & in Christi mortem injuriam fuisse statuimus. Fines istos mortis Christi, quos attulerunt, nos quoque veros credimus, & ex divinis Literis docemus: sed iis non modo seorsim sumtis, verum etiam conjunctis plura Christi morti tribuimus, ut non uno loco est ostensum. Quanquam nihil constat, an illorum sententia ab ipsorum adversariis integra & incorrupta fuerit Literis prodita: cum ipsorum libri non extent. Videmus enim nobis quoque cum in aliis, tum in hac ipsa controversia, partim affingi quædam, partim dicta nostra mutilari; & Grotium ipsum, qui diligentius in hoc negotio, quam plerique alii, videtur versatus, sententiam Socini de causis mortis Christi tum supra tum hoc ipso in loco, integram non attulisse. Socini enim sententiam esse vult, Deum filium suum morti objecisse, *ut doctrinæ testimonium redderet, & sic ad resurrectionem perveniret*, additque *intra hæc se sistere Soci-*

Cap. 3.

num. Ubi omittit id, quod cap. 1 & 5, ipse Socinus tribuerat, *ut exemplum patientiæ nobis præberet.* Istud etiam vel prorsus omisit, vel obscurius, ut lector non animadvertat, complexus est, quod in eum finem Christus sit mortuus, ut supremam potestatem atque auctoritatem, omnia nobis peccata remittendi, & æternam felicitatem donandi, eaque omnia, quæ nobis ad eam consequendam sunt necessaria, subministrandi adipisceretur, fidelisque ac misericors noster Pontifex efficeretur, qui miseriarum nostrarum sensu tangeretur, & tentatis opem promte ac tempestive ferret. Eodem modo vel non attigit, vel ignaro sententiæ nostræ lectori obscurissime significavit, testationem ardentissimi amoris adversum nos tum Dei, tum ipsius Christi, ex quo remissio peccatorum ejusque spes certa proficiscitur. Illud etiam injuria Socino paulo ante tribuit Grotius, eum velle, *quod Deus, plane judicans nihil referre, exemplum statueretur aliquod nec ne, peccata nostra reliquerit impunita.* Id enim nusquam dicit Socinus, sed potius asserit & urget, gravissimas Deum habuisse causas, quæ ipsum ad pœnas de nobis exigendas moverent: sed eas omnes vicisse amorem nostri & ineffabilem ipsius misericordiam. Ex his autem apparet, quantum viris etiam magnis, adversariorum suorum sententiam recitantibus, tribuendum sit.

Quod Grotius Partic. 39 subjicit: *Fateri debere Socinum, multo se minus Christo debere velle quam ipsi debeant*, nempe quia neget mortuum esse Christum, *ut satisfactionem perageret, pœnas peccatorum nostrorum ferendo*; id nihil est. Quid enim? an Socinus, licet Christum pœnas proprie dictas pertulisse, atque ita Deo satisfecisse neget, non fatetur tamen, eum animam suam, ut nos à peccatorum nostrorum pœnis liberaret, & æternæ salutis compotes redderet, profudisse, & cruciatus maximos sustinuisse? Finis ille satisfactionis superadditus, ait paulo inferius Grotius, nihilo graviores Christi perpeffiones facit. Gravitati ergo malorum & cruciatuum, fatente Grotio, nihil detrahit Socinus, dum satisfactionem negat. An forte utilitati? nequaquam. Docet enim nos per mortem Christi remissionem peccatorum, æternamque felicitatem, & media ad eam assequendam necessaria adeptos. Hac vero utilitate quid majus? Nec refert, quod satisfactionem ei non ascribat. Satis enim est, morte Christi nos id assequutos, ob quod solum satisfactio ista, si Grotio credimus, quærebatur, hoc est, remissionem peccatorum, & vitam æternam; cum ad eam obtinendam satisfactio ista non esset necessaria. Quare cum Socini sententia, nec impendium Christi, nec utilitatem inde ad nos redundantem faciat minorem, quam sententia Grotii facit, cur ei minus se debere fateatur, quam Grotius?

Per hæc responsum est etiam ad ea, quæ de charitate Dei subjicit Grotius Partic. 40. Quanquam nobis mirum accidit, asserere Grotium, Dei charitatem à se majorem prædicari quam à Socino. An majorem Dei prædicat charitatem, qui statuit, Deum non nisi vera satisfactione accepta voluisse nobis peccata remittere, quam is, qui asserit, Deum nobis sine ulla vera solutione, ex mera benignitate peccata condonasse? An majorem Dei adversum nos charitatem

tatem

tatem prædicat, qui asserit, ita nobis iratum fuisse Deum, ut non nisi dira filii sui morte placari & reconciliari nobis voluerit, quam is, qui statuit Deum, licet gravissime à nobis offensum, sponte tamen sua, solaque misericordia impulsus, iram adversus nos deposuisse, nobis peccatorum remissionem ultro obtulisse, &, ut nos inimicos suos sibi conciliaret, eoque pacto æternæ felicitatis participes redderet, unigenitum suum filium in mortem acerbissimam conjicere voluisse? An denique majorem prædicat Dei charitatem seu beneficentiam is, qui urget, Deum non proprio jure, non debito ad suam utilitatem pertinente, sed ad alienam, cessisse, quam is, qui urget, Deum proprio suo jure, ac debito privato, ad suam utilitatem pertinente, nostri causa cessisse? Hæc Socinus statuit, illa Grotius. Unde quisque facile videre potest, uter majorem Dei charitatem prædicet.

Pergit Grotius Partic. 41: *Neque dicimus à Deo impensum esse Filium, ut ipse Deus suum reciperet, ac sic Deum sordidum facimus, quod nobis exprobrat Socinus.* At cum de jure solius Dei ejusque debito ageretur, necesse est, ut, si satisfactionis præstandæ causa Deus filium suum morti tradidit, id, ut suum reciperet, fecerit. Quod Deus in pœna nullum jus habuerit ut pars offensa, quod hic tacite pro concessio sumit Grotius, id nec facile concedent alii plerique, qui satisfactionem Christi defendunt, &, si verum esset, omnem Dei in remittendis nostris peccatis beneficentiam everteret, ut cap. 2, à nobis ostensum est. Quæ subjicit de causis, ob quas satisfactionem exegisse Deum ipse statuatur, ea cap. 5, examinavimus.

Pergit: *Neque illud minus iniquum, & ut ipsius voce utar, immane est, quod à nobis immanem Deum dicit statui. Nam finis iste satisfactionis superadditus nihilo graviores Christi perpeffiones facit: quas sine ulla crudelitate ipsi a Deo inflictas Socinus cogitur fateri. Imo quo fines sunt plures, eo a crudelitatis specie longius absceditur. Nam crudelis est qui frustra aut levi de causa aliquem torquet.*

Partic. 42. Nec ex sola gravitate perpeffionum, quæ alteri imponuntur, æstimanda est crudelitas, nec gravitate quavis aut quarumvis causarum excusatur. Immane est eum, qui tibi sit conjunctissimus, idemque innocentissimus, acerbissimis cruciatibus subicere, ut injuriæ tuæ, ab aliis profectæ, licet alias gravissimæ sint, & pœna dignissimæ, vindicentur, atque ita ira tua conquiescat, tuque tuum jus hac in parte consequaris. At hoc à Deo factum esse, ex satisfactionis dogmate consequitur. Quanquam enim alii apertius in hoc crimen incidunt, quam Grotius, qui Deum pœnæ creditorem fuisse neget: quia tamen hoc sustineri nequit, idem ut fateatur necesse est. At ex Socini sententia id minime consequitur, cum Deus & gravissimas ob causas, & non ad iram suam placandam, aut ad debitum suum repetendum, sed ira sponte deposita, nostræ tantum utilitatis causa Christum tantis cruciatibus subjecerit, eosque infinito postea præmio compensarit, quam compensationem pœna respuit. Si pater charissimum suum filium sibi obsequentissimum diris modis excrucians traderet, ut inju-

rias graves à quopiam alio sibi illatas vindicaret, iramque suam hac ratione extingueret, merito crudelissimus censeretur: sed si vellet eum cruciatus eisdem sustinere veritatis pietatisque causa, idque eum in finem, ut æternæ tum aliorum hominum tum suæ salutis prodesset, non modo non immanis, sed & pius merito censeretur. Huic patri similis est Deus, ex Socini sententia: illi priori, vi sententiæ eorum, qui satisfactionem urgent.

Quod finis satisfactionis seu pœnæ ferendæ multo apertius & multo certiore nexu cum morte Christi cohæreat, quam fines quos agnoscat Socinus, quos hic Grotius Partic. 43 denuo mutilat: si de eo tantum loquitur, quid mortis natura simpliciter consideratæ ferat, id ad rem nihil facit; si vero de eo loquitur, quid reipsa fiat, aut circumstantiarum ratio in mortis Christi negotio ferat, dictum negamus.

Subjicit Grotius Partic. 44: *Quanquam vero hætenus ostendimus Christi pœna Deo satisfactum, negare tamen nolumus vim satisfactionis esse etiam in Christi actione. Solet enim sæpe actio grata admitti velut in pœnæ compensationem. Beneficium superveniens, inquit Seneca, injuriam apparere non patitur. De benef. l. 6. cap. 5, quo loco ostendit reddere esse rem pro re dare, & solutione non idem solvi, sed tantundem. Quamvis autem beneficium accipere Deus divinis non potest, ipse tamen summa bonitas quaecunque obsequium quasi pro beneficio accipit. Sic Achab pœnam temporalem luscificavit Deum suppliciter venerando.*

In his & sequentibus verbis vel de vera solutione sive compensatione, quam satisfactionis nomine intelligimus, loquitur Grotius, vel de alia quapiam improprie ita dicta. Si de illa, (ut quidem debebat, si Socinum volebat oppugnare) cur non refutavit ea, quæ Socinus contra disputavit cap. 5. lib. 3, ubi ostendit, Christum, quia homo fuerit, legi divinæ servandæ non minus fuisse obnoxium, quam cæteri sunt homines. Quare cum suo nomine universam, quam præstitit, obedientiam deberet Deo, non potuisse eum nostri loco illam Deo solvere. Accedit, quod quicquid is fecit, ut Deo obediret, id illi abunde fuerit à Deo compensatum, ita ut præmium istud ei dicatur donatum Phil. 2. 9. Utitur enim Paulus voce *ἡμεῖς*, quæ, ipso Grotio teste, beneficium indebitum significat. Quare ne sibi ipsi quidem Christus proprie loquendo præmium istud meruit; tantum abest, ut de obedientiæ illius merito aut pretio tantum superesset, quod pro nobis vere solveret, & inobedientiæ nostræ sarcindæ Deo præstaret. Præterea ostendit Socinus cap. 3, ejusd. lib. hujusmodi satisfactionem, quam activam vocant, eam, quæ passiva dicitur, seu per pœnam facta creditur, tollere. Si enim obediendo pro nobis satisfecit, quid opus erat satisfactione per pœnam? cum vi illius jam pro justis & innocentibus haberemur. Innocentes autem nulli subjacent justæ pœnæ, nec necesse est, ut eorum nomine quisquam satisficiat. Contra etiam, si per pœnarum solutionem satisfactum est, quid opus erat obedientia Christi activa pensari & sarciri nostram inobedientiam? Sed de his videatur ipse Socinus: Grotium improprie dictam solutionem ac compensationem hic adstruere,

verba ipsius significant. Nam ista, gratam actionem *admitti velut in pœna compensationem*: Dei bonitatem *qualecunque obsequium pro beneficio accipere*, *ἀνευλογίαν* improprietatem indicant, ut & Achabi exemplum, & quod paulo post subjungit, Davidis, propter quem posteris fuerint remissa peccata. Sed si hoc vult Grotius, Socinum non oppugnat, qui adversus ejusmodi satisfactionem potissimum disputat, in qua, licet non idem præstetur, quod debebatur, præstetur tamen tantundem; & sic plene, rei natura inspecta, compensetur debitum. Quanquam non negamus, eum etiam minus plenam, veram tamen compensationem debiti nostri reiicere. Sed alterius generis satisfactionem, quam usus hujus vocis admittat, Socini sententia non tantum non excludit, sed etiam postulat, siue nos respicias, siue Christum. Nam impletio conditionum, quas Deus siue nobis, siue Christo imposuit, quibus intervenientibus peccata nobis reipsa condonare, seu eorum pœnas à nobis auferre voluit, satisfactio dici potest. De nobis id docuit Socinus lib. 3. cap. 2. Quod ad Christum attinet, idem ex ejus sententia consequitur. Quod si enim satisfacere cuiquam est desiderium ejus implere, ut supra* docuimus; Christus, qui desiderium Dei perfectissime implevit, & omnia, quæ salutis nostræ causa ipsi à Deo fuerunt imposita, plene fuit exsequutus, plenissime etiam Deo satisfecit, idque pro nobis, hoc est, nostri causa, nostroque summo & sempiterno bono, quamquam non loco ac vice nostra. Deus enim pro immensa sua bonitate, ita ipsius obedientiam usque ad mortem crucis sibi præstitam remunerare voluit, ut non modo ipsemet felix evaderet, sed etiam universum ipsius semen, hoc est ii, qui dictis ipsius fidem habentes, obedientiam ipsius imitantur, quam ad rem ipse hominibus auxilium in perpetuum esset laturus. De quo diximus tum initio disputationis nostræ, cum de tertio mortis Christi fine egimus, tum cap. 1, non uno loco, sed in primis part. 26 & 31, in quarum posteriore ostendimus, quantum hac in parte morti Christi tribuat Socinus, qui, ut ostendat, se non hujusmodi satisfactionem, sed alterius generis oppugnare, dicere creberrime solet, Christum *justitiæ divinæ* pro peccatis nostris non satisfecisse; justitiæ illius nomine, ut alibi monuimus, adversarios sequutus, justitiam quandam punientem, hoc est, severitatem divinam, peccatorum quorumvis pœnas exigentem, intelligens. Huic enim Christus non satisfecit, nec satisfacere erat opus, cum severitate hic uti noluerit Deus, sed clementia: verum *voluntati divinæ* & salutis nostræ desiderio.

Istud Senecæ lib. 6 de Benef. cap. 5, quod *beneficium superveniens injuriam apparere non patitur*, non tantum eam ob causam, quam Grotius commemorat, huc non pertinet, sed etiam ideo, quia quicquid Dei causa præstamus, ei debemus totum. Quare etiam si natura Dei capax esset beneficii, quod est impossibile; nemo tamen esset, qui id in ipsum conferret. Non est autem beneficium, quod ei, cui datur, totum debetur. Unde idem Seneca lib. 3 de Benef. cap. 21: *Quamdiu præstatur, quod à servis exigis solet, ministerium est: ubi plus quam quod servo*

* Partic. 29.

necesso est, beneficium. Quare quicquid Deo præstatur, ministerium revera est, non beneficium, nec easdem in extinguenda injuria vires habet. Beneficium enim verum, cum alias non deberetur, compensare potest damnum mihi illatum: cum vero ministerium præstatur, id quod mihi alias debebatur, redditur, delictum antecedens non sarcitur. *Summa*, inquit Grotius, *Dei bonitas qualecunque obsequium pro beneficio accipit.* Sed cur mavult *ἀνευλογίαν* quam proprie loqui? Deum nempe pro summa bonitate obsequium, licet exiguum, magno dignari præmio, & propter id delicta pristina delere.

Senecam ostendere, reddere esse rem pro re dare, & solutione non idem solvi, sed tantundem; quorsum addit Grotius? an ad stabiliendam satisfactionem, in qua non id, quod debetur; solvitur, sed aliud, aut tantundem? At non ait Seneca, reddere esse rem pro re, quæ debebatur, dare, sed pro re, quam acceperis; istud in satisfactione tantum contingit, hoc etiam in vera solutione, quæ à satisfactione distinguitur. Verba sunt Senecæ. *cum dicimus, Beneficium illi reddidi; non hoc dicimus, illud nos, quod acceperamus, reddidisse, sed aliud pro illo. Reddere enim est rem pro re dare. Quidni? cum omnis solutio non idem reddat, sed tantundem.* Si omnis solutio non idem redderet, quod debetur, sed tantundem, omnis solutio, ex sententia Senecæ, esset satisfactio stricte sumpta. At illa genus est: hæc specis.

Partic. 45. Pergit: *Neque tantum sua actio alicui ad impunitatem solet prodesse, sed & alterius, quicum ipse conjunctus est. Sic posteris Davidis propter ipsum Davidem pœna remissa est* 2 Reg. 8. 19, *non tantum ob promissiones Davidi factas, verum etiam quia Davidis actiones Deo benigne eas æstimanti placuerant* 1 Reg. xi. 13. 2 Reg. 8. 19. & xx. 6. Idem declarat exemplis ac testimoniis profanis, quibus, parentum majorumve merita liberis ac posteris profuisse, aut prodesse posse, docetur.

At hæc nihil adversus Socinum, qui fatetur, Christi obedientiam iis, qui cum ipso viva fide conjuncti sunt, ad impunitatem prodesse, vi promissionis divinæ, ex mera benignitate profectæ. Quod idem de Davide ejusque posteris dicendum est, ut ex locis à Grotio citatis apparet. Ea enim factorum Davidis nullam expressam faciunt mentionem, promissionem autem ipsi factam expresse commemorat locus bis à Grotio productus 2 Reg. 8. 19, ubi quodammodo explicatur, quid sit illud, *propter Davidem servum meum*, aut *suum*, quod in cæteris locis extat. Additur enim: *sicut promiserat ei, ut daret illi lucernam, & filiis ejus cunctis diebus.* Unde Vatablus 2 Reg. 20. 6, quem locum itidem produxit Grotius, ad verba *propter Davidem*, notat, *ob Fœdus quod iniit cum Davide, ut appaream verax.* In loco etiam tertio 1 Reg. xi. 13, post verba: *propter David servum meum*, subjicitur: *& propter Jerusalem quam elegi*, hoc est, propter Jerusalemem, quia eam elegi, ut interpretes* nonnulli annotarunt. Qua eadem ratione priora verba recte accipiuntur. Differentia inter Davidem & Christum inter alias hæc esse videtur, quod Deus antegressa Davidis pietate motus aliqua ratione fuerit, ad promissa illa ipsi facienda, Osiander.

quanquam ex mera benignitate, ut patet ex 2 Sam. 7. 18 & seqq. Eundem autem Christi sanctitate atque obedientia fuisse motum ad promissa nobis facienda, & remissionem peccatorum nobis decernendam, nullus S. Lit. locus docet, sed potius, Christum Dei decretis ac promissis motum fuisse ad obedientiam ipsi præstandam. Christi enim obedientia conditio fuit, ad exsequenda Dei decreta & promissiones jam exstantes necessaria, & sic earum ipsarum consequens non antecedens; Davidis autem pietas ea, ad quam Deus primo respexit, antecedens promissionis fuit, non consequens.

Subjungit Grotius Partic. 46: *Sicut autem opera temporaliter bona valent ad temporalem impunitatem, ita Christi opus perfecte & spiritualiter bonum, ad liberationem à pœna æterna valuit. Quod illud spectat: Per obedientiam unius, iusti constituuntur multi, i. e. iustificantur, habentur quasi infantes Rom. 5. 19. Et alterum: Propter nomen ejus (Christi scilicet, solius enim Christi, non autem Dei mentio præcesserat, fatente Socino, ac præterea hoc ipsum evincit similis sententia Act. 10. 43.) remittuntur nobis peccata 1 Joh. 2. 12. Certum enim est, hac phrasi, propter nomen alicujus, denotari causam impulsivam: neque ullo Scriptura loco diversum Socinus evicerit.*

Rem ipsam, quam Grotius hic concludit, concedimus; modo hoc nobis relinquatur, Christi opera non sua vi, aut merito proprie dicto, sed vi promissionis divinæ, ex mera benignitate profectæ, ad liberationem nostri à pœna æterna valuisse. Alias est, quod in Grotii ratiocinatione desideres. Cur enim operi temporaliter bono opponit opus perfecte & spiritualiter bonum? Nam quid est opus temporaliter bonum? nonne id quod ad tempus tantum durat, seu tempore definitum est? At temporali æternum opponitur, non vero perfectum & spirituale. Nam & Christi opus temporale fuit, & tamen perfectum & spirituale. Spiritualiter & perfecte bono opponitur id, quod carnaliter, ut ita loquar, & imperfecte bonum est. At Davidis v. g. facta, non tantum carnaliter fuerunt bona, sed etiam spiritualiter, licet imperfecte. Præterea non est eadem proportio inter remissionem æternæ pœnæ, infinitis præsertim hominibus concedendam, & opus perfecte & spiritualiter bonum, quod ad tempus tantum duravit, quæ est inter remissionem pœnæ temporalis, paucis hominibus dandam, & opus unius hominis temporaliter bonum. Ibi enim infinita est distantia, hic finita. Quare ex hoc illud non recte colligitur, nec parium comparatio recte inter hæc instituitur. Magni autem momenti hæc est differentia, ubi de vera satisfactione seu compensatione, aut merito proprie dicto agitur, de quo loquendum fuerat Grotio, si Socinum oppugnare voluit. Locus Rom. 5. 19, ut jam apparet, nihil contra nos facit. Quomodo autem per obedientiam Christi iusti constituamur, & habeamur quasi infantes, explicuimus paulo ante partic. 44, & locis ibid. annotatis.

Locum 1 Joh. 2. 12, ad Christum non referri necessario, nec, si referretur, quicquam ad stabilendam satisfactionem facere, jam prolixè docuerat Socinus, eo loco, quem notat Grotius, lib. 2. cap. 25, quæ Grotium refutare oportebat, cum eundem no-

bis vellet opponere. Ait Grotius: vocem *eius* Christum notare, quia solius Christi, non autem Dei mentio præcesserat, fatente Socino. Responderat Socinus: posse relativum *eius* ad Deum referri, etiam si Johannes de Christo in iis, quæ propius antecedunt, loquutus sit, *quanquam eum non nominat*. Hoc enim est, quod fatetur Socinus, non vero, ut Grotius ait, Christi solius, non autem Dei mentionem præcessisse. Rationem autem responsionis suæ Socinus hanc affert, quia idem etiam tum fiat, ubi Christi expressa mentio præcesserat: ut probatur locis c. 4. 19. c. 5. 14, quod idem viceversa nonnunquam accidit; & alias notum sit, relativa in S. Lit. non semper ad proxime antecedentia referri. Pro sua vero sententia adducit Socinus Sac. Lit. consuetudinem, quæ Deum *delere* aut *remittere peccata propter se*, aut *propter nomen suum* testantur, aut *propter nomen suum servare* ac *vivificare*, ut inter alia loca ostendunt Esa. 43. 25. Psal. 25. 11. (vel 12) & LXXIX. 9. & CVI. 8. (aut 9) & CXLIII. 12, de Christo vero idem nusquam diserte dicitur. Quod ait Grotius, hoc ipsum, nempe Johannis verba ad Christum pertinere, evincere similem sententiam Act. 10. 43, id nullo fundamento nititur. Nam etiam si tandem ibi scriptum esset, *propter nomen Christi* nobis peccata remitti; non statim consequeretur, locum Johannis ad Christum pertinere: cum eadem res de Deo & Christo dici possit, diversis præsertim in locis, de quibus nihil constet, an se mutuo respiciant; quemadmodum sane remissio peccatorum tum Deo tum Christo tribuitur. Sed præterea non est ibi scriptum *propter nomen ipsius*, sed *per nomen ipsius*, quod vi sua non causam impulsivam, quam Grotius vult priori ista phrasi denotari, sed mediam seu instrumentalem simpliciter significat; & sensus est, vel per ipsum Christum nos remissionem peccatorum consequi, vel per virtutem & potestatem Christi. Interdum enim Hebræi *nomen alicujus* pro eo ipso, cui vox nominis additur, sumunt: unde in locis antea de Deo citatis, Deus nunc *propter se*, nunc *propter nomen suum* aliquid facere dicitur, eodem sensu: interdum virtutem, potestatem, dignitatem, vel auctoritatem voce nominis denotant, quemadmodum fit Phil. 2. 9, 10. Ephes. 1. 21. Hebr. 1. 14. Act. 4. 7. Quod si ex his Petri verbis judicandum est de verbis Johannis, statuendum erit, id velle Johannem, nos per Christum, ejusve potestatem, remissionem peccatorum consequi, cum hunc ipsum in finem sit à Deo excitatus servator Act. 5. 31, præterquam quod non nisi per fidem in ipsum, cujus ipse auctor est, eandem consequamur, quod ipsum quoque in loco Johannis intelligi potest, ut paulo post dicitur. Atque hæc interpretatio eo minus est repudianda, quod vox *propter* interdum pro *per* ponitur, idque eo in loco, quem Calvinus, contra quem Socinus disputat, ad hunc Johannis locum illustrandum attulerat, qui est apud eundem Johannem cap. 6. Euang. vs. 57. *Ego vivo propter patrem, & qui comedit me, vivet propter me*. Ubi *propter patrem* est *per Patrem*, vel virtute Patris: *propter me* est *per me* vel virtute mea: quam enallagen ibi agnovit Beza. Phrasin vero *propter nomen alicujus*, posse significare *propter fidem in aliquem*, aut *propter cognitionem alicujus*, Socinus docuit,

& hoc ipso in loco id fieri ostendit, collatione hujus versiculi cum 13, ubi idem aliis verbis repetitur. Quod enim in loco nostro dicitur: *Scribo vobis, filioli, quod remittantur vobis peccata propter nomen ejus*, id vers. 13 his verbis repetitur: *scribo vobis, pueruli, quia cognovistis patrem*. Qua de re plura apud ipsum Socinum videri possunt, tum in ipso de J. C. Servat. libro, tum in Commentario, quo hanc Epistolam illustravit. Quod si verba istiusmodi *propter fidem*, aut *cognitionem alicujus*, Grotius velit etiam causam impulsivam denotare, habebit etiam in nostra explicatione illorum verborum *propter nomen ejus* causam impulsivam, sed quæ ad satisfactionem stabiliendam nihil faciat: sin instrumentalem tantum aut mediam, fateri cogetur, phrasin *propter nomen alicujus* non semper impulsivam causam denotare. Quamquam interdum, ut interpretes animadverterunt, cum Deus *propter nomen suum* aliquid facere dicitur, aut ut faciat rogatur, nihil aliud significatur, quam eum id facere, aut facere debere, *propter gloriam suam*; cujus rei exemplum habes in loco illo Ezech. 36. 22 alibi * à nobis citato. Id autem de fine potius videtur intelligendum, quam de causa impulsiva.

RESPONSIO

Ad Cap. VII. quod inscripfit Grotius:

De placatione & reconciliatione per Christi mortem facta.

QUæ Grotius Partic. 1, ab initio hujus capituli affert, ut ostendat, Socinum non nudam satisfactionis vocem, sed rem ipsam ea voce expressam impugnasse, qua de causa alias quoque locutiones, quibus Theologi de satisfactione loquentes utantur, repudiavit; ea responsione non egent. An res ipsa, quæ satisfactionis voce notatur, in Sacris Literis contineatur, ex dictis clarum est. An præter eas, quas hæcenus examinavimus, aliæ locutiones idem valentes, imo illæ ipsæ, quas Socinus rejicit, in Sacris Literis reperiantur, nunc videamus. Id enim Grotius se demonstraturum asserit. Attulit autem Grotius ex Socino istas locutiones, quas tamen Socinus non omnes idem quod satisfactionis verbum significare arbitratur: *Christus morte sua nobis Deum reconciliavit*; *Christus nos è manibus justitiæ divinæ, sanguinem suum redemptionis nostræ pretium illi dans, liberavit*; *Christus scelera nostra sua obedientia compensavit*; *Christus, ut remissionem peccatorum nobis Deus largiretur, digne commertus est*; *Christus vitæ jactura Dei iram placavit*. His addiderat Socinus etiam illam, quam Grotius hic omittit: *Christus pœnas universas nostris iniquitatibus debitas, moriendo divinæ justitiæ persolvit*. Attulerat autem has loquendi formulas So-

cinus ideo, ut ostenderet, non carere falsitatis suspicionem doctrinam de satisfactione, nec immerito à quovis repudiari, donec ea perspicue ex Sacris Literis fuerit demonstrata; cum non modo satisfactionis vox in Sacra Scriptura nusquam extet, verum etiam in ea explicanda opus sit uti loquendi formulis Sacræ Scripturæ prorsus incognitis, quales sunt istæ, quas enumeravimus, quibus tamen scatent Theologorum libri & conciones. Cur enim eadem in Sacris Literis non extant, nec tam frequenter inculcantur, præsertim cum in cognitione satisfactionis cardo salutis verti credatur? An enim divini homines, qui Spiritu Sancto impellente salutis viam literis manderunt, minore vel charitate vel diligentia in re tanti momenti inculcanda & explicanda usi sunt, quam Theologi recentiores? Nec sane Grotius, etiam si asserat, illas ipsas locutiones, quas rejicit Socinus, in Sacris Literis reperiri, id demonstravit. Demonstravit quidem, scriptum esse, Christum nos Deo reconciliasse, & *ἰλασθεῖν* peccata nostra, aut esse *ἰλασµὸν* pro peccatis nostris, aut *ἰλασῆναι*; quæ omnia nos agnoscimus: sed nusquam ostendit scriptum, Christum *reconciliasse nobis Deum*, aut *Dei iram placasse*, quod nos cum Socino scriptum negamus. Demonstravit etiam, Christum nos redemisse, aut redemptionis pretium dedisse, quod nos quoque fateamur: sed nusquam ostendit scriptum, *Christum nos è manibus Dei* aut *justitiæ illius*, vel simpliciter à Deo nos redemisse, aut pretium redemptionis Deo dedisse aut persolvisse, quod nos cum Socino negamus. Cæteras loquendi formulas, quas à Socino repudiari dixerat, in Sacris extare, itidem non docuit. Quomodo ergo asserit, illas ipsas locutiones, quas Socinus rejicit, in Sacris Literis reperiri? Sed videamus, quæ Grotius asserat testimonia, ad demonstrandum idem valentes locutiones, imo illas ipsas, quas rejicit Socinus, in Sacris Literis reperiri.

Refert ergo testimonia illa ad classes quatuor Partic. 2. *Primam classem facit earum locutionum, quæ iræ aversionem designent. Alteram earum, quæ liberationem per redemptionem seu pretio dato factam indicent. Tertiam earum, quæ subrogationem innuant. Quartam earum, quæ morti Christi vim adscribant sacri expiatorii.*

Ad primam classem sese accingens, hoc præmunit Grotius Partic. 3: *Iram alicujus avertere* Grace dicitur *ἰλασθεῖν*, *εἰρηποιεῖν*, *καταλλάσσειν*, *ἀποκαταλλάσσειν*, Latine placare, pacare, conciliare, reconciliare, item propitiare.

Hic primum animadvertenda est ambiguitas in phrasi, qua Grotius utitur: *iram alicujus avertere*, qua detecta non parum lucis sequenti disputationi accedet. Duplici enim ratione dici potest, iram Dei, de qua hic nobis agendum est, averti: vel quod ira Dei, qua is jam sit accensus, in ipso mitigetur & extinguitur, ita ut ex irato placatus reddatur; qua ratione Grotio in hac disputatione phrasis ista est accipienda, si Socinum velit oppugnare, & iram Dei morte Christi placatam demonstrare; vel quod ira Dei, quæ esse posset, aut omnino etiam sequutura esset, avertatur, h. e. efficiatur, ne quis iram Dei, quam promeritus fuerat, & pœnam, quæ iræ effectus est, sentiat; quo sensu nos fateamur, imo urge-

* Sup. cap. 2, partic. 28.

gemus, Christum Dei iram à nobis avertere: cum de eo Paulus scribat 1 Theff. 1. v. ult. quod nos eripiat *ab ira ventura*, & Rom. 5. 9, 10, quod per ipsum, & quidem *in vita ipsius*, *servandissimus ab ira*. Nam dum ceteri homines suorum scelerum pœnas dabunt, & iram Dei adversus se experientur, Christus potestate sua, quam habet, nos tuebitur, omniaque supplicia à nobis avertet, adeo ut iram Dei haudquam simus sensuri. Quin etiam in hac vita patrocini- nio suo nos à iudiciis divinis tuetur, & cum alii pœnas peccatorum luunt, nos ipsius cura & tutela ab iis immunes reddimur. Et hoc sensu Christum *ἱλασμον* dici aut *ἱλασμοῦ διὰ τῆς αἰματὸς τοῦ λαοῦ* h. e. expiare peccata populi, mox patebit. Quanquam alia quoque restat ratio, eaque duplex, qua Christus Dei iram à nobis avertit, ut paulo post dicemus. Deinde illud quoque animadvertendum est, etiamsi iram alicujus avertere sit Græcis *ἱλασμοῦ*: non tamen semper viceversa, nisi id ad personam, non ad rem aliquam, ut non raro accidit, referatur, quemadmodum inferius patebit. Grotio autem ad argumentum contra Socinum ex hoc verbo nectendum, non tam ea enunciatione, quam ponit, quam conversa est opus. Cætera, quæ de his verbis Græcis dicenda restant, suis locis videbimus.

Verbi Rom. 1. 18, quæ de ira Dei agens citat Grotius, non ad omnes homines omni-que secula simpliciter pertinent, sed ad eos, qui veritatem divinam per impietatem detinent, &, quantum in se est, supprimunt. Ratio subjecta nulla est. Potest enim quispiam esse filius iræ, etiamsi talis, quales ibi describuntur, non sit. Latetque in hac argumentatione consequentis fallacia. Omnes enim illi, de quibus Rom. 1. 18, sunt natura filii iræ, sed non contra. Hucusque legi.

De verbis Johan. 3. 36 supra cap. 3 egimus, & aliam, quam Grotius arbitratur, eorum sententiam esse docuimus. Loquuntur enim de ira, quæ super iis, qui Christo non credunt aut obediunt, manet, non quod antea fuerit super iis, sed quod ab iis, postquam existeret cœperit, porro non sit auferenda. Quare concidit illud, quod subjicit Grotius, Christum morte sua hanc aversionem iræ, quæ super aliis maneat, impetrare. Quamquam quicquid de Impetratione illius aversionis iræ dicit, id pro concessio sumit Grotius, nisi Impetrare sumat pro Efficere, ut quis rem ab altero, sub certa conditione sibi jam decretam, obtineat. Hac enim significatione concedere possumus, Christum morte sua impetrasse aversionem iræ divinæ; quia morte sua effecit, ut iram Dei, quam sumus meriti, non simus sensuri; quamquam vi decreti divini jam antea ea de re facti, sed cujus effectus plenus à certis adhuc conditionibus pendebat. Effecit autem id mors Christi triplici ratione, quemadmodum cap. 1. est explicatum: partim quia per eam jus quoddam nobis datum est impunitatem vi Fœderis Novi, cujus fuit sanctio, consequendi; partim vero, quia per & propter eam Christus plenissimam adeptus est potestatem omnes peccatorum pœnas à nobis avertendi; partim denique quia in nobis efficit conditiones eas, quibus præstitis vi decreti divini remissionem peccatorum re ipsa adipiscimur. Atque hoc sensu Christum *ἱλασμον*

feu *expiationem*, aut, ut Grotius vult, *placamen* dici arbitramur.

In locis 1 Johan. 2. 2. & 4. 10. in quibus Christus *ἱλασμος* dicitur, quod placamen vertit Grotius Partic. 5, adducendis, & ad sententiam suam accom- modandis, non uno modo lapsus est. Primum testi- monium sic habet: *Si quis peccarit, advocatum ha- bemus apud Patrem, Jesum Christum justum, & ipsa est ἱλασμος (expiatio) pro peccatis nostris, nec pro nostris tantum, sed pro peccatis totius mundi*. Grotius pro vo- ce *justum*, qua Johannes Christum insignit, non recte reposuit *innocentem*. Nam et si vox *justus* sæpe pro innocente sumitur, non tamen semper. Significat enim inter alia etiam fidelem seu constantem in ser- vandis promissis, ut cap. 1. falsus est Grotius: & hoc pacto, ne longe abeamus, accipitur hæc vox à Jo- hanne cap. præced. vers. 9. in verbis illis: *Si confitea- mur peccata nostra, fidelis est (Deus) & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate*. Hoc eodem modo in verbis nostris accipi potest, sensu eleganti, cui Grotius sua interpreta- tione viam quodammodo præcludit, (neque enim vox *innocentis* fidelem nominatim significare solet) nempe Christum, quia sit fidelis & constans in ser- vandis promissis, nostri patrocini- nio apud Patrem suscepturum, & peccata nostra expiaturum, hoc est, omnes peccatorum pœnas, quas Deus comminatus fuerat, & quæ ab irato Deo in impios proficisci so- lent, potestate ea, quam à Patre accepit, à nobis averfurum: cum ipse nobis resipiscentibus perpetuam à peccatorum pœna liberationem promiserit. Quem sentum jam explicuerat Socinus lib. 2. cap. 21. Deinde, qua ratione probat Grotius, hoc loco Chri- stum *ἱλασμον* dici, quod *morte sua ira Dei a nobis aver- sionem impetraverit*, h. e. ut ipse hæc verba accipit, iram Dei jam tum adversus nos incitatum, pœnam pro nobis sustinens, extinxerit? Verba Johannis nullam mortis Christi mentionem faciunt, nec opus est eam hic nominatim subaudire ad sensum loci complendum: imo ex cæteris verbis non obcurum est, Christum appellari hoc loco *ἱλασμον*, quate- nus apud Patrem nunc degens advocatus noster est, & causam nostram suscipit, nos patrocini- nio suo fo- vet & tuetur, & cura sua singulari efficit, ne iram divinam experiamur, aut pœnas, quas meriti su- mus, luamus. Quo pertinent illa Hebr. 7. 24. *Hic autem eo quod permaneat in æternum, sempiter- num habet sacerdotium. Unde servare perfecte potest accedentes per ipsum ad Deum, semper vivens ad in- terpellandum pro iis*. Et illa cap. 2. 17. in quibus fidei etiam ipsius sit mentio, à qua *ἱλασμος* peccato- rum proficiatur. Ait enim D. Auctor: *Unde de- buit per omnia fratribus similis fieri, ut misericors fieret & fidelis Pontifex in iis quæ ad Deum, ad expiandum peccata populi. Nam in quo passus est ipse cum esset ten- tatus, potest & iis qui tentantur auxiliari*. Ex hoc er- go loco non potest concludi, ipsi morti Christi aversionem iræ divinæ, multo autem minus iræ il- lius placationem, quam Christus pœnas sustinens impetraverit, esse tribuendam; adeoque nec satisfactio hinc ulla, quam placatione ista Grotius vult indicari, stabilitur. An enim in cœlis Christus Deo satisfacit, aut pœnas aliquas solvit?

Partic. 6. Posterior Johannis locus, qui extat 1 Epist. c. 4. 10, manifestum Grotii errorem arguit. Nam si in eo sita est dilectio, quod Deus nos dilexerit, & filium suum miserit *ἵλασμεν* pro peccatis nostris, quomodo Christus morte sua demum iram Dei adversum nos incensam placavit? Nam cum dilectio illa Dei, quæ sane fuit summa, causa fuerit, cur Deus charissimum suum filium mitteret, ut esset *ἵλασμος* pro peccatis nostris, necesse est, ut Deus iram adversus nos jam ante deposuerit. Quod si Grotium sequamur, hæc erit verborum Johannis sententia prorsus absurda: In eo consistere singularem illum & prorsus admirandum Dei adversus nos amorem, quod filium suum miserit, qui ipsius adversus nos iram placaret, eumque nobis propitium redderet. Itane quispiam amat alterum, ut, id, quod habet pretiosissimum, ejus causa impendat, quo ipsemet placatur, & ei ipsi, quem tantopere amat, propitius fiat? Quid absurdius dici potest? Nonne eodem tempore & impense amabit, & non amabit? Si Deus etiam tum potuit nobis irasci, cum filium suum charissimum supremæ nostræ felicitatis causa morti acerbissimæ objiceret, quod satis magnum argumentum erit, ex ejus effectis petatum, unde cognoscamus, eum nobis non irasci amplius? Dicitur autem Christus eo loco missus, ut esset *ἵλασμος* pro peccatis nostris, quia eum in finem fuit missus, ut expiationem peccatorum nostrorum, seu perpetuam ab eorum poenis liberationem per ipsum consequeremur. Qua vero id ratione per mortem Christi factum sit, paulo ante explicuimus.

Partic. 7. Testimonium Pauli Rom. 5. 8: *Commendat Deus suam charitatem (erga nos omisit Grotius) quod, cum adhuc peccatores essemus nos, Christus pro nobis mortuus est*; quod cum illo Johannis conferri vult Grotius, itidem sententiam ipsius convellit. Docet enim ibi Paulus, mortem Christi pro nobis susceptam, ex singulari Dei erga nos charitate profectam esse, non vero charitatem Dei ex Christi morte. At si Christus morte sua Deum iratum nobis reddidisset propitium, Dei erga nos charitas ex Christi morte fuisset profecta, non contra.

Nec quartus locus Partic. 8, aliud docet Rom. 3. 24, 25: *Justificamur gratis, ipsius (Dei) gratia, per redemptionem quæ in Christo Jesu, quem proposuit Deus ἵλασμεν (propitiatorium) per fidem, in ipsius sanguine*. In eo enim est Apostolus, ut ostendat, meræ Dei gratiæ seu benignitati justificationem nostram esse imputandam, quemadmodum cap. præced. partic. 34 docuimus, ubi ostendimus etiam redemptionem illam in Jesu Christo factam, per quam justificatio nobis contigerit, divinæ beneficentiæ tribuendam esse. Quare cum eandem rem uberius explicans addit, quod Deus proposuerit Christum propitiatorium, non potest is esse sensus, Christum fuisse constitutum, ut nobis Deum iratum placaret, & ut remissionem peccatorum nobis decernere aut promittere vellet, morte sua impetraret: imo cum ipse Deus dicatur proposuisse Christum propitiatorium per fidem, in ipsius sanguine, manifeste colligitur, Deum salutem nostram jam tum cupiisse, & media, quæ ad eam perficiendam pertinerent, sponte sua procurasse, ac rationem æquissimam, qua ipsum

propitium experiremur, in Christo ostendisse, voluisseque ut Christus, filius ipsius unigenitus, sanguinem suum eum in finem funderet: quæ omnia an ullam Dei adversus nos iram, quæ in eo tum temporis existeret, admittunt? Ira enim est poenam expetere, & prohibere quominus nobis benefaciat Deus, cujus hic summa extitit in nos beneficentia. An arguunt à Christo impulsus esse Deum ad peccata nobis condonanda, & non potius Christum à Deo ad id missum atque impulsus fuisse, ut ea faceret, quæ ad peccatorum remissionem nobis tum conficiendam tum parandam pertinerent? Quare, cum ista vocis *ἵλασμεν* significatio, quam Grotius urget, consistere nequeat, quærenda est alia, tum cæteris Sacris Literis locis, tum hujus ipsius loci scopo consentanea. Eam vero invenire non est difficile, si consideremus, quorsum Apostolus in hac appellatione respexerit. Animadverterunt autem interpretes, eum allusisse ad operculum arcæ fœderis, quod tum à 1. xx Interpretibus multis in locis, tum ab Auctore Epist. Hebr. cap. 9. 5, *ἵλαστήριον* vocatur, quia, ut infra non diffitetur Grotius, Deus in eo propitium & placatum se populo præbens, sua responsa dabat, & Moysi loquebatur, quæcunque illis significari volebat Exod. 25. 22. At in Christo non modo se nobis Deus propitium & admodum clementem exhibuit, verum etiam, quicquid nos de sua voluntate, nostræque justificationis modo & via scire voluit, per ipsum plenissime exposuit, & ostendit, quo pacto ipsum propitium re ipsa sentire possemus. Quapropter Christus eam ob causam recte *ἵλαστήριον* appellari potest.

Ex his patet, id, quod subjicit Grotius: *Quod (nempe) Christum esse factum ἵλασμεν seu ἵλαστήριον in sanguine suo* quid est aliud quam id ipsum quod negat Socinus, *placatum a Christo Deum*? nullo niti fundamento.

Sed castigat Socinum Grotius Partic. 9, quod *ἵλασμεν* apud Johannem expiationem interpretetur, expiationis autem voce peccati destructionem intelligat, quia id faciat nulla de causa, nullo munitus exemplo.

ἱλάσασθαι, unde *ἵλασμος*, expiandi significationem habere, mox docebimus, neque id revera esse videtur, quod Grotius negat, qui explicationem potius hujus vocis nomini *ἵλασμος* non putat convenire. Socinus per expiationem hoc loco perpetuam à peccatorum poenis liberationem intelligit. Hoc ipsum velle Johannem, satis indicat collatio hujus vers. cum præcedenti. Eandem enim sententiam Johannes suo morte repetit, & quod antea dixerat: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quod filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut viveremus per ipsum*, id seqq. vers. ita effert: *in hoc est charitas &c. quod ipse dilexit nos, & misit filium suum ἵλασμεν pro peccatis nostris*. Unde apparet eatenus Christum dici *ἵλασμεν pro peccatis nostris*, quatenus per ipsum vivimus, seu quatenus nos, qui graviter peccaveramus, ab æterna morte peccati poena liberat, & vitam æternam divina voluntate nobis confert. Eatenus verba hæc posteriora addunt aliquid præcedentibus, quatenus docent, Christum non fuisse à Deo missum ut hominibus innocentibus tantum

tantum vitam æternam offerret, eaque faceret, quæ ad illam reipla iis conferendam essent necessaria, sed potius ut peccatores, & homines qui impie vixissent, viæ illius redderet participes; quam gratiam N. Fœderis propriam esse cap. 1 docuimus. Vocem *ἱλάσκει* placationem iræ divinæ non significare, ex loco ipso paulo ante demonstravimus. Non satis autem commode Grotius explicuit, quid sit ex Socini mente Expiatio, dum ait, esse *Peccati destructionem*, quibus verbis Socinus non utitur, sed satis aperte scribit*, Expiare esse peccata purgare & eorum reatum ac poenam auferre. *Destruere peccatum* ambiguum est, & significare potest, idque fortasse magis proprie, ipsas transgressiones divinæ voluntatis tollere, seu efficere, ne quis amplius peccet, quæ non tam illa ipsa expiatio est, de qua Socinus loquitur, quam ejus medium, cum de ablatione reatus loquatur, ad quam necessaria est ista peccatorum destructio.

ἱλάσκειν, ait Partic. 10, apud Græcos Scriptores omnes Poetas, Historicos, alios esse placare, & solere construui cum accusativo designante personam, cujus ira avertitur: nec aliter usurpari apud Lxx interpretes, & Luc. 18. 13.

De cæteris Scriptoribus, qui puritatem Græcæ linguæ servant, nunc non erimus solliciti; cum Sac. Scriptores N. Testamenti Hebraï mis innumeris sca-teant, & sic à consuetudine linguæ Græcæ ad Hebraicam deflectant, quod in hoc ipso, de quo agimus, verbo Hebr. 2. 17, ubi id de Christo effertur, factum esse mox fatebitur Grotius. Sequuti sunt divini illi viri inprimis Lxx seu Græcos V. Testamenti interpretes, ex quorum versione innumeros loquendi modos in N. Testamenti Scripta traductos esse alibi monuimus: cum quibus jungendi sunt librorum Apocryphorum ante illud tempus extantium auctores, qui & ipsi Hebraizant. At apud hos Scriptores *ἱλάσκειν* aut *ἱλασκειν* (nam activi *ἱλάσκειν* vix est apud illos usus) non semper est placari, hoc est, ex irato propitium fieri, præsertim ab alio: sed interdum, cum absolute seu intransitive, ut loquuntur, sumitur, significat propitium esse, aut propitium, clementem ac mansuetum se exhibere tum, cum irascendi justa foret causa; uno verbo, ignoscere ac parcere. Atque huc recte potest referri locus Lucæ à Grotio citatus cap. 18. 10, ubi interpretes plerique verbum *ἱλάσθην* reddiderunt *propitius sis* vel *esto*, quasi dictum esset *ἀφίης* vel *ἱλαῖς ἴδθι*. Neque enim necesse est ita verbum istud interpretari, ac si dictum foret, *desine irasci*: quanquam ne sic quidem sua vi placationem ab alio profectam significaret. Hanc significationem reperies apud Græcos interpretes aliquoties, ubi in Hebræo est verbum *Salach*, quod est ignoscere, parcere, condonare delictum, unde ab iis sæpe redditur *ἀφίης* remittere: sed verbum *ἱλάσκειν* habes pro eo positum bis 2 Reg. 5. 18, in oratione Naamanis. Vide inter alia Levit. 4. 20, 26, 31, 35. cap. 5. 10, 13, 16, 18, qui sibi à Deo cupit ignosci, si ingressus in ædem Rimmon, cum Rege sibi innitente ibidem adoraret, seu sese incurvaret; & Psal. 25. 11, (aut 12) Thren. 3. 41. Dan. 9. 19. Alibi sæpe eodem sensu reddunt id verbum *ἱλαῖς εἶναι* propitium esse. Sed præterea non raro verbum *ἱλά-*

σκειν aut *ἱλασκειν*, cum transitive usurpatur, significat Expiare aut Expiari. Vid. 1 Reg. 8. 30, 34, 36, 39, 50, eod. modo 2 Par. 6. & c. 7. 14. Jer. 5. 1. xxxi. 34, (conf. Hebr. 8. 12) & xxxvi. 3. lx. 20. Solent enim id interpretes Græci Vet. Testamenti frequentissime reponere pro Hebraico Cipper, seu (habitatione pronunciationis) Kipper, quod est expiare; idque propterea, quia cujus delictum expiatur, is *ἱλαῖς* seu propitium experitur cum, quem offenderat, & iram ejus, quam meruerat, quæque si non existat, existere tamen posset, effugit; quod satis est ad id, ut verbum *ἱλάσκειν* de expiatione possit usurpari. Exemplum, ubi verbum hoc pro expiatione usurpatur, passim occurrunt apud Moysen, præsertim in Levitico: Quia vero Deus etiam in S. Lit. dicitur expiare; peccatum autem, vel id, quod aliqua labe contaminatum est, expiari; ideo etiam *ἱλάσκειν* aut *ἱλασκειν* interdum Deo tribuitur active, eodemque modo Christo, passive autem de peccato ipso, aut de eo, quod labe aliqua contaminatum est, confertur. De Deo exemplum habes apud Siracidem cap. 34. 23, ubi cum dixisset, *oblationibus impiorum non delectatur dominus*, addit *ἐδὲ οὐ πάλθεις θυσιῶν ἱλασκήσκει ἀμαρτίας* neque in multitudine victimarum expiat peccata. De Christo extat locus Hebr. 2. 17, de quo paulo post agemus. In quo utroque loco verbum hoc passive ad peccatum refertur, ea, qua diximus, significatione, quod fit etiam Deut. 21. 8, ubi dicitur: *καὶ ἱλασθήσεται αὐτοῖς τὸ αἷμα*, & expiabitur illis sanguis, hoc est, reatus sanguinis auferetur, ut habet vulgata versio, intellige à Deo. Præcesserat enim: *Expia populum tuum Israël, quem redemisti, Domine, & ne imputes sanguinem innocentem in medio populi tui*. 1 Sam. 2. 14, ait Deus: *Juravi domui Eli, καὶ ἱλασθήσεται ἡ ἀδικία οἴκου ἡλὶ* si expiabitur iniquitas domus Eli Dan. 9. 24, *Ἔ ἱλασθήσεται ἀδικίας*, ad expiandum injustitias. Apud Siracidem ea constructione & significatione reperitur aliquoties. Vide præter locum cap. 34, paulo ante commemoratum, cap. 3. 4. xxxij. 5, 6. xx. 30. xxviii. 5. Eodem modo effertur de terra sanguine polluta Num. 35. 33, de Sancto Sanctorum, Æde Sacra, & ara expianda Levit. 16. 16, 20, 33. Ezech. 43. 20, 22, 26. xlv. 20. Ea vero *ἱλασκειν* nil est aliud, quam ea *καθαρίζειν* expurgare, aut *ἀγιάζειν*, sanctificare, quæ verba interdum cum illo hac in re commutantur, interdum conjunguntur. Vid. d. l. Levit. 16. 19. Ezech. 43. 20, 26. & Exod. 29. 36, 37. Quomodo ergo ait Grotius, apud LXX interpretes, seu in Græca Vet. Testamenti interpretatione, non aliter usurpari vocem *ἱλάσκειν*, quam ipse dixerat, hoc est, ut significet placare, & construatur cum accusativo designante personam, cujus ira avertitur? Cur item mox subjicit, *uno duntaxat loco, qui est Hebr. 2. 17, dicitur (Christus Sacerdos constitutus, καὶ τὸ ἱλάσκειν τοῖς ἀμαρτίαις, ubi sit en allage ex Hebraïsmo veniens, ἱλάσκειν τοῖς ἀμαρτίαις, cum usitate dici debuerit ἱλάσκειν θεῷ πρὸς τῶν ἀμαρτιῶν)*; siquidem non modo apud LXX, sed etiam apud Siracidem, idem fieri ostendimus. Imo, quod amplius est, nec apud LXX, nec apud Siracidem, aut alios Scriptores Sacros deprehendere hæcenus potui eam constructionem, quam Grotius vult esse usitatam, quamque nos apud alios Scriptores reperiri non negamus. Neque enim uspiam apud

* Lib. 2. cap. 12.

istos, quos dixi, Auctores reperio scriptum, quempiam *ἱλασκει* aut *ἐξιλάσκει* τὸν θεόν, aut aliam quempiam personam. Dicitur quidem Deus *ἐξιλάσκει*, sed vel activa significatione, ut supra vidimus, vel absolute atque intransitive, ut deponentia multa apud Latinos, non vero passive, hoc est, ita ut passionem aliunde profectam & subiecto inditam significet: unde pro eo nunc *ἵλεων εἶναι*, nunc *ἀφίεναι* reponi, ostendimus: qua significatione ponitur non tantum pro Hebræo Salach, quod est parcere, sed etiam pro Cipper seu Kipper, cum id de Deo active, passive de peccatis effertur; ubi Græci interpretes mutata constructione peccatorum nomen tertio casu efferre solent, & dicere, Deum *ἱλάσκει* ταῖς ἁμαρτίαις: vid. Psal. 65. 4. lxxviii. 38. Illud fortasse decepit Grotium, quod tum apud LXX interpretes, tum apud cæteros Scriptores Sacros, verbum *ἱλάσκει* frequentissime soleat construī non cum voce accusativi casus, denotante personam aut rem, quæ expiatur, sed cum nomine genitivi casus, interveniente præpositione *πρὸς*, hoc pacto: *ἐξιλάσκει* πρὸς πινθ. Quo constructionis genere Christus dicitur *ἱλασμός* πρὸς ἁμαρτιῶν apud Johan. 1 Epist. cap. 2. 2. & 1v. 10. Itaque cum nihilominus vox *ἱλάσκει* activam significationem tunc videatur habere, quemadmodum & Hebræa Kipper, pro qua reponitur; statuendum videtur, tacite subaudiri accusativum personæ, quam sacerdos v.g. de quo omnium creberrime ea vox effertur, dicatur *ἱλάσκει*, quæ quidem nulla hicalia reperiri potest præter Deum. Sed si ita se res haberet, cur non reperiretur vel semel de sacerdote dictum, eum *ἱλασκει* τὸν θεόν ἁμαρτιῶν, aut *πρὸς πινθ*, cum contra legatur, cum *ἐξιλάσκει* τὸ αἶμα, τὸ θησαυρίζον; & alibi eodem modo tum alii, tum ipse Deus dicatur *ἐξιλάσκει* τὰς ἁμαρτίας, qui sane nec ipsa, nec personam ullam eo nomine placat. Nam consentaneum foret illud crebro reperiri, hoc raro aut nunquam; cum de peccato, sancto sanctorum, aut ara dici non queat, ea placari, sed de Deo, ut hic Grotius dicendum esse contendit. Itaque nos potius ex collatione ista locorum ac phrasium in Scriptura extantium colligere possumus, *ἐξιλάσκει* πρὸς ἁμαρτιῶν nil esse aliud, quam *ἐξιλάσκει* τὰς ἁμαρτίας, itemque *ἱλασμός* πρὸς ἁμαρτιῶν, & *ἱλασμός* ἁμαρτιῶν, idem prorsus esse, & utrumque *καθαρισμός* seu expiationem & expurgationem peccatorum, quæ in reatus ac pœnæ ablatione potissimum consistit, significare. Perspici potest idem ex eo, quod Hebræum Kipper, eadem sententia manente, construatur cum nomine aliquo accusativi casus, nulla interveniente præpositione, & cum eodem, interventu præpositionis illius, quæ in hoc negotio reddi solet *πρὸς*, estque frequentissime Hal, rarius Behad aut alia. Sic Levit. 16. 16, 18, dicitur de sacerdote, quod expiare debeat sanctuarium ab immunditiis filiorum Israël, itemque aram, interveniente præpositione Hal, quæ tum à Græcis interpretibus tum à Latinis ibi negligitur; nisi quod vetus interpret posteriori loco habet *oret pro se*, quasi de ipso Sacerdote expiando agatur; at eodem capite inf. 26. 33, idem sine præpositione illa dicitur, eodem plane manente sensu. Eodem modo in locis supra à nobis notatis Psal. 65. 4. 78. 38,

dicitur Deus peccata expiare, absque præpositione voci *peccati* præfixa; quibus adde Esai. 6. 7. & Dan. 9. 24. At Psal. 79. 9. & Jer. 18. 23, idem de eo dicitur cum præpositione. Ratio autem huius rei videtur pendere à propria & primitiva verbi Kipper, aut Caphar, unde ducitur, significatione, quæ, satente Grotio, est obtegere; à qua significatione ne tum quidem penitus recedit, cum expiandi significationem habet. Ideo enim potissimum expiatur peccatum, & reatus ejusaufertur, quia aliquo modo tegitur aut obliteratur. Verba vero Hebræa, quæ tegendi atque operiendi significationem habent, sæpe accusativum simpliciter regunt, quemadmodum etiam in aliis linguis accidit, interdum nomen cum præpositione ea, quam verbo Cipper seu Kipper subiungi solere diximus, nempe Hal, quæ crebrius occurrit, aut Behad, aut alia simili, manente interim eadem significatione. Unde ea præpositio interdum à Græcis & Latinis interpretibus negligi solet Vid. inter alia Exod. 40. 21. Num. 16. 33. Job 21. 26. Psal. 44. 20, non secus ac si ea omissa nomen accusativi casus verbo fuisset subiectum. Ac ne alia hic conquiramus exempla, id, quod diximus, animadvertere quis potest ex collatione locorum Psal. 83. 3. & Neh. 4. 5. In priori enim loco absque præpositione est: *texisti omne peccatum eorum*, in posteriori cum præpositione Hal, *ne tegas super iniquitatem eorum*, quod Latini interpretes, omissa præpositione, simpliciter reddiderunt, *ne tegas iniquitatem eorum*, sensu nihil immutato: quanquam Græci habent *μὴ καλύψῃς ἐπὶ αἰσχυρίαν αὐτῶν*; quo pacto etiam alibi Psal. 140. 2. cvl. 17. (18.) Malach. 2. 16, huiusmodi loquendi genus reddiderunt: nonnunquam alias etiam præpositiones adhibuerunt. Præpositionem enim Hebræam, licet eandem, ita reddiderunt, prout putarunt melius congruere vel cum significatione verborum Hebræorum, vel cum ratione ac constructione verborum Græcorum, quæ pro illis posuerunt, præsertim cum ea varias significationes recipiat. Quare, ut ad verbum Kipper redeamus, id cum præpositione constructum non refertur necessario ad personam aliquam non nominatam, in quam actio ista transeat, qualis hoc loco foret Deus; sed vel absolute ponitur pro *expiationem facere* aut *peragere*, vel nomen cognatæ significationis subintelligitur, rem ejusmodi denotans, quæ peccatis veluti obtendatur, eaque tegat atque operiat. Quemadmodum etiam verba cætera quæ tegendi significationem habent, licet sua natura activa sint, tamen cum præpositione illa conjuncta vel absolute ponuntur atque intransitive, vel vox cognatæ significationis tunc est subaudienda, hoc est, tegumentum ac velum aliquod, quod obtendatur, aut extendatur super rem aliquam, quod videmus in Hebræo exprimi Exod. 40. 3, ubi est *tegere velum super arcam*, pro quo habent interpretes recentiores *teges* vel *obteges arcam velo*. Quare eodem modo statui potest de verbo *ἐξιλάσκει*, cum pro Hebræo Kipper ponitur, & cum genitivo per præpositionem *πρὸς* coniungitur, id vi constructionis non referri tacite ad personam, quæ placetur: sed, quod ad rem ipsam attinet, perinde esse, ac si referretur ad idem illud nomen, quod expressum est, sed accusativo casu, atque adeo omissa præpositione

sitione positum, præsertim tunc, cum vox peccati, aut similis alia ei subjungitur, ubi videmus eam aliquando omitti, propterea quod peccatum, præter causam impulsivam, quam hac phrasi *περὶ ἁμαρτιῶν* non exprimi alibi monuimus, per se nil nisi objectum sit hujus actionis: objectum autem æque exprimitur, siue dicas *ἐξιλάσκειται ἁμαρτίαν* siue *περὶ ἁμαρτίας*. At cum personæ, quæ expiatur, nomen subjicitur, quia ea per se rationem finis, finis, inquam, cui habere potest; finis autem præpositione ista significari potest; ideo ea nusquam fortasse omittitur. Nam etsi, quod ad rem ipsam attinet, nihil accedat phrasi, siue dicas *ἐξιλάσκειται ἡμᾶς* siue *πρὸς πᾶσι*: tamen quia prioris phrasedos non est significare, id, quod verbo subjungitur, finem actionis esse, licet id alias ex re ipsa intelligi queat: posterioris autem hæc vis esse potest; ideo emphaseos nonnihil accedit phrasi, si dicas *ἐξιλάσκειται πρὸς πᾶσι*, quæ abesset, si simpliciter diceret *ἐξιλάσκειται πᾶσι*.

Satis, ut arbitror, ostendimus Partic. II, vi constructionis, quam requirat verbum *ἐξιλάσκειται* de Christo usurpatum, evinci non posse, Deum à Christo fuisse placatum, & ex irato propitium redditum. Sed arbitratur Grotius, id nihilominus evinci posse ex natura vocis & perpetua ejus significatione. Verbis enim illis, quæ paulo superius ex ipso adduximus de loco Hebr. 2. 17, ita subjicit: *Significat ergo ibi expiationem, sed eam quæ fiat placando. Alioquin hic vocis usus nihil haberet commune cum natura vocis ac perpetua ejus significatione. Quare talem expiationem, qualem Socinus comminiscitur, id est, peccati destructionem, quæ fit sine placamento, ista quidem vox ἐξιλάσκειται & inde derivata ἱλασμός denotare non potest.* Sed ad hoc quoque responsum est à nobis tunc, cum ostendimus, cur verbum *ἐξιλάσκειται* pro Hebræo Cipper seu Kipper ponatur, & sic expiationem significet. Satis enim est expiatione fieri ut is, qui peccarat, *ἱλεων* seu propitium experiatur eum, quem offenderat, & qui irasci jure poterat; vel eum ipsum, qui irasci jure poterat, *ἱλεων* seu propitium sese ei, qui iram ejus meruerat, præbere, & sic reatum ac pœnam peccati benigne tollere; id quod Scriptura tum alibi, tum in descriptione Fœderis Novi Jer. 31. 34, & Hebr. 8. 12, vocat *ἱλεων εἶναι τῶς ἀδικίας* aut *ἁμαρτίας*: & ipse remittendi actus, utpote ex clementia profectus, interdum dicitur *ἱλασμός*, nulla habita ratione ejus, quod is, qui remittit, ab aliquo placetur, aut ex irato demum propitius fiat. Vide Psal. 130. 4. Sirac. 5. 5. xviii. 20. Sed deinde eam significationem verbi *ἐξιλάσκειται*, quam Grotius hic urget, locus ipse non admittit. Auctor enim divinus in verbis controversis non agit de re ejusmodi, quam in terris Christus peregerit, sed quam in cœlis degens, auxilium nobis tentatis ferendo, utpote mali nostri non ignarus, peragat: quemadmodum tum ea, quæ antecedunt & sequuntur, verba, tum locus similis ejusdem Auctoris ad finem cap. 4 docet. At in cœlis neminem revera nobis placat Christus, aut ut placet, necesse habet: cum ipse omnem in cœlo ac terra *ἐξουσίαν* seu potestatem habeat, eum in finem sibi à Deo datam, ut peccata nobis remittat Matth. 28. 18. Act. 5. 31. Quia tamen alienum hac in parte beneficium dispenfat, & non

naturali ac sibi plane propria, sed ab alio sibi data potestate id perficit, & eatenus alieno id facit nomine; ideo ita de eo loquitur Scriptura, ac si ab alio, tanquam sacerdos, aut advocatus, remissionem peccatorum nobis adhuc impetraret, & efficeret, ut Deus actu ipso se nobis exhibeat propitium ac clementem, cum re ipsa clementiæ illius effectum nobis jam antea decretum præstet. Qua de re monuimus nonnihil sub finem cap. 2, plenius id exsequuturi, Deo volente cap. 10. Non repetimus autem id, quod paulo superius hoc cap. diximus, expiationis naturam à Grotio non esse satis recte ex Socini mente explicatam.

Subjicit Grotius Partic. 13: *ἱλασμεν* apud Paulum interpretatur Socinus id, in quo se Deus placatum ostendit. Non negamus posse hanc significationem voci congruere, ac tali aliqua ratione tegmen Arcæ apud Scriptorem ad Hebræos vocari *ἱλαστήριον*. Sed cum ejus terminationis vocabula proprie vim quandam effectivam, improprie vero declarativam inducent, à proprietate nos hic discedere nulla ratio patitur. Apparet enim Christum ita apud Paulum dici *ἱλαστήριον*, ut apud Johannem *ἱλασμός*: At *ἱλασμός* omnino significat placamen, non placationis testimonium. Quare Scriptura Scripturam interpretante, vox quoque *ἱλαστήριον* de Christo active non declarative exponenda est.

Primum etiam si concederetur, *ἱλαστήριον* de Christo active non declarative accipiendum esse, non tamen protinus sequeretur id, quod Grotius vult, & Socinus oppugnat, Christum nobis Deum iratum morte sua placasse. Satis enim esset ad id, ut ea vox active de Christo accipi posset, eum vim aliquam, & quidem insignem, habere ad peccata nostra expianda, eorumque reatum ac pœnam tollendam, atque adeo ad efficiendum, ut nos Deum effectum ipso experiamur propitium; id quod nos cum Socino libentissime fatemur. Itaque possemus Grotio illud etiam concedere, ita Christum apud Paulum dici *ἱλαστήριον*, ut apud Johannem *ἱλασμός*. Nam non tantum inde non consequeretur id, quod vult Grotius, sed etiam contrarium. Ostendimus enim, verba Joh. præsertim cap. 4 non pati, ut placatio Dei, nomine *ἱλασμός* significetur. Sed deinde quid est, quod ostendat, diversas illas voces, quanquam ab eadem origine fluentes, apud diversos Scriptores, quorum alterum ad alterius verba respexisse nil constat, eodem modo accipi? præsertim cum negare Grotius non possit, diversas, quas illis nominibus tribuimus, significationes Christo congruere. Nam & propitium se Deus in Christo declaravit atque ostendit, & re ipsa Christus peccata nostra expiavit, atque adhuc expiat. Immo cum & per se sit verisimile, & interpretes plerique in eo consentiant, Paulum in voce *ἱλαστήριον* alludere ad operculum arcæ Fœderis, ad quam Johannem in voce *ἱλασμός* respicere nemo dixerit, cum is potius ad *ἱλασμός* seu expiationes à sacerdote ipso sub Lege factas alludat; diversam significationem hujus & illius vocis esse consentaneum est, eamque typo illi, ad quem respicitur, utrobique accommodatam. Jam vero operculum illud Arcæ non ideo dictum fuit *ἱλαστήριον*, quod vim aliquā activam haberet ad expiandum peccatum, nedum ad Deum placandum, quod Grotius de Christo apud Paulum hac voce vult significari, vel saltem expiatio-

expiationem ipsam aliquomodo adumbraret : sed tantum , quod Deus in eo propitium se populo ostenderet , & voluntatem suam , cum Mose ibi loquens , patefaceret , quod Grotius non diffitetur. Itaque consentaneum est , simili significatione Paulum de Christo eam vocem extulisse , quæ tamen in ipso longe illustrior est , quam in arcæ operculo , corporis illius umbra. Nam ne illud nunc commemorem , quod longe præstantiora Deus in Christo nobis patefecit , quam in arcæ operculo , & longe hic clementiorem se nobis exhibuit quam ibi : imo per Christum demum gratia patefacta est Johan. 1. 17. in illo ea , quæ ad Legem pertinerent ; operculum nihil prorsus ad istam declarationem contulit , seu nihil ea in parte egit : at quæ Deus in Christo hic fecit , ea Christus ipse Dei nomine egit : quemadmodum tum res ipsa , tum collatio locorum Ephes. 4. v. ult. cum quo jungendus est ille 2 Cor. 5. 19. & Col. 3. v. 13. alibi jam à nobis instituta docet. Ideo autem diximus per se verisimile esse , Paulum ad operculum illud arcæ in voce *ἱλασθῆναι* alludere , non vero ad *ἱλασµὸς* legales ; quod tegmen illud arcæ , Christi typum fuisse non sit obscurum , eique non modo apud auctorem Hebr. 9. nomen hoc *ἱλασθῆναι* tribuatur , sed etiam omnium frequentissime de eo apud LXX Interpretes usurpetur : & nihil sit in toto Pauli loco , quod allusioni illi repugnet , eique non faveat. Verisimile autem est , scriptores Novi Fœderis , quando nomen ejus rei , quæ Christi typus fuerit , de ipso usurpant , ad typum illum alludere , nisi circumstantiæ loci aliud suadeant. Hic autem nihil est quod dissuadeat , imo sunt , quæ allusioni huic , & interpretationi faveant. Nam quod Deus ipse dicitur vers. 25. Christum proposuisse & veluti in conspectu collocasse *ἱλασθῆναι* , idque eum in finem , ut quippiam de se demonstraret atque ostenderet ad homines pertinens vers. 26 , nempe justitiam suam , tum qua ipse justus est , h. e. fidem suam in servandis promissis , ut alibi * ostendimus , tum qua justificat eum , qui est ex fide Jesu ; id indicat , ad rem aliquam alludi , non quæ ab aliquo alio ad veniam à Deo impetrandam , eumve placandum fuerit adhibita , aut in ipsius conspectu peracta , sed quam Deus certo in loco collocandam & cuiusdam proponendam curarit , ut in ea quippiam ad homines spectans declararet atque ostenderet , quale tegmen istud arcæ fuisse docuimus. In sanguine autem Christi id dicitur esse factum à Deo , quia nullum illustrius sui erga genus humanum adhuc impium amoris , clementiæ , ac benignissimæ voluntatis documentum in Christo nobis spectandum proposuit , quam eum eundem illum charissimum suum filium pro nobis omnibus , pro hostibus , inquam , suis in mortem tam diram & infamem tradidit. Non commemoro autem , quod Apostolus paulo superius vers. 21 , unde ea , quæ hoc loco dicuntur , aliquo modo pendent , loqui cœperit de manifestatione seu promulgatione justitiæ Dei h. e. justificationis vere divinæ , quæ non ex Lege , sed per fidem contingere debeat omnibus , hoc tempore facta ; id quod cum nostra vocis *ἱλασθῆναι* explicatione egregie consentit. Non commemoro etiam differentiam , quæ est inter locum hunc Pauli

* Cap. I. partic. 26. & seqq.

& illum 1 Johan. 2. 2. ubi primum vox *ἱλασµὸς* occurrat. In hoc enim respicitur nominatim ad tempus istud , quo Christus apud Patrem in cœlis degit , & advocati fungitur munere : in illo autem potissimum ad tempus , quo in terris adhuc extitit. Quod vero Grotius ait , vocabula ejus terminationis , cuius est *ἱλασθῆναι* proprie vim quandam effectivam , improprie declarativam indicare ; observandum est , quasdam ejus generis voces substantivas effectum etiam & signum denotare actionem illam consequens , quæ verbis istis , unde fluunt , denotatur , qua ratione *νικηθῆναι* præmium significat victoriæ : multas etiam esse , quæ locum tantum denotent ejus actionis , quæ verbis , unde originem ducunt , significatur. Sic *ἀκρωτήριον* , *φρουρήσιον* , *δορυμνήσιον* , *κατακλιτήριον* , *θυσιαστήριον* , & alia similia , non rem quæ audiendi , cogitandi , vincendi , somnum efficiendi , sacrificandi vim habent , sed locum , ubi illa peraguntur , notant. Atque in horum numero *ἱλασθῆναι* est , cum de tegmine arcæ , quod sæpissime fieri diximus , usurpatur. Neque enim arcæ illius tegmen vim ullam effectivam habebat ad id , quod verbo *ἱλάσκεσθαι* significatur , quicquid tandem illud sit ; sed locus tantum erat in quo actio hæc peragebatur. Itaque tantum inquirendum relinquitur , quænam fuerit illa actio , quæ ibi perageretur. Quod si illa declaratio erat propitiæ voluntatis , non placatio , non hæc , sed illa nomine *ἱλασθῆναι* significabitur ; ita ut terminatio hic nullam vim ad id , quod Grotius quærit , habeat. Verbum autem Caphar vel Kipper , & sic etiam Græcum *ἱλάσκεσθαι* , quod pro illo omnium creberrime apud Græcos reponitur , à quibus verbis in utraque lingua tegminis illius nomen deducitur , etiam declarandi significationem habet. Itaque *ἱλασθῆναι* , dum denotat locum , in quo actio peragatur verbo *ἱλάσκεσθαι* designata , potest etiam denotare id , in quo declaratio fiat. Quod si in aliis vocibus ejusdem terminationis non ita crebro contingit , ideo potissimum id fieri censendum est , quia verba , unde deducuntur , illam significationem habere non soleant , quam verba Hebræa , quorum usus nobis hic in primis spectandus est , crebro recipiunt. Quod autem de loco actionis dicimus , id etiam ad id transferendum est , ad quod vox locum illum denotans transfertur , observata interim differentia , quæ est inter locum istum , & rem , ad quam vox ista traducitur. Quare cum de Christo effertur , in quo non tam ut in loco aliquo , quam ut in causa media , actio hæc perfecta est , denotatur id , per quod declaratio propitiæ voluntatis facta est. Adde quod , etiamsi hic denotaretur id , in quo non declaratio ejus rei , quæ verbo *ἱλάσκεσθαι* proprie significatur , sed etiam res ipsa fuerit perfecta , non tamen sequeretur id , quod Grotius vult , Christum nimirum habuisse vim ad Deum placandum. Nam *ἱλάσκεσθαι* , ut supra vidimus , non raro significat propitium esse , aut propitium sese præstare , aut ignoscere. Hoc autem in Christo fecit , facitque Deus. Imo cum vox hæc non designet actionis causam primariam , sed vel locum tantum , vel causam mediam , in qua principalis alia actionem istam perficiat ; si ea hic significaret id , quod vim habet quempiam placandi , sequeretur , Deum fuisse , qui in Christo seipsum placarit. Nulla enim alia principalis

palis hujus actionis causa potest reperiri, quæ eam in Christo perfecit; & Apostolus sane Deum expresse commemorat, qui Christum constituerit *ἱλαστήριον*; nullus etiam alius præter Deum hic constituitur ab adversariis, qui placatus per Christum fuerit.

Addit alteram sententiæ suæ rationem Grotius Partic. 14. *Accedit quod hoc ipsum ostendit vox adjuncta sanguinis, cui placandi vis tribuitur, quia sine sanguinis effusione non fit remissio. Trita sunt, Sanguine placastis ventos & virgine casa. Et similia apud Poetas, de quibus infra accuratius agendi erit locus.*

Sed quæ consequentia? Sine sanguinis effusione non fit remissio: Ergo sanguini vis placandi tribuitur. Sic argumentaretur quispiam: Sine resurrectione Christi non contingit nobis remissio, 1 Cor. 15. 17, 18. Ergo resurrectioni Christi vis placandi tribuitur. Nec remissio peccatorum est placatio iræ divinæ, nec ad illam hæc est necessaria; cum nec semper irascatur Deus cum possit; & ab ipso sponte deponi queat ira, quam adversus peccatores concepit. Verba Hebr. 9. 22. quæ ad Legis tempora pertinent, placationem iræ divinæ non commemorant. Sed demus, eorum sensum esse, sine sanguinis effusione non fieri placationem. An inde sequitur, *ἱλαστήριον*, cui sanguinis mentio adjungitur, significare id, quod Deum placaverit, non vero id, quod eum nobis placatum seu propitium declaraverit? an sanguis unigeniti Dei filii ostendere non potest, Deum nobis esse ac fore propitium? Cur ergo ejus mentio *ἱλαστήριον* adjuncta, iræ Dei placationem omnino ea voce significari doceat, non vero id, in quo Deus sese nobis placatum, vel propitium potius declaret? Imo cum sanguis filii Dei pro nobis fundi non potuerit, nisi Deus nos jam ante impense amarit, & sic non iratus, sed placatus aut propitius nobis fierit; fieri non potest, ut sanguis ille placationem iræ divinæ per ipsum demum factam indicet, & sic eam *ἱλαστήριον*, cui adjungitur, significationem inesse arguat. At cum propitiæ ac benevolæ erga nos Dei voluntatis maximum fuerit argumentum, ei rei, quæ Deum nobis placatum aut propitium nobis ostendat ac declaret, rectissime potuit subjici.

Quæ hoc loco ex Poëtis refert, & infra se allaturum pollicetur, ex Ethnicorum superstitione deprompta, quantam in sententiis ad sanctissimam religionem nostram pertinentibus vim habere queant, cordatus Lector expendat. Indignum est, Deum clementissimum, qui amore nostri impulsus charissimum suum filium, ut saluti nostræ consulere, in mortem tradidit, conferri cum crudelibus gentium diis, hoc est, cum ipsis dæmonibus, (his enim gentes sacrificabant, 1 Cor. 10. 20.) qui hominum innocentium sanguine fuerint placati.

Pergit Grotius Partic. 15: *Similis placandi voci est vox ἱλαστικός & ἀποκαταλλάσσει, conciliare sive reconciliare, quam in hoc ipso argumento usurpat Paulus Rom. 5. 10. & 11. & 2 Cor. 5. 18. & Eph. 2. 16. & Coloss. 1. 20. Opponit Socinus scriptum esse, non Deum nobis conciliatum, sed nos Deo, idque idcirco quia non Deus nobis iratus, ideoque placandus, sed nos à Deo aversi fuerimus. Verum quod sibi sumit, eum reconciliari qui infesto sit animo, non autem ipsi alterum, id mi-*

nime verum est. Nam reconciliandi vox, ut & pacandi vox, promiscue utriusque parti, tum qua infesta est, tum qua neutiquam aut minus infesta est, modo dativum, modo accusativum assignat. Idem ergo valet nos Deo reconciliari & Deum nobis. In hanc rem Sophoclis adscribit versus, quibus subjicit: Videmus hic manifeste ἡμεῖς καὶ οἱ θεοὶ Diis conciliari, idem esse quod iram ipsorum effugere. Et sane de hac reconciliatione, h. e. divinæ iræ aversione, aut certe etiam de hac agi nemo negabit, qui locos ipsos modo citatos diligentius inspexerit.

Sed dum argumentum Socini convellere laborat Grotius, rationem Theologorum ex reconciliandi voce ductam, ad quam Socinus respondet, deferit, vel potius vehementer labefactat. Vulgo enim ex eo simpliciter, quod nos dicamur reconciliati Deo, concludunt, Deum nobis placatum, & ex infenso propitium redditum. At si, ut Grotius contendit, Reconciliandi vox etiam ei parti, quæ neutiquam infesta est, aut minus infensa, modo dativum, modo accusativum assignat; certe ex eo simpliciter, quod nos Deo reconciliati dicimur, haudquaquam colligi potest, Deum nobis fuisse infensum, & per Christum postea placatum: imò ne tum quidem, si aperte scriptum esset, ut nonnulli, ad verba Sacrarum Literarum non attendentes, credere videntur, *Deum nobis reconciliatum*; quæ tamen verba magis videntur eam continere sententiam, quam cum scriptum tantummodo est, *nos Deo reconciliatos*. Negare enim Grotius non potest, cum partes illæ duæ, inter quas fit reconciliatio, casu distinguuntur, & altera dativo, altera alio effertur, ita communem loquendi consuetudinem ferre, ut is dicatur reconciliatus, per quem steterat, ne amicitia aut denuo existeret, aut conservaretur; Ei vero dicatur quispiam reconciliatus, qui animo placabili adversus illum, amicitiam redintegrari aut conservari cupiverat. Id vel ex eo liquet, quod Grotius unum tantum exemplum communi huic loquendi consuetudini opponat, idque petatum ex Poëtis, quos nemo ignorat rarioribus loquendi generibus, præsertim si versus id aliqua ratione videatur exigere, delectari. Ex quibus etiam apparet, argumentum Socini, *communem loquendi consuetudinem* urgentis, à Grotio non esse labefactatum. Neque enim credibile est, Paulum in omnibus locis, in quibus de reconciliatione nostri cum Deo sermo est, à communi phraseos usu discessisse; nec id admittendum est, nisi firma, qua id evincatur, afferatur ratio, quam an Grotius attulerit, statim videbimus.

Grotius enim animadvertens, non posse ex eo simpliciter, quod nos dicamur Deo reconciliati, concludi, placatam à Christo fuisse iram Dei, id ex locorum circumstantiis evincere conatur, & testimonia allata ordine examinat.

De loco Rom. 5. ita scribit Partic. 16: *Nam Paulus suo more bis idem exprimens, quod antea dixerat, pro impiis & peccatoribus mortuum esse Christum v. 6. & 8. mox his verbis enunciat, cum hostes essemus reconciliatos nos Deo per mortem filii ipsius, v. 10. Esse autem hoc beneficium prius ipsa conversione, ex opposito membro apparet, si hæc, inquit, ita se habent multo magis nunc justificati per ipsum, ab ira servabimur, vers. 9.*

vers. 9. item, *multo magis reconciliati servabimur in vita ipsius. A majori procedit Apostolica argumentatio. Si tam bonus erga nos necdum conversos Deus fuit, quis futurus erga conversos?*

Apostolum per Reconciliationem intelligere Conversionem, & si ita loquendum est, amicitiam cum Deo initam, satis ostendit oppositio. Reconciliati enim inimicis opponuntur, quos eisdem Apostolus infirmos, h. e. gravissimis animi morbis laborantes, itemque impios ac peccatores vocat v. 6. & 8. qui, ut in loco huic simili Coloss. 1. 21. loquitur, alienati fuerant & hostes mente in operibus malis. Reconciliati ergo cum Deo sunt, qui animi morbos, h. e. impietatem & peccata, odiumque istud & hostilitatem mentis in operibus malis adversus Deum deposuerunt, atque ita sunt ad ipsum conversi, & ejus amici effecti. Agnoscit id ipse Grotius. Nam pro eo, quod Paulus scribit: *Multo magis reconciliati servabimur in vita ejus*, ipse dicit: *quis futurus est (Deus) erga conversos?* Conversos pro Reconciliatis manifeste reponens. Quod ad rationem Grotii attinet, primum non recte pro concessio sumit, idem esse, Christum pro impiis & peccatoribus mortuum esse, & cum hostes essemus, reconciliatos nos Deo per mortem filii ipsius. In prioribus enim verbis fundamentum posteriorum sternitur, in iisque causa tantum, in his præter causam etiam effectus, qui est reconciliatio, exprimitur. Deinde verba vers. 9. & 10. Non ostendunt, Reconciliationem hanc antecessisse conversionem; siquidem ut ex ipsius Grotii dictis ostendimus, Reconciliatio in posteriori verborum istorum membro pro Conversione sumitur. Quare idem quoque fit in membro priore, ad quod posterius respicit, & exinde id, quod de Reconciliatione dictum fuerat, transsumit. Sensus igitur est: si Deus nos hostes suos, impensa in id charissimi sui filii morte, ad se convertit, & ex inimicis amicos fecit; an non multo magis jam ad se conversos & amicos suos factos, per viventem filium suum, quem mori amplius opus non est, ab ira seu pœna liberabit? Illud enim longe fuit durius, atque ea ratione factum difficilius, quam hoc. Quare si illud fecit Deus, multo magis hoc faciet. Neque vero est quod quis dicat, verba illa, *εἰ ἐχθροὶ ὄντες κατηλλάγημεν τῷ Θεῷ*, evincere, reconciliationem illam jam tum reipsa peractam fuisse, cum nos adhuc hostes Dei essemus; adeoque cum conversio nostra perfici non potuerit, nobis adhuc hostibus Dei existentibus, siquidem conversio ista hostilitati in Deum prorsus adversatur, fieri non posse, ut reconciliatio conversionem hic denotet. Animadvertendum enim est, verba ista Græca, eam vim non habere, ut omnino significant, nobis in odio & inimicitia adversus Deum adhuc perseverantibus reconciliationem reipsa esse factam, adeoque reconciliationem & inimicitiam simul constituisse; sed, licet hæc illi obstaret, illam tamen huic successisse. Idem enim est horum verborum sensus, qui illorum Coloss. 1. 21, ut ipse Grotius infra docet, καὶ ὑμεῖς ποτε ὄντες ἀπηχόστωμα καὶ ἐχθροὶ &c. νῦν δὲ ἀποκατήλλαξεν ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ ὁ Θεὸς ἡμᾶς: *et nos cum aliquando essemus alienati & hostes mente in operibus malis, nunc vero reconciliavit in corpore carnis ipsius per mortem.* Distincta nempe

sunt inimicitiarum & reconciliationis factæ tempora: istud præcessit, hoc successit. Ex quo intelligitur, participium ὄντες, quod in utroque loco extat, non semper ad idem prorsus tempus referri, ad quod refertur verbum id, cui jungitur, sed nonnunquam in præteritum respicere. Similis loquendi ratio est Ephes. 2. 5. καὶ ὄντες ἡμεῖς νεκροὶ τοῖς ᾧ ἀπολείμασι συνεζώ. *nos cum essemus mortui in delictis vivificavit cum Christo*; non quod vivificatio illa reipsa facta cum morte spirituali simul extiterit, sed quod hæc proxime præcesserit. Ita enim terminos mutationis à quo & ad quem, (ut cum Scholis loquamur) qui oppositi sunt, nec simul in eodem subiecto consistere possunt, sed alter alterum tollit, connectere solemus. Sic dicere possumus: hic homo cum esset pauper, factus est dives; cum improbus, factus est probus; & contra: licet alterum præcedat, sequatur alterum. Simili loquendi ratione usus est ille, qui cæcus fuerat natus Johan. 9. 25. πολλοὶ ἀν' αὐτοῦ βλέπω, *cum cæcus essem, nunc video.* Sed demus jam Grotio, idem dici vers. 6, & 8, quod vers. 10. istis verbis enunciatur: *cum hostes essemus reconciliatos nos Deo per mortem filii ipsius*, & hoc beneficium esse prius conversione, nempe reipsa facta, & actu ipso in nobis existente; non sequetur tamen, in priori membro Reconciliationem non significare Conversionem nostri ad Deum. Nam, ut Grotius infra hoc capite de Reconciliationis progressu disserens ait, *verba activa & passiva iisdem respondentia duplicem solent habere significatum, aut ut intra vim atque efficaciam consistant, aut ut effectum simul includant*: quod ipse ad Reconciliationem ex sua sententia accommodat; & hoc ipso etiam loco duplicem istam significationem, ut & alibi, agnoscit, ac si sibi consentire velit, agnoscere cogitur. Reconciliationem enim, quæ effectum includit, nec ipse quidem conversionem vult antecedere, cum tamen hic reconciliationem partim velit eam antecedere, partim cum ea conjungi, aut eandem subsequi. Quare dicere possumus, Reconciliare utrobique esse Convertere, sed in priori comparisonis atque argumentationis Apostolicæ membro, ejus significatum intra vim & efficaciam consistere, in posteriori effectum simul includere: hoc est in priori membro significare curam Dei, quam in nobis convertendis adhibuit, & opus ejus præcipuum, quod, ut nos sibi reconciliaret, fecit: in posteriori vero, divinæ hujus curæ atque operis effectum complecti.

Res autem eodem recidet, sive hoc sive illo, quo ante diximus, modo, Apostoli verba interpreteris, & vis argumentationis erit eadem.

Sed aliam sententiæ suæ rationem affert Grotius Partic. 16: *Non potest, inquit, hic vox conciliationis in membro priore conversionem denotare. Singulare enim aliquid in Christo Apostolus notat. Tale autem non est peccatores convertere. Neque enim convertuntur unquam nisi peccatores: sed rarum planeque singulare est pro peccatoribus mori, & conciliare per mortem peccatores, cum paucissimi semper fuerint, qui pro amicis viris bonis mortem oppeterent v. 7.*

Ita Grotius agit, ac si ii, qui Reconciliationem pro Conversione in priori membro accipiunt, à sententia Apostolica vel sejungerent, vel sejungere cogerent.

cogerentur illa verba, *per mortem filii ejus*, quæ cæteris juncta, aliquid prorsus singulare notant. Hoc enim prorsus est inauditum, & sine exemplo, quod Deus, ut nos hostes suos ad se converteret, unigenitum suum filium cruentæ & ignominiosæ morti objecit.

Tertia Grotii ratio est Partic. 18: *Deinde conversio rectius vitæ Christi gloriosæ, quam morti fertur accepta. At reconciliatio ista morti tribuitur distinctæ atque discriminatæ à vitæ gloriosæ, ut ostendit dictio- nis ἀντίστοιχον.*

Mirum est Grotium non vidisse, se hac ratione non modo Sacras Literas, sed & seipsum oppugnare. Seipsum quidem, quia in verbis illis: *Multo magis reconciliati servabimur in vitæ ejus*, Reconciliationem pro Conversione accipi non diffitetur. At reconciliationem hanc rei ejusmodi, quæ à vitæ Christi distinguatur, adscribi, hæc ipsa verba tacite indicant; sed apertius præcedentia, quæ eundem sensum continent: *Multo ergo magis justificati nunc in sanguine ejus, servabimur per ipsum ab ira.* Nam pro voce *Justificati* vers. 10 reponitur *Reconciliati*. Justificatio autem hæc sanguini Christi seu morti ipsius cruentæ, quæ vitæ opponitur, attribuitur. Sacras autem Literas oppugnat, quæ morti Christi omnium frequentissime & apertissime conversionem nostram tribuunt, vitæ autem Christi diserte raro aut vix uspiam, licet hæc maximum ad eam habeat robur. Vide 2 Cor. 5. 14, 15, 20, 21. 1 Petr. 1. 18. ij. 24, 25. iij. 18. iv. 1, 2. Johan. 11. 52: xij. 32. Tit. 2. 14. Eph. 5. 25, 26. Apoc. 5. 9, 10. vij. 14. 1 Cor. 6. 5, ult. vii. 22, 23. Causam hujus rei diximus c. 1, nempe quod hoc opus inter alia fuerit maxime arduum, & charitatis Dei ac Christi erga nos maximum argumentum, quod vim plane insignem ad nos Deo conciliandos ac devinciendos habet. Alludi præterea diximus ad fœderum percutiendorum rationem, cum reconciliationis nostræ cum Deo, aut cum cœlestibus, aut inter nos ipsos, sanguine Christi aut morte ipsius factæ, fit mentio: cum fœdera antiquitus cæsæ victimæ sanguine sancirentur. Adde quod vis, quam vitæ Christi ad nos convertendos habet, hoc pacto non excluditur, sed includitur. Oppositionis, quæ in verbis Apostoli est, vis non in eo consistit, quod reconciliationem mors sola effecerit, liberationem ab ira vitæ tantum: sed quod ad reconciliationem perficiendam mors intervenire debuerit, atque adeo etiam intervenerit, ad liberationem à pœna non item; cum liberatio illa per Christum viventem perfici possit, ac porro etiam debeat, qua de re itidem cap. 1 differuimus.

Quarta Grotii ratio est Partic. 19: *Præterea ex posteriori beneficio quale sit prius datur intelligi. Posterius quod conversis contingit, est pacem habere apud Deum* vers. 1, *servari ab ira Dei* vers. 9.

Sed quæ consequentiæ ratio? Posterius beneficium est pacem habere apud Deum, & servari ab ira: Ergo per prius non intelligitur conversio ad Deum? An non conversio ad Deum cum pace, quam actu ipso habemus apud Deum, & liberatione ab ira egregie conspirat, & ejus necessarium est antecedens seu requisitum, quo posito ipsa quoque ex divina benignitate consequitur?

Pergit ratiocinari Grotius Partic. 20: *Hoc ipsum appellat Apostolus accipere reconciliationem* vs. 11. *Quid hic est aliud accipere reconciliationem, quam accipere remissionem peccatorum, ut Scriptura loquitur* Act. 10. 43: & 26. 18. *At conversionem accipere ignotum est loquendi genus. Si ergo in posteriore membro accipere reconciliationem, est accipere peccatorum reconciliationem, ipsoque effectu ab ira sive pœna liberari, in priore quoque membro reconciliari significationem habere debet ἀντίστοιχον: ut prius beneficium sit jus ad rem, posterius ejusdem exhibitio.*

Reconciliationem accipere hoc loco non significare effectu ipso ab ira sive pœna liberari, ut contendit Grotius, ex eo patet, quod Apostolus ait: *Per quem nunc reconciliationem accepimus*, satis clare ostendens, se de ea re loqui, quæ nobis jam contingerit. At de liberatione ab ira, quæ ipso effectu fiat, tanquam de re futura loquitur, dum ait: *Servabimur per ipsum ab ira.* Sed accipere conversionem ignotum loquendi genus est. Quid mirum? cum ipse ille loquendi modus, quo Apostolus utitur, & de cujus interpretatione nunc quæritur, alias sit ignotus. Neque enim vel in Sacris Literis, vel apud alium quempiam probatum auctorem temere dictum inveneris, *accipere reconciliationem*. Quare cum pro Reconciliatione reponitur Conversio, non est mirandum, loquendi genus manere ignotum. Quid? an non idem Grotio potest objici? Reconciliatio enim illi est placatio, nempe iræ divinæ. Nam hoc est quod conatur probare. At accipere placationem, ignotum loquendi genus est. Sed quid colléctione hic utimur, cum satis aperte id committat Grotius, quod in nobis reprehendit? nam mox accipere reconciliationem ait esse accipere reconciliationem peccatorum, qui loquendi modus non minus est ignotus, quam is, quem ex nostra sententia necit. Sed, ut diximus, non mirum est, conversione pro Reconciliatione substituta, manere loquendi genus ignotum aut inusitatum, cum idem in usitatis phrasibus contingere soleat, si eodem verbo retento, nomen ejusdem significationis pro alio velis reponere. Contrahere, jungere, inire amicitiam usitate dicitur: at benevolentiam mutuam contrahere, jungere, inire, ignotum Latinis auctoribus loquendi genus arbitror; licet amicitia sit benevolentia mota. Quare interdum cum aliud nomen pro alio explicandi causa reponitur, etiam verbum, cum quo jungitur, mutandum est, aut circumlocutione utendum, quo pacto dicere hic posses, sensum verborum Apostoli esse: nos per Christum id consequutos, ut ad Deum converteremur. Adde quod nos, dum reconciliationem nostram cum Deo de nostra ad ipsum conversione accipimus, interim haud negamus, emphasin quandam esse in voce Reconciliationis, præsertim absolute posita, & ad neutram earum partium, inter quas ea fuerit facta, nominatim relata, quæ in Conversionis voce non sit, adeo ut hæc, etiam rem ipsam, in qua vis actionis Reconciliandi verbo significatæ consistit, satis exprimat, non tamen ei usquequaque respondeat, & sic pro ea non semper ita apte reponi queat. Nam Conversio quidem significat, quem animum induerit is, qui ad alterum dicitur conversus: sed quo animo vicissim sit alter iste, ad quem is fuit conversus, ea voce non indicatur.

catur. At Reconciliandi verbum etiam tum cum paf-
five ad unam partem nominatim refertur, licet primo
significet, quem animum induerit is, qui dicitur re-
conciliatus; simul tamen indicat, alteram quoque
partem, quocunque tandem animo fuerit antea, esse
amicam, & sic mutuam jam constare benevolentiam.
Itaque cum dicitur Deo nos reconciliatos, indica-
tur, amicitiam inter nos & ipsum, nobis ab odio
revocatis, fuisse constitutam, & si quid antea ad
illius perfectionem, ob animi nostri adversus Deum
hostilitatem, etiam ex ipsius parte defuerit, id, no-
bis ad ipsum conversis, fuisse completum. Itaque li-
cebit reconciliationem absolute positam *ŷf. 11*, de
amicitia per nostram conversionem cum Deo inita ac
constitua sumere, quam nos accepisse non minus re-
cte dixeris, quam reconciliationem dixit Apostolus,
ita ut si illud reprehendas, hoc quoque tibi sit repre-
hendendum.

Ultima Grotii Partic. 21 ratio est: *Adde his om-
nibus, quod non possit, nisi incommode aut inepte
etiam dici charitas Dei ex eo colligi, quia nos ab odio Dei
discesserimus. Nam etiamsi de conversionis nostrae bene-
ficio agere voluisset Apostolus, erat id alia plane voce ex-
primendum, quæ non nostram sed Dei actionem signifi-
icaret. Nostra vero interpretatione nihil planius, nihil
Apostoli proposito convenientius.*

Sed nec Apostolus ex sola nostri cum Deo recon-
ciliatione charitatem Dei colligit, sed ex eo, quod
ea per mortem filii Dei facta fuerit. Itaque nostra ver-
bi reconciliandi explicatione admissa, non ex sola
nostri ad Deum conversione, ipsius erga nos chari-
tas colligi debet, sed ex eo, quod, ut id fieret, Deus
charissimum suum filium morti tradiderit. Etiam si
autem nostra tantum actio videatur exprimi, non
Dei, nec aperte dicatur, ipsius cura & consilio totum
id esse factum: tamen quia id ex dictis necessario
consequitur, & alias erat iis, ad quos scripsit Apo-
stolus, notissimum, ideo id subaudiendum reliquit:
quod ipse Grotius ostendit, dum argumentationem
Apostoli sic superius explicuit: *Si tam bonus erga nos
nec dum conversos fuit Deus, quis futurus erga conver-
sos? Sic Apostolus, cum ŷf. 5 charitatis Dei men-
tionem fecisset, eam aperto demonstraturus argu-
mento, subjicit ŷf. 6. Adhuc enim Christus, cum in-
firmi essemus nos, secundum tempus pro impiis mortuus
est, nulla ejus rei mentione facta, quod id totum
Deo tanquam primo auctori sit referendum acce-
ptum, quod tamen necessario, si argumentatio A-
postoli firma censeretur, est subaudiendum. Alias
enim Christi tantum, non etiam Dei erga nos chari-
tas ista ratione probaretur. Idem fecit Apostolus
ŷf. 8 unde sequentia, de quibus agimus, pendent.
Id nempe, quod per se quis intelligere ex dictis
ejus potest, subaudiri voluit. Cum enim omnium
arctissima sit inter Deum & Christum unicum ipsius
filium conjunctio, fieri non potest, quin Christus
Dei ipsius voluntate & mortem eam subierit, & eum
in finem. in quem eam revera suscepit.*

Planiorum esse Grotii Partic. 22 interpretationem,
& Apostoli menti convenientiorem nostra, vel, ut
ipse loquitur, nihil ea esse planius, nihil Apostoli
menti convenientius, haudquaquam apparet. Lo-
quendi enim consuetudo, ut supra vidimus, ei haud

favet. Deinde cum Apostolus ostendat, mortem
Christi ex ingenti Dei erga nos charitate profectam;
Grotius statuit, Deum morte Christi ex infesto red-
ditum esse nobis propitium: ita, quod mortis cau-
sam dicit Apostolus, Grotius effectum statuit. Præ-
terea nulla ratione excusat id, quod Socinus obje-
rat, Satisfactionis mentionem, quam reconcilia-
tionis nomine indicari una cum aliis statuit Grotius,
addito præsertim eo, quod subjicit Apostolus, *per
mortem filii Dei*, non esse hic appositam; cum ea
charitatis laudem, quam hic maxime conatur extol-
lere Apostolus, imminuat. Vanum quidem id esse,
ait Grotius, sed cur? *Non enim, inquit, satisfactio-
nis fit mentio quatenus pœna est, sed quatenus modus
nos liberandi.* Quid tum? modo Deo dicatur præstita
satisfactio, satis id est ad charitatis ipsius laudem mi-
nuendam, etiam si nos ea ratione liberati essemus.
Hoc enim, ut superiori capite monuimus, benefi-
centiam satisficientis, non satisfactionem accipientis
commendat. Charitas autem Dei in ipsius benefi-
centia revera sita est. Accedit, quod Grotius vult,
Deum, præstita jam sibi satisfactione, nihilominus
actu ipso mansisse iratum, & jus tantum reconcilia-
tionis nobis concessisse. Hoccine vero est, quod di-
vinam charitatem tantopere commendet?

Sed adhuc habet Grotius, quod respondeat:
*Neque potest; inquit, ut supra probavimus, ulla ra-
tione manifestius ostendi Dei charitas adversum homi-
nes, quam quod iratus, id est pœnam expetens, no-
stra tamen impunitati viam, Christo in id impenso,
invenerit.*

Mirum sane est, Grotium non videre, hæc sibi
invicem maxime adversari, Deum iratum, hoc est
pœnas scelerum nostrorum expetentem, nihilomi-
nus impunitati nostræ viam quæsisisse, adeo ut
Christum unigenitum suum filium eum in finem
impenderet. An enim hæc tanta charitas cum ira
istiusmodi respectu ejusdem objecti, eodem tempo-
re in Deo consistere potest, & una alteram penitus
non extinguit?

Accedit ad alterum locum Grotius, qui extat
2 Corinth. 5, circa finem, in quo, ut in illo ad Ro-
manos, duplicis reconciliationis mentionem inveniri ait.
Prior, inquit, est, qua Deus omnia, sive mundum
sibi reconciliavit per Christum sive in Christo *ŷf. 18 &
19*, posterior est ad quam Apostoli, ut ministri recon-
ciliationis, quibus est impositus reconciliationis sermo,
homines adhortantur Dei ac Christi nomine *ŷf. 18, 19,
20*. Prior ergo illa non potest esse ipsa conversio: est enim
antecedens & materia præcipua ejus sermonis per quem
fit conversio.

Hanc rationem jam excussimus circa finem cap-
primi. Ostendimus enim, duplicem quidem recon-
ciliationem commemorari, verum non natura, sed
tempore, & causis mediis proximis distinctam: u-
tramque in cura & labore nos ad Deum convertendi
consistere; & alteram à Deo per Christum imme-
diate, alteram per Apostolos, Christi nomine le-
gatione fungentes, procuratam ac peractam: illam
anteceßisse, hanc sequutam. Reconciliatio prior
non simpliciter anteceßit sermonem, per quem fit
conversio, sed sermonem Apostolorum, per quem
ipsi Christi nomine aut vice debebant homines ad
Deum

Deum convertere. Neque vero Apostoli verba docent, Reconciliationem istam nominatim, quam Deus in Christo peregerat, fuisse præcipuam sermonis Apostolici materiam, sed simpliciter Reconciliationem, per quam rectissime intelligitur conversio hominum ad Deum, ad quam procurandam missi fuerant ipsi Apostoli. An enim ii, qui ad homines convertendos missi sunt, de conversione ista præcipue loqui non debent?

Altera Grotii ratio est Partic. 25: *Deinde Paulus ipse ostendit eam (reconciliationem) consistere in non imputatione peccatorum, id est, in decreto non imputandi. Non imputare autem peccata & remittere idem valet Rom. 4. 6, 7, 8.*

At unde Grotio constat, reconciliationem consistere in non imputatione peccatorum? an quia dicitur: Deus erat in Christo *reconcilians mundum sibi ipsi, non imputans illis peccata*? At nihil est quod doceat, verba posteriora, *non imputans illis peccata*, naturam atque essentiam reconciliationis exprimere; cum commodissime accipi queant de modo ac ratione, qua Deus in reconciliandis hominibus sit usus, seu de medio quod ad eos permovendos, ut secum reconciliari, & deposito odio ad se converti vellent, adhibuerit. Id vero fuit oblatio remissionis peccatorum omnium. Quid enim homines ad Deum vicissim amandum, & odium adversus ipsum deponendum magis incitare debuit aut potuit, quam tanta gratiæ amplitudo, ultro illis per Christum oblata, & sub conditione resipiscentiæ promissa? Sed si reconciliatio hoc loco nihil est aliud, quam non imputatio peccatorum, seu decretum de remissione peccatorum, ut vult Grotius, quid ipsum hic locus juvat? Probare enim debuit, Christum nobis placasse Deum. At aliud est, Deum in Christo decretum fecisse de remittendis peccatis nostris, aliud Christum nobis placasse Deum. Imo cum hoc loco & reconciliandi & non imputandi actio Deo ipsi tribuatur: (dicitur enim, *Deus erat in Christo reconcilians sibi mundum, non imputans illis peccata*;) apparet, reconciliationem non esse iram divinam placare, idque satisfaciendo. An enim Deus seipsum iratum nobis placavit, satisfactionem aliquam per alium sibi immet præstando?

Pergit Grotius Partic. 26 ac quærit: *quomodo autem hoc non imputandi decretum in Christo fundatum est?* & respondet: *Dicit Paulus: Eum qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit.*

Sed ubinam apud Apostolum est mentio ejus rei, quod decretum non imputandi sit in Christo fundatum? quid est fundatio istius decreti in Christo? an hoc, quod Deus ad decretum illud faciendum à Christo motus fuerit? id enim quærit Grotius. Nihil tale est apud Apostolum. Verba illa *in Christo*, quæ extant 1. Cor. 1. 9, id non ostendunt. Nam si ea jungas cum præcedentibus, sensus erit, Deum in Christo tanquam in legato suo fuisse, cum mundum sibi reconciliaret; si cum sequentibus, istud *in Christo* significabit causam reconciliationis mediam, ut sensus sit, Deum fuisse eum, qui per Christum mundum reconciliarit, hoc est ad se converterit: in enim pro per innumeris locis Hebraico more poni, nemo ignorat, & Grotius ipse, ut sup. partic. 23 vidi-

mus, *per Christum & in Christo* hic pro eodem sumit. Verba ultima, quæ Grotius ad istorum explicationem pertinere putat, non connectuntur cum illis, quæ de non imputatione peccatorum dixerat Apostolus, sed cum proxime præcedentibus: *Rogamus pro Christo reconciliemini Deo.* Causam enim assert, ob quam homines cum Deo reconciliari & ad eum converti debeant, ad quod faciendum eos fuerat hortatus. Causa illa est: quia Deus prior tam impensa ac prorsus inaudita charitate illos complexus fuerit, ut innocentissimum suum filium tanquam peccatorem tractari, & infando ac coram ipso execrabili mortis genere affici curaret, eum in finem, ut in ipso, hoc est ipsi inserti, & sic novæ creaturæ effecti, (quod idem est cum conversione ad Deum) tanquam justii tractarentur. An non enim dignissima est hæc summa Dei erga peccatores charitas, ut ipsum vicissim diligant, & abjecta impietate sanctitati totos se consecrent? Et hæc quidem causa non tantum illam quoque in se complectitur, quam vers. 18 commemorarat Apostolus, sed ei magnum addit pondus. Mors enim Christi remissionis peccatorum, à Deo per Christum hominibus oblata, insignis est confirmatio. Eam vero Deus per Christum legatione in terris fungentem, ad homines sibi reconciliandos ita, ut postea per Apostolos, urgere non potuit, cum ea nondum extitisset, & ne Apostolis quidem, nisi paulo ante quam existeret, cognita esset.

Scribit amplius Partic. 27: *Quod objicit Socinus, non imputationem peccatorum pugnare cum isto reconciliandi modo per satisfactionem, caret ratione. Nam, ut supra explicatum est, præcedit satisfactio, sequitur deinde remissio sive non imputatio. Ut jam taceam non absolute dici Deum non imputare peccata, sed non imputare ipsis, id est peccatoribus. Posse autem & huic peccatum remitti, sive alterum eo nomine affligi atque puniri, tum ex multis quæ supra allegavimus, tum in primis ex eo quod Davidi contigit, satis apparet.*

Ad ea, quæ supra se docuisse ait Grotius, suis locis respondimus. Ostendimus autem, si satisfactio plena præstetur, remissionem sequi non posse, cum istius vi statim liberetur debitor. Ostendimus etiam, fieri non posse, ut ipsi delinquenti vere condonetur peccatum, & alteri tamen innocenti imputetur; nec ejus rei ullum exemplum attulit Grotius.

Aliam adhuc Socini objectionem refellere conatur Grotius Partic. 28, dum ait, *Neque vero quia non verbis ἀποστόλων coherent. Non imputans peccata, Et: eum qui non noverat peccatum, peccatum fecit, ideo non ad eandem rem pertinent. Coniunguntur enim ista inter se per voculas συνδέουσι καὶ ἔστιν. Neque ullus novus, & ab hoc argumento alienus sermo intercedit: sed hoc dicitur, Deum beneficii à se præstiti legatos & ministros fecisse Apostolos: in hoc scilicet missos per orbem terrarum, ut ejus beneficii fidem hominibus predicatione sua inferebant. Ei autem fidei faciendæ argumentum validissimum est, à traditione Christi in mortem. Minime enim credibile est, voluisse Deum filium charissimum & innocentissimum tam graviter affligi, nisi egregio aliquo fine sibi proposito. Hic autem finis proprius, inquam, & cum facto isto proxime coherens, Scriptura ubique & ipsa ratione aliquatenus καὶ ἰπποκρίτης testante, alius esse*

vix potest, quam impetrandum jus veniæ per antecedentem satisfactionem.

Sed nodum non solvit Grotius, quod facile apparuisset, si objectionem Socini, ad quam respondere videtur, explicuisset. Socinus ostendit, Reconciliationem hic non significare placationem iræ divinæ per satisfactionem: quia Paulus hoc loco de reconciliatione per Christum facta ex professo agens, & ejus modum describens, satisfactionis illius nullam faciat mentionem, cujus tamen cognitio adeo necessaria creditur ab adversariis: sed reconciliationis illius modum exprimens, tantum dicat, quod Deus sibi reconciliavit mundum, *non imputans illis delicta ipsorum*; quod ipsum, nisi quid apponatur aliud, satisfactionem penitus excludit. Quod si quis dicat, satisfactionis fieri mentionem in verbis ultimis, respondet Socinus præter alia, non suo loco hæc dictum fuisse Apostolum, si in iis demum verbis satisfactionem, per quam facta fuerit in Christo reconciliatio, commemorare voluisset, quæ tum fuisset commemoranda, cum reconciliationis istius modus exprimeretur, tum ut vis verborum, *non imputans illis delicta*, limitaretur, tum ut verum hunc esse reconciliationis modum constaret. Responsio Grotii hæc minime labefactat. Nam etsi ad eandem rem, hoc est, ad reconciliationis generalius sumtæ negotium pertinet, tum non imputatio peccatorum, tum mors Christi, & eatenus nullus ab hoc negotio alienus intercessit sermo: eatenus tamen alienus sermo intercessit, quatenus Apostolus in sequentibus non amplius de eadem numero reconciliatione loquitur, quam Deus per ipsum Christum legationis munere in terris fungentem instituit, ad quam verba illa de non imputandis mundo peccatis referuntur: sed de ea, quam per Apostolos, Christi quoad prædicationis munus vicarios, facere ab eo tempore cœpit, ex quo Christus ad dextram Dei collocatus ejus legatus esse desiit, & ut Rex ac Dominus omnium, ipsemet legatos suos ad homines misit, & in suo nomine pœnitentiam & remissionem peccatorum annunciari jussit Luc. 24. 47. Hæc ergo intelligitur reconciliatio, cum dicitur, Deum Apostolis dedisse ministerium reconciliationis, aut posuisse in illis sermonem reconciliationis. Res fiet manifestior, si scopum & initium orationis Apostolicæ consideres. Dixerat Apostolus vers. 18 illa omnia, nempe quæ ad novam creaturam, seu novam cultus divinæ & vitæ instituendæ rationem pertinent, *ex Deo esse*, hoc est, Deo tanquam auctori esse adscribenda. Sed quia dicere quis poterat, omnia ista à Christo & Apostolis esse perfecta, qui in hominibus ad novam religionis & vitæ rationem traducendis laboraverint; ideo docet Paulus, quicquid hac in parte vel Christus vel Apostoli fecerint, id Deum per eos fecisse, ita ut id totum ipsi, tanquam auctori primo, jure imputetur. Hoc ergo explicaturus ait: Deum nos sibi reconciliaffe per Christum, hoc est nos per eum ad se convertendos, atque adeo ad novam religionis ac vitæ rationem traducendos curasse; eundem etiam sese, hoc est Apostolos, fecisse reconciliationis ministros, seu munus sibi imposuisse homines itidem ad ipsum convertendi. Id magis adhuc inculcaturus; ita porro scribit: *quando-*

quidem Deus erat in Christo &c. Quasi dicat; quemadmodum enim Deus erat, qui per Christum homines ad se convertere curabat, peccatorum remissionem illis liberalissime offerendo: ita idem Deus fuit, qui nos Apostolos conversionis præcones fecit, seu ad homines prædicatione convertendos misit. Unde infert, se nomine, vel (si mavis) vice Christi, qui antea munus hoc sustinuerit, legatione fungi, & Deum ipsum homines per se hortari, ut ad ipsum convertantur. Quapropter rogare se Christi nomine aut vice, ut reconciliari velint Deo, & ad ipsum penitus se convertere, addita causa ex morte Christi petita, de qua jam satis & hic & alibi dictum est. Argumentum autem Grotii, quo ait fidem hominibus fieri istius divini beneficii, quod putat esse, impetratum jus veniæ per antecedentem satisfactionem, utut ipsi validissimum videatur, infirmissimum ac plane nullum est. Alios enim egregios Deoque dignissimos, præter istum à Grotio expressum, mortis Christi fines nos alibi ostendimus; & Grotius ipse infirmitatem argumenti, quod validissimum esse dixerat, aliquo modo indicat, dum ait: Finem istum mortis Christi egregium *vix posse esse alium* præter eum, quem ipse constituit. Si *vix* esse potest, potest tamen. Scripturam id ubique testari, Grotius non docuit: nec istud, rationem id aliquatenus *κατ' ἐπιταγήν* testari. Imo ratio ipsa contrarium monstrat. Nam ut non semel diximus, si Deus ipse charissimum suum filium pro nobis acerbissimæ morti objecit, quisque videt, Deum ipsum nos jam vehementer amasse, nec cupiisse ut peccatorum nostrorum pœnas lueremus, sed ad eas nobis condonandas paratissimum fuisse. Unde promptum est colligere, non eo fine Deum tam graviter filium suum affligi voluisse, ut à se jus veniæ per satisfactionem impetraret. Ratio ergo, ipsam rei naturam (quam hic etiam urfisse Apostolos est necesse, cum suæ prædicationi hoc argumento fidem facere vellent) respiciens, Grotii sententiam non tantum non probat, sed etiam aperte refellit.

Pergit Grotius Partic. 29: *Illud vero, Rogamus pro Christo reconciliamini Deo, quanquam ex vocis natura potest significare, aut odium in Deum abjicite, aut accipite remissionem peccatorum* (per pœnitentiam scilicet, ut ostenditur Marc. 1. 4. Luc. 3. 3. Act. 3. 19. & v. 31.) *ex rei tamen natura de qua agitur, posteriorem sensum rectius admittit. Neque enim solet infirmior rogari, ut potentior in gratiam recipiat: & illa Pauli verba exprimunt ipsum reconciliationis ministerium, quam reconciliationem jam jam imputatione peccatorum descriperat. Sic Christus ipse missum sed dicit* *καρὸν αἰχμαλώτοις ἀφέναι* Luc. 4. 18, & *Apostolis precipit* *καρὸν σεν εἰ δούλοι αὐτῶ ἀφέναι αἰμαρτων* Luc. 24. 47. *Sic ipse Paulus dicit se* *καταγγέλλειν ἀφέναι αἰμαρτων*, Actor. 13. 38.

Reconciliari Deo significare Accipere remissionem peccatorum nec docuit Grotius, nec docebit. Ex quo ipso facile apparet, alteram potius significationem, quam voci convenire fatetur, hic admittendam, ut sensus verborum Apostoli sit: Odium in Deum abjicite, & ad eum vos convertite. Quod ait, non solere infirmior rogari, ut potentior in gratiam recipiat; id primum nihil contra nos. Neque enim

enim nos dicimus *Reconciliari Deo* esse *Deum in gratiam recipere*; nec id ex nostra explicatione sequitur. Odium deponere adversus aliquem, & sese ad aliquem convertere latius patet, quam *aliquem in gratiam recipere*. Istud etiam inferiori adversus superiorem convenit; hoc non nisi superiori, communi loquendi consuetudine tribui solet, & illius esse videtur, qui alterum gratia & benevolentia sua dignatur. Subditus recte dicitur odium adversus regem suum deposuisse: sed Regem suum in gratiam recepisse, non recte dicitur. Deinde, si urgeat, hoc ipsum quoque inusitatum esse, ut superior inferiorem roget, ut odium erga se deponat; dicimus, id infirmissimum esse, nisi doceat, id ipsum, de quo loquitur Apostolus, usitatum ac vulgare esse. Hoc vero demonstratu fuerit difficile, imo impossibile. An non hoc ipsum inusitatum est, quod Apostolus ait: *sese Christi nomine aut vice homines rogare*? si intelligas, quantus sit is, cujus nomine rogetur; quoniam nos, qui rogemur; quid illud, quod rogemur. Quid eo est inusitatus, quod sequitur: Deum pro nobis nocentissimis, pro nobis mancipiis suis, iisque rebellibus, charissimum & innocentissimum filium suum morti tradidisse, ut tanquam iusti tractemur? certe tale quid, nedum à potente aliquo principe, sed nec ab alio quopiam vel factum est, vel fiet unquam. Neque sane hoc Deo fuit factum facilius, quam nos per legatos suos rogare, ut ipsum vellemus diligere. Quod si illud nihilominus fecit Deus, licet inusitatissimum, licet difficillimum, non est hoc posterius ideo repudiandum quia inusitatum; præsertim cum id, quod rogatur, sit illud ipsum, ob quod Deus rem istam omnium difficillimam fecit: nempe ut ad ipsum adducamur, ut peccatis mortui iustitiæ vivamus; quem mortis Christi finem inter alios Petrus expressis verbis explicuit 1 Petr. 2. 24. Sed retorqueamus hoc telum in Grotium & quidem validius, quam ille in nos. Si est inusitatum, infirmiores rogari, ut odium adversus potentiores deponat; adhuc inusitatus est, imo prorsus absurdum, infirmiores, extrema supplicia meritos, potentioris nomine rogari, ut remissionem suorum scelerum ab ipso accipiant, & eum sibi propitium ac placatum experiantur. Istud autem hic fit ex sententia Grotii: siquidem *reconciliari Deo* est illi accipere remissionem peccatorum, & Deum experiri placatum ac propitium. Apostolus autem Dei Christique nomine rogat homines, ut reconcilientur Deo. Ubi vero Grotius similem precandi rationem deprehendit? An Rex forte curat suo nomine rogari maleficos, ut ipse eis fiat propitius, illi vero remissionem suorum facinorum accipiant? an non satis est hoc illis offerri, quod per se vehementer est iis expetendum, nec in ipsorum, sed regis est potestate, ita ut non ab ipsis, sed à rege id sit impetrandum? Sed ipse Grotius aliquo modo videtur agnovisse huiusmodi precum absurditatem, eamque minuere voluisse, cum Apostoli verba ita explicans, *Accipite remissionem peccatorum*, in parenthesis addit, *per pœnitentiam scilicet*; indicans, Apostolum tale quippiam rogare, quod ad nostrum officium pertineat, & ex parte nostra ad obtinendam remissionem peccatorum sit necessarium, puta pœnitentiam seu con-

versionem ad Deum, quam nos Reconciliationis nomine hic intelligimus. Sed primum, si idem est, nos reconciliari Deo, quod, Deum nobis fieri propitium, ipsorum verborum vi nihil tale significabitur, quod ad nostrum pertineat officium, atque à nobis ipsis fieri debeat. Deinde quid opus est ambagibus? si id revera rogare voluit Apostolus, ut nos resipisceremus, & ad Deum converteremur, quemadmodum statuere res ipsa cogit; cur non statim verba *Reconciliari Deo* in hunc sensum accipiuntur; cum, ipso Grotio teste, phrasis hunc sensum admittat, verius autem postulet? Quod Reconciliatio non imputatione peccatorum ab Apostolo fuerit descripta, non docuit Grotius. Quod Christus & Apostoli missi fuerint ad remissionem peccatorum prædicandam, id Grotii sententiam non demonstrat, nec nostram convellit. Nam hi iidem etiam ad pœnitentiam prædicandam hominesque ad Deum convertendos fuerunt missi, qua in re inculcanda plurimum posuerunt studii ac laboris. Johannis Baptistæ, Apostolorum, & ipsius Christi vox hæc prima fuit, imo perpetua: *Pœnitentiam agite*; vel *Pœnitentiam agite & credite Evangelio*. Vide Matth. 3. 2, 8. IV. 17. Marc. 1. 15. VI. 12. Luc. 24. 47. Actor. 2. 38. III. 19. XIV. 15. XVII. 30. XX. 21. XXVI. 18, 20. Et ad pœnitentiam quidem hortati sunt homines, remissionem vero peccatorum iis Dei nomine promiserunt. Ubi autem hortationi locus est, ibi & precibus esse potest aliquis; in promissionibus autem, præsertim ejusmodi, qualis est peccatorum remissio, rogari haud solet is, cui promittitur.

Pergit Grotius Partic. 30: Ephes. 2. 16, *scribitur de Christo, ἵνα ἀποκαταστήσῃ τὴν ἐκκλησίαν* (*Judeos & Gentes*) *ἐν ἑαυτῇ ὁλόκληρον*. Hic datus est *ἵνα* non potest regi nisi à verbo ἀποκαταστήσῃ. Socini autem interpretatio, ut Deo hic per se subsistat, aut reconciliare Deo sit reconciliare ipsos inter se ut Deo serviant, distorta est dura, & sine exemplo.

In his verbis agi de reconciliatione Judæorum ac Gentium inter se non vero cum Deo, satis docuit Socinus, quamvis, concessio etiam eo, quod hic de reconciliatione nostra cum Deo sit sermo, nihil inde possit contra nostram, quam defendimus, sententiam concludi, ut ex iis constare potest, quæ hæcenus diximus de duobus ejusdem Apostoli locis, de reconciliatione nostra cum Deo loquentibus. Adhæret autem ex Socini mente datus Deo verbo Reconciliandi, tanquam *ἵνα*, finis cui ut explicuit Grotius. Nec vero distortum, durum, aut sine exemplo censeri debet, per dativum verbo subjectum, finem cui intelligi. Hinc enim appellatio illa finis apud Græcos, quæ in scholis est usitata, orta est. Nec Sacris Literis id inusitatum est, etiam in iis verbis, quæ alias vel cum dativo construi non solent, vel alio sensu. *Vivere Deo, vivere Christo* hoc sensu usurpari, omnibus notum est. Sic istud Micheæ 5. 2, ex te egredietur mihi, Vatablus ita explicat, id est, *in utilitatem meam & totius populi* Esaiæ. 9. 6. *Puer natus est nobis* id est, in utilitatem nostram. Luc. 12. 21, opponuntur inter se *ditescere sibi & ditescere in Deum*. Utrumque finem cui significat 1 Cor. 14. 28: *sibi autem loquatur & Deo* i. e. in suam utilitatem, & Dei laudem. Eodem modo potest accipi istud *loqui Deo* 1. 2, ejusd. cap.

Opponitur enim illis: *loqui hominibus*, nempe ædificationem, exhortationem, consolationem, ut dicitur vers. 3. 2 Cor. 2. 15. *Bona fragrantia Christi sumus Deo*. cap. 5. 13. *sive mente excidimus, Deo, sc. excidimus, sive sani sumus, vobis*, i.e. sive furere videor, meipsum laudando, in unam Dei gloriam hic furor meus spectat: sive sapienter me gero, omnia commodò vestro facio; quibus verbis ex parte utitur Beza in istius loci explicatione, huc referri etiam potest locus Apoc. 5. 9, 10. Interdum finis *cujus*, qui alias tacite involvitur, expresse adjungitur, ut 1 Cor. 14. 3. & 2 Cor. 1. 20. Neque est quod quis objiciat, dativum qui personam significet, verbo Reconciliandi subjunctum, alias semper solere significare, non finem, sed partem alteram, cum qua pax constituitur. Eum enim sensum, qui usitatus est, loci circumstantiæ non admittunt, ut vel ex Grotii verbis mox docebimus. Ubi autem loci circumstantiæ usitatorem sensum non admittunt, alius, quem ratio loquendi admittat, licet inusitatus, est quærendus.

Sed rationem Socini, qua docet, non esse hic sermonem de reconciliatione cum Deo, refellere conatur Grotius Partic. 31, sic porro scribens: *Neque valet argumentum inde ductum, quod eo loco Paulus proprie agat de pace facta inter Judæos & gentes: neque enim sequitur ab hoc argumento alienam esse mentionem pacis quæ utrisque cum Deo comparata est. Duo enim diversa quæ junguntur, ita junguntur inter se, ut prius ac potius jungantur ipsi vinculo: neque enim junguntur inter se nisi per & propter vinculum. Amici ergo facti inter se Gentes & Judæi per amicitiam cum Deo.*

At in his ipsis verbis, quæ Grotius urget, agi de reconciliatione inter Judæos & Gentes, ex eo apparet, quod hæc reconciliatio utrorumque opponitur isti inimicitia, quæ antea fuerat inter Judæos & Gentes. Nam post verba illa: *Ut reconciliaret utrosque in uno corpore Deo per crucem*, statim subjicit modum illius reconciliationis per crucem factæ: *Perempta inimicitia in ea*, nempe cruce, seu per crucem. Quæ autem fuerit illa inimicitia, quæ sit perempta in cruce seu per crucem, paulo ante docuerat, dum inquit, quod Christus *medium parietem maceræ solverit, inimicitiam per carnem suam, legem mandatorum in decretis* (*δύναμις* seu placitis) *abolens*: inimicitiam eam significans, quæ ob præcepta legalia, quæ in placitis ac decretis sita erant, & Dei magis voluntate, quam natura rei nitebantur, inter Judæos & Gentes fuerat orta. Iis enim veluti maceria & septo utraque gens disternabatur ac disjungebatur. Hanc inimicitiam hic *per carnem suam*, quam videlicet morti tradidit, in cæteris verbis, *per crucem*, quod idem est, abolevisse aut diremisit dicitur Christus. Qua de re agitur etiam Coloss. 2. 14. Sunt ergo hic duæ partes, inter quas, extincta inimicitia, reconciliatio intercessit, Judæi ac Gentes, nec Deus hic potest habere rationem unius partis, cum qua Judæi & Gentes conjunctim, tanquam pars altera, concordiam constituerint, seu reconciliati fuerint. Grotii vero explicatio loco non convenit. Vult enim reconciliationem cum Deo hoc loco ideo commemorari, quia fuerit causa antecedens seu media reconciliationis Judæorum ac Gentium inter se. At-

qui hæc verba causam antecedentem reconciliationis Judæorum ac Gentium non denotant. Ita enim loquitur Apostolus: *Et medium parietem maceræ diruit* (Christus) *inimicitiam in carne sua, Legem mandatorum in decretis abolens, ut conderet duos in semetipso in unum hominem, faciens pacem, & reconciliaret ambos in uno corpore Deo per crucem*. Hic nemo non videt, in verbis illis: *ut conderet duos* (i.e. Judæos & Gentes) *in semetipso in unum hominem, faciens pacem*, sermonem esse de pace & concordia inter Gentes & Judæos constituta. Quod vero vel minimum est indicium ejus rei, quod in iis, quæ sequuntur, & non secus ac priora, causam finalem superiorum exprimunt, (pendent enim à particula finali *in* præcedentibus præfixa, unde eam Grotius in recitandis verbis *ἐν ἑαυτῷ* hic repetiit) causa media seu antecedens istius pacis exprimat? Cur Apostolus nullam causæ mediæ notam adjecit, vel saltem ordinem verborum non invertit, ut exinde constaret, hunc finem illo esse priorem? Ita enim solemus facere in enumerandis finibus, ut eum, qui prior est, medioque communi propius adhæret, ac subsequens est causa, præponamus. Sed præterea finis ille, quem in his verbis exprimi vult Grotius, nec propius, nec ullo majore nexu adhæret communi medio, quod hoc loco exprimitur, & cujus fines explicantur. Medium enim istud est, diremtio interjecti inter Judæos & Gentes parietis, quem inimicitiam ideo vocat Apostolus, quod inimicitia inter utrumque populum esset causa. Huic medio proxime & naturali vinculo cohæret constitutio amicitia & pacis inter utrumque populum. Sublata enim inimicitiarum causa, pax consequitur. At inter amolitionem istam parietis mediæ, qui discordia utriusque gentis fuerit causa, & inter concordiam hominum cum Deo, talis nexus non apparet, nedum arctior ac manifestior. Imo contrarium ejus æque facile cum medio isto connecteretur. Potuisset enim inimicitiarum causa ita tolli inter utrumque populum, ut uterque in odium Dei seu impietatem conspiraret. Atque hæc ipsa videtur fuisse causa, cur Paulus, cum dixisset, Legem illam ceremonialem eum in finem sublatam, ut populus uterque in unum novum hominem coalesceret, addiderit: *& reconciliaret utrosque in uno corpore Deo*. Poterat enim quis objicere, eam concordiam, quæ sublati illis divinis legibus inter Judæos & Gentes constituta fuerit, adversus Deum initam, atque eo pertinere, ut populus Judaicus, excusso Legum divinarum jugo, metum ac reverentiam numinis poneret, & una cum Gentibus Dei cultum jam porro negligeret. Cui objectioni occurrens Paulus, ait, tantum abesse ut ea concordia fuerit adversus Deum inita, ut potius facta fuerit *Deo*, h. e. eum in finem, ut uterque populus certatim Deo serviret, & in verum ejus cultum penitus conspiraret. De eadem ergo concordia in his verbis est sermo, de qua in proxime præcedentibus. In eo tantum inter utraque verba est differentia, quod in his finis princeps atque ultimus hujus concordia est aperte expressus, qui in præcedentibus vel non fuerat, vel non ita clare expressus.

Sed fulcit rationem suam Grotius Partic. 32, dum addit: *Ac mirum est hoc non agnoscere Socinum, cum dicat ipse Coloss. 1. 20, 21, 22. Apostolum instituto ser-*

mone de parta inter creaturas concordia, statim & apertius, & immediate subicere mentionem reconciliationis ejus qua homines amici Deo sunt facti, & quidem interjecta voce &; qua non solet res nullo modo coherentes connectere. Unde manifestum est esse hac inter se conjuncta, ita ut recte Paulus, isto quo de agimus ad Ephesios loco, reconciliationem hominum cum hominibus ad reconciliationem hominum cum Deo, tanquam effectum ad causam suam, retulerit.

Imo vero mirari debuisset Grotius, si aliter fecisset Socinus. Nam licet in loco Coloss. 1. utraque reconciliatio connectatur per particulam copulativam: ita tamen utramque dispescuit Apostolus, ut cuivis appareat, de alia reconciliatione in præcedentibus, de alia in sequentibus agi. Nam antequam reconciliationem hominum cum Deo annectat reconciliationi creaturarum inter sese, commemorat inimicitiam & odium hominum adversus Deum, ut ex oppositione constaret, de qua reconciliatione esset loquuturus. In loco ad Ephes. nihil tale apparet, imo satis aperta est oppositio inter reconciliationem & inimicitiam, quæ Judæis ac Gentibus intercesserit. Adde quod in loco ad Ephes. post verba, de quibus controvertimus, usque ad finem capitis sermo est de iis, quæ ad concordiam illam Judæorum ac Gentium pertinent. In loco ad Coloss. postquam Apostolus cepit agere de reconciliatione hominum cum Deo, ad concordiam illam hominum & Angelorum non redit amplius. Sunt quidem reconciliationes istæ conjunctæ genere, & causis efficientibus præcipuis, sed specie differunt, seu mavis subjectis.

Pergit Partic. 33. *Illud addendum est, nominari eo ipso in loco sanguinem Christi, tanquam per quem effecta sit reconciliatio. At sanguini Christi passim Scriptura subjungit, tanquam effectum maxime proprium, peccatorum remissionem* Matth. 26. 28. Eph. 1. 7. Coloss. 1. 14. Hebr. 9. 22. Rom. 3. 23. Rom. 5. 10. 1 Johan. 1. 7. 1 Petr. 1. 2. Apoc. 1. 5. *Per vim scilicet placatricem* 1 Johan. 2. 2. & 4. 10.

Sed nulla hic est consequentia: Christi sanguini adscribitur tanquam effectum maxime proprium peccatorum remissio, & quidem (largiamur enim id nunc) per vim placatricem. Ergo quia isto in loco reconciliatio per sanguinem facta dicitur, per reconciliationem remissio peccatorum, idque per vim placatricem intelligitur. Hoc enim concludendum est Grotio, si ad rem loquutus esse censeretur. Consecutionem autem in isto argumento nullam esse, vel ex ipsis Grotii verbis apparere potest, dum ait, remissionem peccatorum subjungi sanguini Christi *tanquam effectum maxime proprium*. Satis enim indicat, esse etiam alios sanguinis Christi effectus, sed minus proprios. Quid vero prohibet, quominus etiam illi effectus, licet minus proprii, morti Christi aliquando subjungantur? Nos sane superius * hoc ipso capite docuimus, conversionem nostram ad Deum, morti aut sanguini Christi adscribi. Sed quid longius abimus? An non in loco Coloss. 1. 20. dicuntur ad concordiam redacta omnia quæ sunt in cælo & in terra, i. e. homines & Angeli, *per sanguinem crucis Christi*? An forte & ibi remissio peccato-

rum per vim placatricem intelligitur, & Angelis etiam parta est remissio peccatorum, placatusque Deus? An non in loco Ephes. 2. sanguini Christi apertissime adscribitur pax & concordia inter Judæos & Gentes constituta? Scribit enim Apostolus v. 13. *Nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquando eratis procul, prope facti estis in sanguine Christi*. Quid autem est illud *prope facti estis in Christo Jesu*, ejusque sanguine? id statim significat Apostolus dum addit: *ipse enim est pax nostra, qui facit utraque* (i. e. & Judæos & Gentes) *unum*, quod per abolitionem Legis ceremonialis porro factum docet. Quanquam id ipsum oppositio declarat, quæ est inter *procul esse*, & *prope factum esse*. Quid enim aliud est *procul fuisse*, quam quod vers. præced. dictum fuerat: *abalienati à Republ. Israël*, &c. Quare *prope fieri* est in unam cum Israël Rempubl. seu unum Dei populum coire. Vide etiam vers. 19. Ait præterea Apostolus Christum inimicitiam istam, seu inimicitie causam, quæ fuerit Lex ceremonialis, abolevisse per carnem suam h. e. corpore suo in mortem tradito, quam postea dicit *in cruce* h. e. per crucem occidisse. Nam cum Christus sanguine suo doctrinam suam confirmavit, in qua omnibus hominibus peræque salus offertur, & ejusmodi modus justitiam & salutem æternam consequendi præscribitur, qui Legalibus ceremoniis nihil indiget, imo ab iis abhorret, eo ipso vim Legum ceremonialium sustulit, nec quemquam iis obstringi amplius docuit. Quid enim istud curandum est amplius in divino cultu, sine quo justificari & æternam salutem adipisci queam? sublato autem hoc utriusque populi interstitio, & salute utriusque peræque oblata, effecit Christus, ut in unum Dei populum coirent Act. 10. 37. Rom. 10. 12. 13. Adde quod Christus per mortem Rex populi divini, & Dominus non modo Judæorum, sed & Gentium effectus, Leges veteres, ad sanctitatem veram constituendam nihil pertinentes, & concordie eorum obstantes, qui unum Dominum, unum Deum habebant, & cætera, quæ ad Christianorum unitatem facere docet Apostolus Ephes. 4, pro suprema illa, quam obtinuit, auctoritate sustulit, & per Apostolos, Paulum præsertim, observatu non necessarias docuit. Quod totum sanguini Christi ea, quæ alibi dictum est, ratione adscribendum est. Sed quæ vis erit argumenti Grotiani ad stabiliendam placationem iræ divinæ, si negetur, Christi sanguini remissionem peccatorum per vim placatricem tribui, quod jure negari jam docuimus? Ostendimus enim nihil tale contineri in locis 1 Johan. 2. 2 &c. c. 4. 10. quæ Grotius ad id stabiliendum affert, sed potius contrarium ex eorum posteriore demonstrari. Quanquam in neutro sanguinis Christi solius, aut aperte fit mentio? imo in priori ad tempus, quo Christus apud Patrem in cælis degit, respicitur. De verbis Hebr. 9. 22 non semel diximus. Locum Rom. 5. v. 10. de conversione nostri ad Deum loqui itidem docuimus.

Pergit Grotius Partic. 34: *Isti ad Ephesios loco per- similis mihi videtur is, cujus jam injecta mentio, Coloss. 1. 20. Plane ut ad explicationem istius hunc potius adferendum existimem quam illum Ephes. 1. 9, 10. Plurima enim congruunt. Quod illic separatim dicitur*

* Partic. 18.

per sanguinem & per crucem, hic dicitur conjunctim per sanguinem crucis. Ibi est *παιὼν εἰρήνης*: hic *εἰρηνοποιός*. Ibi, ut reconciliaret ambos Deo: hic reconciliare omnia in seipsum, h. e. in Deum. Hoc interest, quod ibi duntaxat mentio fiat de hominibus inter se conciliatis, quia conciliati erant Deo, hic vero de hominibus conciliatis & inter se & cum Angelis, ideo quia homines conciliati erant Deo.

At hoc ipsum discrimen, quod Grotius hic affert inter utrumque locum, Socino satis est ad ostendendum, locum hunc ad Coloss. 1. 20. potius conferri debere cum illo Ephes. 1. 9, 10. quam cum isto Ephes. 2. 16. Nam cum ibi subjecta sint eadem, nempe omnia quæ sunt in cælo, & quæ in terra, hic vero diversa, nempe tantum Judæi & Gentes: & illud summam colligere in Christo *ἀνακεφαλαιώσας ἐν ἑαυτῷ*, nihil sit aliud, quam pacem facere in Christo *εἰρηνοποιῶν αἰὲν*, quorum illud Ephes. 1. hoc Coloss. 1. extat, nec discrimen hic sit, nisi in verbis; apparet locum cap. 1. Ephes. rectius conferri cum loco Coloss. 1. quam locum Ephes. 2. Convenientia enim maxime ex subjecto, & actione quæ circa subjectum illud occupatur, æstimanda est, præsertim si tempus sit idem, & causæ efficientes potissimæ eadem, ut hic accidit. Nam quod Ephes. 1. sanguinis non fiat mentio, ea differentia minoris est momenti, quam ea, quæ in subjecto cernitur; & præterea jure dici potest, sanguinem ibi tacite comprehensum, cum Christus, tanquam causa media, fuerit expressus, quo nominato omnia, quæ is fecit ad *ἀνακεφαλαιώσας* illam pertinentia, inter quæ mors ipsius, intelligi possunt. Quamquam & ordo Scriptionis Apostolicæ Socino favet. Nam initium c. 2. Ephes. respondet vers. 21. cap. 1. ad Coloss. Unde verisimile sit, quæ ante hunc vers. 21. cap. 1. Col. traduntur, cap. primo ad Eph. contineri non secundo; cum notum sit, has Epistolas esse parallelas.

Sed quicquid de hoc sit, istud jam patet, si idem sit sensus hujus loci Coloss. 1. qui istius Ephes. 2. quem hæcenus examinavimus, nihil illum facturum ad sententiam Grotii, de placatione iræ divinæ per antecedentem satisfactionem, stabiliendam: cum nec placationis iræ divinæ, nec satisfactionis ullius in loco ad Ephes. fiat mentio. Quin hic ipse locus ad Coloss. ut antea docuimus, validum nobis contra Grotium argumentum suppeditat, cum in eo omnia, quæ in terra, & quæ in cælis, adeoque Angeli etiam reconciliati dicantur in Deum, & pacificati per sanguinem crucis Christi. An enim his etiam Christus sanguine suo placavit Deum, & remissionem peccatorum satisfactione pro illis præstita à Deo impetravit? cur ad hoc Grotius nihil respondit, cum id Socinus urserit, & fuisse deduxerit? Quod ait Grotius: *Hic agi de hominibus reconciliatis inter se & cum Angelis, ideo quia homines reconciliati erant Deo*, id est sententiam dicere, non disputare aut argumentari contra adversarium, quod Grotius facere debebat. Cur non de hominibus tantum dicit, & non etiam de Angelis, eos cum Deo reconciliatos, si hic de reconciliatione cum Deo est sermo? Apostolus enim ait, omnia esse reconciliata in Deum; quæ omnia postea explicans, ait, partim super terra esse, partim in cælis. Quod si absurdum esse videt, dicere, Angelos cum

Deo reconciliatos, aut Deum illis; cur similiter non perspicit, de reconciliatione cum Deo sermonem hic non esse? Deinde cur reconciliationem hominum cum Deo, quam verbis Apostoli prioribus, per ipsum reconciliare omnia in seipsum, explicari putat, ponit tanquam causam antecedentem pacificationis hominum inter se & cum Angelis, cum Apostoli verba contrarium potius indicent? ait enim, quod voluerit Deus per ipsum reconciliare omnia in seipsum, *εἰρηνοποιῶν*, pacificans, (aut pacificando) per sanguinem crucis ejus, per ipsum sive ea quæ super terra, sive ea quæ in cælis, hoc potius medium quoddam istius, quam istud hujus statuens. Sed etiam si concederetur, de reconciliatione hominum cum Deo hic sermonem esse, nulla tamen inde concluderetur iræ divinæ per satisfactionem antecedentem placatio. Id vel ex eo manifestum est, quod hic quoque, ut in loco 2 Corinth. 5. 18, 19. reconciliandi actio Deo tribuitur, Deus autem seipsum nobis iratum non placavit, nec sibi satisfecit per Christum.

Subjicit Grotius Partic. 39: *eis αὐτὸν omnino est in sese, Deum scilicet, ut & Syrus interpretatur Le, hoc est sibi. Nam si hoc vellent istæ voces quod Socinus vult, in unum, scribendum fuerat εἰς τὸ αὐτὸ, aut saltem εἰς αὐτὸ, non εἰς αὐτὸν, aut εἰς αὐτὸν, quod ad personam certam necessario refertur.*

Sed ubinam Grotius apud Socinum uspiam legit, voces *εἰς αὐτὸν* aut *εἰς αὐτὸν* significare in unum? An non Socinus vult, pronomen illud Græcum masculini generis esse, & certam personam denotare, ac pro varietate aspirationis, quam ipse Grotius indicat, vel ad Deum, vel ad Christum referri? Itaque in eorum verborum explicatione versans ita loquitur: ** In seipsum, inquam, vel in ipsum, id est ad se, (de Deo loquitur) vel ad Christum omnia convertendo ac dirigendo.* Itaque diligentiam in Grotio merito desideramus, præsertim quia negligentia ipsius factum fuit, ut falsam sententiam Socino tribueret, & à mente ipsius prorsus alienam. Sed quia Socinus dixerat *εἰς αὐτὸν* non debere hic verti sibi, neque id sententiam, aut sermonis rationem ferre, nisi quis dativum sibi accipiat de fine cui, quemadmodum accepimus vocem Deo Ephes. 2. ubi hujus rei exempla attulimus: ideo Grotius ostendere conatur, vim dativi hanc particulam habere posse. Sed frustra, nisi simul doceat, dativum sibi tum non debere accipi de fine, quemadmodum postulare videntur verba in seipsum, sed tantum de persona, cum qua reconciliatio fuerit inita; cum Socinus fateatur, posse eam reddi per dativum sibi, eo, quo diximus, sensu. Sic paulo superius vidimus, opponi sibi invicem ista apud Lucam: *πλεῖν ἐαυτῶν, & πλεῖν εἰς θεόν, ditescere sibi, & ditescere in Deum*; ita ut eodem sensu ponatur dativus, quo particula *εἰς* accusativo juncta, propter causam à Grotio allatam: sic 1 Petr. 1. 4 dicitur: *in hereditatem incorruptibilem &c. conservatam in vos* h. e. vobis, seu pro vobis. Ephes. 3. 2. *gratia Dei data est mihi in vos* i. e. pro vobis, in vestram utilitatem. Hanc vero significationem particulæ *εἰς* accusativo junctæ, quæ reperitur etiam paulo ante hoc eodem cap. Coloss. 1. 16 & alibi, cum in Deum aliquid esse vel fieri dicitur, Rom. 11. v. ult.

* Lib. 1. cap. 8. pag. 60.

1 Cor. 8. 6. Ephes. 1. 5, cur repudiemus, & cum ea commutemus, quæ Grotio placet, nulla est causa: contra causa est magna, cur id haudquaquam sit faciendum. Docuimus enim, admissa Grotii interpretatione sequuturum, ea etiam, quæ in cœlis sunt, Deo, seu cum Deo reconciliata esse. Unde & illud concidit, quod subjungit: *Quid quod ipso Socino fasente, usitata est apud Græcos phrasis κατεπαύθησαν ἡμεῖς πρὸς τὸν Θεόν? At eis in Apostolico sermone poni vice τὸ πρὸς negare nemo poterit, qui vel paucos locos diligenter inspexerit, quales sunt Matth. 15. 24. Actor. 16. 40. Ephes. 3. 19, earundemque vocum commutatio in profanis quoque scriptoribus non raro occurrit. Quid enim? an non modo nulla ratio vetat, quominus particula εἰς ita hic accipiatur, verum etiam ratio aliqua cogit, ut nemo id negare possit? aut, an ideo, quia in istis locis εἰς vice τὸ πρὸς usurpatur, non potest negari, id in hoc quoque loco fieri quæ consequentia? Certe etiam si nulla ratio obstaret, id tamen tantisper repudiari posset, donec ratio, quæ id facere cogeret, afferretur. Nam cum non sit usitata Apostolo phrasis κατεπαύθησαν ἡμεῖς πρὸς τὸν Θεόν, non fuit occasio Apostolo commutandi πρὸς in εἰς. Quod ad commutationis istius exempla à Grotio allata attinet, in eorum tertio, quod extat Ephes. 3. 19, εἰς pro καίτοι positum est, ut notat Beza. Idem in altero loco, qui est Actor. 16, ult. ubi εἰς pro πρὸς positum scribit, annotat, in vetustis nonnullis codicibus esse scriptum πρὸς τὴν Λυδίαν. Ut taceam id, quod Erasmus annotat, Λυδίαν accipi posse pro domo Lydiæ, quo pacto εἰς vim suam retinebit.*

Hic jam ruunt etiam illa, quæ ex dictis deducit Grotius Partic. 36: *non esse verisimile quod vult Socinus, hoc commate de sola agi creaturarum inter se conciliatione: sequenti autem commate de conciliatione hominum cum Deo. Ratio, quam huic rei fulciendæ addit, infirma est: Contra enim, inquit, quod universim dicitur 1. 20, id 1. 21 ad Colossenses speciatim applicatur: quod notat vox καὶ ὑμεῖς, hoc est, quin vos etiam, sive vos quoque ipsos. Nam particula istæ vi sua nil aliud denotant, quam & vos, vel vos etiam. An vero hoc protinus arguit, id, quod antea generaliter dictum erat, postea speciatim ad eos, ad quos scribitur, applicari? an non etiam diversæ species, ejusdem generis, aut res simili aliquo modo conjunctæ, istis particulis inter se connecti possunt? quod idem dico de vocibus quin vos etiam, aut vos quoque ipsos, quibus Grotius putat reddendas illas καὶ ὑμεῖς. Quid enim prohibet, postquam dictum fuerit, Deum omnes creaturas per Christum ejusque sanguinem inter se conciliavisse & ad concordiam redegissee, subjicere: *Quin vos quoque ipsos, aliquando alienatos & hostes mente in operibus malis, nunc reconciliavit (sibi) in corpore carnis ipsius per mortem? Quasi dicat; Deus non tantum creaturas inter se, sed etiam vos hostes aliquando suos sibi morte Christi interveniente reconciliavit; ita ut Reconciliationes duæ, subjectis differentes, inter se hac ratione connectantur Ephes. cap. 2 inchoat sermonem Apostolus ab eadem particula καὶ ὑμεῖς cum tamen non id, quod generaliter dictum esset antea, speciatim ad Ephesios applicetur, sed, ut Erasmo visum est, vivificatio Ephesiorum vivificationi Christi, licet di-**

versi generis, annectatur ob similitudinem, quæ utrique intercedit. Quin etiam in hac ipsa ad Coloss. Epistola cap. 2. 13, de iisdem Colossensibus, de quibus antea loquutus fuerat, verba porro facturus, ita periodum incipit, καὶ ὑμεῖς & vos mortuos, &c. propter eandem, ut videtur, causam, ob quam initio cap. 2, Ephes. istis particulis usum diximus Apostolum. Nam & ibi resurrectioni Christi Colossensium vivificationem comparat & annectit.

Pergit Grotius Partic. 37: *In hoc vero commate non id dicitur quod ait Socinus, reconciliationem factam nos inculpato reddendo: sed reconciliatos nos ut redderemur inculpato. Socinus ex fine modum fecit, sane prælicenter.*

Ex iis, quæ supra etiam ex Grotio diximus de ambiguitate vocis Reconciliandi, responsio ad hæc peti potest. Paulus enim Reconciliandi vocem potissimum accepit pro Dei actione & propiore cura, quam in Colossensibus convertendis adhibuerat; quæ significatio nondum comprehendit plenum illius curæ effectum, quem spectavit Deus, sed ejus quoddam initium, hoc est, ejusmodi animorum ad Deum conversionem, ut peccatis valedicto, pietatem amarent, eique dare vellent operam: & hac ratione recte dicitur, reconciliationis finem esse, ut nos inculpato coram Deo reddamur. Socinus sententiam totius loci magis, quam solum Reconciliandi verbum in eo positum respiciens, Reconciliandi vocem in suis verbis significatu perfectiore posuit, quæ ratione plenum divinæ in nobis convertendis curæ effectum, qui est, ut re ipsa sancti & inculpato simus, comprehendit, & sic id, quod Paulus reconciliationis finem ponit, ipse modum seu formam ejus constituit. Hoc vero recte fieri posse hæc ipsa Pauli verba non obscure indicant. Opponitur enim Reconciliatio alienationi & hostilitati mentis in operibus malis. Quare perfecta reconciliatio, ad effectum in nobis perducta, erit talis animi nostri mutatio & in Deum charitas, ut jam opera faciamus prioribus, quibus adversus Deum militabamus, contraria, atque adeo sancte & inculpato coram Deo vivamus.

Quod subjungit Partic. 38, *passim indicare Scripturam remitti nobis peccata, ut in posterum sancte vivamus tanto beneficio obligati* Luc. 1. 74, id non ostendit, per Reconciliationem esse hoc loco intelligendam remissionem peccatorum, quod vult Grotius: licet id in controversia revera non versetur, sed illud, an reconciliatio significet placationem iræ divinæ, aut satisfactionem arguat. Quis vitium argumenti non agnoscit? Peccata nobis remittuntur ut sancte vivamus. Reconciliavit nos Deus ut sancte vivamus. Ergo reconciliatio est peccatorum remissio. Quamquam etiam de Majore hujus argumentationis & loco Lucæ, quo ea probatur, non nihil dictum est cap. 1 hujus Disputat.

Ejusdem valoris est, quod subjicit Partic. 39: *notandum esse, in hoc quoque commate corporis Christi, & mortis fieri mentionem, cui utrique, & huic quidem passim, remissio peccatorum tanquam effectum tribuatur. Tale enim inde extruetur argumentum: Remissio peccatorum corpori & morti Christi tanquam effectum passim tribuitur. Reconciliatio corpori & morti Christi tanquam effectum tribuitur. Ergo reconcili-*

reconciliatio est peccatorum remissio. Vitium argumenti ita notum est, ut nominare pigeat. Sed ejus infirmitatem nos in superioris (a) loci examinatione pluribus ostendimus.

Pergit Partic. 40: *Quod autem addit Apostolus, reconciliatos nos esse cum alienati & inimici mente essemus, simile est ei quod alibi dixit, Christum pro nobis cum peccatores & impii essemus, mortuum esse Rom. 5. 6, 8, & Deum esse qui justificet impium Rom. 4. 5. Quare hic quoque de eodem agi beneficio eo justius creditur, quia initium, quo in hunc sermonem Apostolus devenerat, hoc fuit, habere nos in Christo redemptionem, peccatorum scilicet remissionem.*

Sed quid inde roboris accedet sententiæ Grotii, si concedatur, locum Rom. 5. 6, 8 esse huic ad Coloss. similem? an inde sequetur, remissionem peccatorum nobis impetratam à Deo Christi morte per vim placatricem? nihil minus. Nam nihil tale in isto ad Rom. loco dicitur, sed illud, unde contrarium colligitur, ut suo loco fuit ostensum. Verum dissimilitudo est inter hos locos non exigua, & ei, quod querit Grotius, adversa. Ostendere enim velle videtur, de reconciliatione ejusmodi in loco ad Coloss. agi, quæ in ipsa Christi morte, nobis adhuc impiis, fuerit peracta, quæque adeo non in conversione nostri ad Deum, sed in impetratione remissionis peccatorum per placationem iræ divinæ consistat. At in verbis illis Rom. 5. 6, 8, nulla fit mentio ipsius reconciliationis nostræ cum Deo, sed tantum mediū illius, quod Deus nobis secum reconciliandis destinaverat, quod est mors Christi: in loco ad Col. non mortis tantum Christi, sed etiam reconciliationis per eam factæ fit mentio. Deinde id, de quo ad Rom. agitur, factum dicitur nobis adhuc peccatoribus & impiis, adeoque inimicis Dei existentibus: at in loco ad Col. asseritur, reconciliationem cum Deo successisse inimicitiae istæ adversus Deum, cum utriusque rei tempus manifeste distinguatur per particulas *aliquando & nunc*. Quod ipsum satis monere poterat Grotium, ne hos locos similes esse diceret, & in verbis Coloss. de ejusmodi reconciliatione sermonem esse putaret, quæ nobis in inimicitia adversus Deum perseverantibus peracta fuerit.

Partic. 41. Locus Rom. 4. 5, (b) ubi dicitur *Deum justificare impium*, nihil ad rem pertinet. Neque enim justificatio idem est quod reconciliatio, sed ejus effectus: neque id vult Apostolus, Deum jam tum, cum homines adhuc sunt impii, eos justificare, quod hic proculdubio vult Grotius; sed, Deum eos etiam, qui aliquando fuerint impii, justificare; id quod justitiam operum excludit, quæ ei demum contingit, qui per totam vitam fuerit pius, nec unquam præceptum aliquod Dei fuerit transgressus, quod Paulus vocat *operari*, voce hac in perfecto significato accepta. Scholastici dicerent: verba Pauli à Grotio citata accipienda in sensu disjuncto seu diviso, Grotium accipere in conjuncto seu composito. Eadem ratione dicit Paulus 1 Tim. 1. 15: Christum in mundum venisse, *ut peccatores servaret, quorum ipse sit primus*, hoc est ut eos servaret, qui aliquando fuissent peccatores, verum jam tales esse de-

(a) Partic. 33. (b) Hic locus in posteriori editione omisus est.

fuissent. qua ratione etiam se peccatorum primum vocat, non quod talis adhuc esset, sed quod fuisset, hoc est, fuisset blasphemus, persecutor, contumeliosus, ut paulo ante dixerat. Hoc pacto dicitur Matth. 21. 31, *meretrices precedere Phariseos in regnum Dei*, hoc est eas, quæ antea hoc flagitio se polluerant. Loquitur autem Apostolus non de jure tantum justificationis obtinendæ, aut ejus impetratione, quæ fidem nostram antecedit, sed de ipso justificationis actu, qui cum non nisi per fidem contingat, ut ibi docet Apostolus, non contingit nisi jam piis. Siquidem fidei justificantis anima sunt bona opera, ut alibi monuimus, & resipiscentia ubique ad remissionem peccatorum obtinendam prædicatur necessaria. Erravit etiam in eo Grotius, quod locum hunc, qui ad omnia tempora ab initio mundi extenditur, similem esse putat loco ad Coloss. qui loquitur de re, quæ sub Novo demum Fœdere fieri cœpit in iis, qui efficaciam mortis Christi agnoscere possunt, & vim amoris divini ex ea relucentis perspicere.

Istud etiam admodum infirmum est, quod ait Grotius Partic. 42, *initium, à quo in hunc sermonem devenerit Apostolus, fuisse, habere nos in Christo redemptionem, peccatorum scilicet remissionem*. An non potuit Apostolus, explicato hoc beneficio, quod per Christum nobis præstiterit Deus, persequi etiam alia, quæ per eundem in nos contulerit, præsertim ea, quæ cum remissione peccatorum singulari ratione sunt conjuncta, qualis est conversio nostra ad Deum, sine qua remissionem peccatorum adipisci fas non est? Certe nec Grotius negare potest, Paulum facta mentione remissionis peccatorum, quam per Christum habeamus, alia quædam à remissione peccatorum diversa commemorasse, quæ ad Christi dignitatem pertinent, aut per Christum fuerunt facta 1 Cor. 15, 16, 17, 18, 19. An non Apostolus Eph. 1. 7, idem beneficium iisdem prope syllabis commemorarat, atque inde initium sequentis sermonis duxerat, nec tamen idem istud postea iterat, sed ad ea digreditur, quæ cum isto beneficio divino aliquam habent conjunctionem, vel quod ejus spem nobis faciant, vel quod ad id re ipsa consequendum pertineant.

Quod postea subjungit Grotius Partic. 43, non posse rectius intelligi, quantum nos Deus amaverit (de Christo nihil opus est dicere) quantumque nos ipsi debeamus, quam si consideremus nobis sub ira adhuc Dei constitutis remissionem peccatorum primo impetratam, deinde & applicatam: id & superiori cap. refutatum est, & hoc cap. non uno loco refellitur.

Pergit Grotius Partic. 44: *Quod autem alio loco dicit Socinus, oportuisse Deum nobis esse placatissimum, minimeque iratum, antequam Christus mitteretur ad Fœdus pangendum: id quam sit à vero alienum alibi ipse videtur agnovisse, cum Deum statuit eo ipso momento, cum ad amicitiam redintegrandam nobis conditiones offerret, fuisse animo non placato, sed placabili.*

Deum jam tum, cum Christum ad Fœdus Novum in quo omnium peccatorum remissionem & æternam felicitatem resipiscentia & fide obtinendam promittit, nobiscum pangendum, & sanguine suo sanc-

ciendum

ciendum mitteret, placatissimum, seu quod idem est, minime nobis iratum fuisse, & pœnam nostram nequaquam expetiisse, sed potius impunitatem nostram vehementer desiderasse, adeo clarum est, ut mirum sit quemquam hac de re dubitare posse, idque satis aperte demonstravit Socinus loco, quem Grotius notat, lib. 1. cap. 7 & nos non semel. Neque vero huic sententiæ quicquam repugnat, quod Socinus alicubi innuit potius, quam pronunciat, Deum tum temporis animo placabili fuisse. Neque enim Socinus vocem *placabilis* opponit *placato*, ut facit Grotius: sed placabilem accipit pro placido, miti & æquo, qui neglectis irarum causis in alterum sit propensus. Itaque Socino *placabilis* eo fere pacto dicitur quo *affabilis*, & quandam animi significat affectionem, sponte ab aliquo susceptam, quæ animum re ipsa placatum minime excludit. Hoc sensu Socinum vocem hanc accipere, id quod ad contradictionem ab ipsius verbis depellendam satis est, quivis facile animadvertet, qui locum à Grotio notatum lib. 1. cap. 8, inspexerit.

Sed rationem ipsam id dictare, ait Grotius Partic. 45. In omnibus enim, inquit, conditionatis, conditionalia sunt priora absolutis. Neque vero conditio offerri, sed & impleri debet, antequam sequatur actus absolutus. Quare pacem apud Deum nos habere dicit Scriptura, postquam per fidem sumus justificati Rom. 5. 1. Antea sumus iræ filii Ephes. 2. 3, peccata enim nostra sunt causa separationis, h. e. Deum à nobis aversum faciunt Esai. 59. 2. Hac ira excludit pacem sive amicitiam, non autem qualemcunque dilectionem generaliter dictam, ut apparet Joh. 3. 16. 1 Joh. 4. 10.

In conditionatis conditionalia priora esse absolutis, & conditionem impleri debere, antequam sequatur actus absolutus, verum est, sed id, quod in controversia est, nondum demonstrat. Neque enim in hoc negotio actus absolutus, qui conditionibus impletis sequi debebat, est, ut Deus aliquando sit placatissimus, hoc est, actu ipso minime iratus, nec pœnam nostram, sed impunitatem potius nostram vehementer desiderans; verum ut talis erga nos sit perpetuo, imo nos impensius adhuc, quam antea fieri poterat, amet, ejusque rei fructum nos re ipsa experiamur; quod tum perfecte fiet, cum is jure suo, quod ad nos puniendos habet, penitus cedet, nosque ab æterna morte liberatos, immortalī vita donabit. Vox enim *placatus* apud Socinum iram tantum actu existentem & pœnæ infligendæ desiderium excludit, non vero retentionem quandam juris ad puniendum, quo quis tum demum uti velit, si conditio æquissima, quam nocenti proposuerat, non præstetur, cum ipse interea vehementer desideret, & omnibus modis curet, ut conditio ista à nocente recipiatur, & sic ipse jure suo uti haudquaquam cogatur: quod Deum tunc fecisse constat, cum filium suum mitteret, & in mortem pro nobis traderet. Deinde vox hæc, etsi omnem iram actu existentem excludit, non tamen protinus amorem summum absolute ponit. Est enim inter iram & amorem aliquid intermedium, & inter eum, qui placatissimus est, atque eum, qui summo alterum amore complectitur. Qua de re paulo post dicitur aliquid explicatius.

Quod ad pacem illam attinet, de qua Paulus loquitur Rom. 5. 1, ea aliquid amplius denotat, quam id, quod Socinus voce *placati* aut *placatissimi* explicat. Significat enim amicitiam ac concordiam inter nos ac Deum ejusmodi, quæ immunitatem à peccatorum pœnis, quatenus ea in hoc seculum cadit, absolutam in se complectitur; siquidem ea, non à conditione futura demum, sed jam præsentē pendet. Itaque qui ea fruitur, nisi in deteriore statum culpa sua relabatur, & animum vitamve in pejus mutet, etiam perpetuo à divinis suppliciis immunis erit. At is, cui Deus eo modo, quem Socinus intelligit, est placatissimus, in eo potest versari statu, in quo si perseveret, Deum iratum omnino sit expecturus, & gravissimas peccatorum suorum pœnas laturus. Qui enim in peccatis perseverat, is, etsi Deum ad tempus habuerit placatum aut placatissimum, non tamen semper est habiturus, nec remissionem peccatorum, sub conditione certa sibi oblatam, consequetur: imo quanto majorem ipsi gratiam exhibuerat Deus, quanto diutius ejus expectarat & quæsierat resipiscenciam, tanto gravior ei, quod divitiis benignitatis, tolerantiae, & longanimitatis divinæ contemserit, est metuenda ira, ut inter alia docet Paulus Rom. 2. 4, 5. Quanquam pax illa cum Deo, de qua cap. 5 sermo est, accipi etiam potest defensu quodam favoris erga nos divini, ac securitate à divinis suppliciis, quæ ex doctrina de justificatione per fidem obtinenda proficiscitur, cujus ibi fructus enumerat Apostolus, quasi dicat postquam ergo justificatio nobis per fidem obtinenda est promulgata, ejusque certa spes facta, seu mavis, ejus obtinendæ jus datum; jam animi nostri tranquillī sunt, & judiciorum divinorum securi. Quod vero Eph. 2. 3, dicitur, nos antea fuisse filios iræ, id non ostendit, Deum tum re ipsa nobis fuisse iratum. Nam filium iræ esse, nihil est ibi aliud, quam ita vivere, ut ira seu pœna dignus sis, vel, iræ ac supplicio esse obnoxium. Fieri autem potest ut Deus ei, qui iræ ac pœnæ est obnoxius, eave dignus, re ipsa non irascatur, nec pœnam ejus expetat, sed ejus potius salutem desideret, & quærat. Atque id nobis, qui filii iræ fuerimus, contigisse eodem loco docet Paulus. Statim enim subjicit: *sed Deus cum dives esset in misericordia, propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui in delictis, simul vivificavit nos in Christo, & simul collocavit in cælestibus in ipso, ut ostenderet in supervenientibus seculis opulentissimam gratiam suam in bonitate, qua adversus nos utitur in Jesu Christo.* Quare non semper peccata nostra Deum à nobis actu ipso avertunt, hoc est, eum nobis iratum reddunt, & ut pœnas nostras expetat, ac nobis benefacere nolit, efficiunt, licet ea illorum vis sit, effectum suum, nisi misericordia Dei obstaret, semper habitura: adeoque id quod Esai. 59. 2, dicitur, non est ad omnia tempora trahendum, nisi tum, cum homines Dei misericordia flecti se non patiuntur, & in impietate perseverant. Certe id locum non habuisse tum, cum Deus opulentissimam suam gratiam per Christum nobis exhiberet, ex verbis Pauli modo adductis liquido perspicitur.

Mirum autem est Grotium negare, iram Dei, quæ eum à nobis avertit, & ad nos pro meritis puniendos excitat

excitat, vel potius nil est aliud, quam Dei à nobis averfio, & puniendi defiderium, excludere dilectionem illam tantam, de qua fermo est Joh. 3. 16. 1 Joh. 4. 10, qua motus Deus filium suum unigenitum misit expiationem pro peccatis nostris, eumque in mortem dedit, ut in eum credentes ab æterno interitu vindicaremur, & vitam æternam consequeremur. An non ista sibi tam adverfantur, quam quæ maxime? Ira illa pœnam sceleribus nostris dignam expetit: dilectio hæc ut à pœna liberemur desiderat: illa prohibet ne Deus nobis benefacere velit: hæc summi beneficii, oblata salutis sempiternæ, & traditionis unigeniti Dei filii in mortem, est causa. Quis vel ipsa verba Christi & Apostolorum de hac dilectione legens, non videt, amorem illum tantum fuisse, ut iram adversus eosdem, eodem tempore, in Deo nullo modo pati potuerit? Christus enim, ut magnitudinem illius amoris ostendat, sic de illo ait: *Sic Deus dilexit mundum* q. d. tantopere ac tam impense amavit mundum. Johannes 1 Epist. cap. 4. nullum aptius potuit reperire argumentum ad ostendendum, Deum esse charitatem, quam hoc ipsum charitatis opus; & postea sic conclusit: si ita Deus dilexit nos, & nos debemus alii alios diligere. Paulus ait Rom. 5, Deum hac ratione charitatem suam erga nos commendasse, quod Christus pro nobis adhuc impiis fuerit mortuus. Hicne adhuc nobis fuit iratus, & morte Christi placandus? ab hoc impetrandum fuit sanguine, ne nos in æternum punire vellet, qui ipse omnia, quæ eo pertinebant, charitate impulsus fecit, & rem omnium pretiosissimam in eum finem impendit? Poterat tamen hæc erga nos charitas post conversionem nostram augeri, atque adeo etiam aucta est. Nam etsi nos Deus, cum Christum ad Novum Fœdus sancendum mitteret, impense amaret, imo, quatenus rei natura tunc ferebat, impensissime; non tamen simpliciter impensissime, obstantibus peccatis nostris, & Dei sanctissimi erga nos amorem ad summum progredi non finentibus. At postquam iis abjectis Deum ex animo amare ac colere cœpimus, longe perfectior iste Dei erga nos evasit amor, permanens stabilis ac firmus, effectumque in nobis suum necessario habiturus, si in pietate usque ad extremum vitæ terminum perseveremus.

Instat Grotius Partic. 46: *Peccata remitti hominibus ante pœnitentiam ne Socinus quidem sentit, placatus autem actu, aut qua voce Socinus vitatur, placatissimus dici non potest, qui adhuc imputat peccata.*

Remittere peccata, aut contra ea imputare, ambigue dicitur. Nam & is dicitur remittere peccata, qui sub certa conditione remissionem alteri offert, atque ita jus ad eam reipsa obtinendam concedit, & is, qui juri suo simpliciter renunciat. Itaque contra & is imputat peccata, qui remissionem non offert, nec jus ad eam concedit; & is, qui jure suo, quod habet in pœna, non cedit absolute, sed jus aliquod sibi ad puniendum reservat, quo usus sit, ni conditio recipiatur. Priori modo Deus remittit peccata etiam ante pœnitentiam, seu peccata non imputat. Unde Paulus dixit 2 Cor. 5: Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians, *non imputans illis peccata.* Posteriori modo non remittit Deus peccata ante resipiscenciam, & sic etiam imputat adhuc peccata. At

qui hoc modo peccata imputat, potest esse placatissimus, h. e. actu minime iratus, sed impunitatem nocentis vehementer desiderans, ut paulo superius est explicatum.

Partic. 47. Ex his patet, quid de momentis illis divinæ voluntatis, quæ hic constituit Grotius, sentiendum sit. Vult enim Deum ante Christi mortem, & posita jam Christi morte, adhuc actu iratum, licet in primo momento non omnes iræ deponendæ rationes averfetur, in secundo promittat se iram depositurum. At nos istud satis jam refutavimus, quod attinet ad tempora, quibus Deus Christum in mundum misit, & mortem pro nobis subire jussit. Quamquam cum tertium momentum, quo Deus iram jam deponit, cum prioribus ratione temporis ex Grotii sententia concurrat, (siquidem eo usque se extendit, quousque Dei præscientia, hæc vero ad omnia tempora) necesse est, ut Deus eodem tempore iisdem & iratus & placatus fuerit, quod prorsus est absurdum. Momentorum istorum distinctio, quæ temporis discrimen non ponit, ad evitandam absurditatem nullum affert momentum.

Istud etiam unde Grotius Partic. 48 excerpterit, nescio, quod *cum homo vera fide in Christum credit, Christus ex fœderis formula credentem Deo commendat.* Talem enim fœderis formulam non memini legere. Imo hujusmodi inter Deum & Christum fœdus non admittunt illa Christi verba apud Johannem cap. 16. 25, 26, ubi ait: *Et non dico vobis, quod ego craturus sim patrem pro vobis. Ipse enim pater diligit vos, quia vos me dilexistis, & credidistis, quod ego à Deo exivi.* Non admittit etiam ratio ea, qua Deus in salute nostra per Christum perficienda utitur Johan. 6. 37 & seqq. ibid. 44. 10. 28 & seqq. 17. 2. 1 Petr. 2. 25. Deus enim homines servandos Christo dedit, & eos tanquam pastori vita æterna donandos commisit, ac plenissima eum ad id efficiendum potestate instruxit. Qui ergo ipse eos Patri demum commendare ex fœderis alicujus formula teneretur? Si interpellationem Christi, cujus in Sacris Literis fit mentio, objicias, de ea dictum est hoc cap. supra, & dicitur cap. 10.

Illud postremo notari vult Grotius Partic. 49: *Vocem reconciliationis non excludere satisfactionem sive prestationem omnem & impendium.* Nam apud Livium, inquit, est: *Ut eo munere reconciliaret sibi civium animos: alibi passim similia occurrunt: ut eo quidem nomine nihilominus reconciliator noster Christus dici debeat: quod ipsum quoque monstrat Scriptura. Cum reconciliationi addit mentionem sanguinis.*

Sed non solvit Grotius argumentum Socini, ad quod videtur respexisse. Socinus enim non dicit, reconciliationem excludere satisfactionem sive prestationem omnem & impendium, sed satisfactionem plenam & veram, quas voces expresse addidit. Reconciliatoris enim esse, eum, cui debetur, eo adducere, ut aliqua saltem ex parte de jure suo cedere velit, non vero ei plene satisfacere. Livii verba contrarium non docent. Idenim tantum probant, impendio aliquo animos aliorum reconciliari posse, quod nemo negat. Sanguinis mentio cur addatur reconciliationi, ostensum est in ipsorum locorum, ubi id contingit, explicatione.

RESPONSIO

Ad Cap. VIII. quod inscribit Grotius :

De redemptione nostra per Christum facta.

Hic primo Grotius Partic. 1, extra controversiam esse ait, Redemptionem similesque voces in Sacris Literis aptari ad liberationem nostram à pœna commerita, quod locis aliquot Scripturæ ostendit, nec Socinus, ut ipsemet Grotius scribit, diffiteatur.

Adde deinde Partic. 2 : *Quin & illi loci, qui nos ab iniquitate & vana conversatione dicunt redemptos, ut Tit. 2. 14. & 1 Petr. 1. 18. Eodem pertinent, cum peccatum pro peccati pœna ponit receptissimum: idque in loco ad Titum addita vox καθαίρειν i. e. expiare, quam infra explicabimus, & in Petro vox agni, h. e. victima mentio apertum faciunt.*

At ratio ex verbo καθαίρειν deprompta, est admodum infirma. Neque enim ea vox semper significat pœnas peccatorum auferre, sed simpliciter purgare & mundare, & ad ipsorum etiam vitiorum expurgationem refertur. Sic Paulus 2 Corinth. 7. initio: *Hæc ergo habentes promissiones dilecti, καθαίρουσθαι, munde- mus nos ab omni inquinamento carnis & Spiritus, perficientes sanctimoniam in timore Dei.* Jacob. cap. 4. 8. *καθαίρουσθαι, emundate manus peccatores, & purificate corda duplicis animi homines.* Ubi eodem sensu dixit etiam ἀγιάζουσθαι, quo verbo in eadem significatione utitur Johannes 1 Epist. 3. 3. & Petrus 1 Epist. 1. 22. Eadem significatio verbi καθαίρειν reperitur in loco, ei, de quo agitur, admodum simili Ephes. 5. 26. ubi purificationem hanc Christo adscribit Apostolus, quemadmodum in loco ad Titum, quam alibi ipsis hominibus adscriptam vidimus: quia non tantum Christi efficacia, sed ipsorum etiam hominum labor & opera ad eam concurrunt. Christi vis antecedit ac impellit; nostra voluntas ac labor, ab illa excitatus, subservit. Ita vero Paulus ad Ephes. scribit: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, καθαίρων, purificans lavacro aquæ in verbo.* Ubi si voluisset Apostolus per verbum καθαίρειν expiationem seu liberationem à reatu ac pœna peccatorum significare, non lavacri aquæ in verbo, sed sanguinis, quo Christus nos expiaverit, potius fecisset mentionem, more Sacris Literis conveniente, præsertim cum egregiam haberet ad eam rem occasionem ex mentione mortis Christi, cujus finem explicat. Verum quia de ablutione & expurgatione ipsorum scelerum agit, deque eo baptismo, qui, ut ait Petrus 1 Petr. 3. 22, non depositio est sordium carnis, sed stipulatio bonæ conscientiæ erga Deum, ideo lavacri aquæ, & quidem in verbo, hoc est, quod lavacrum fiat per verbum Evangelii, morte Christi insigniter confirmatum, fecit mentionem. Tit. 3. 8. Idem lavacrum regenerationis & renovationem Spiritus Sancti vocat, h. e. lavacrum ejusmodi, per

quod novi homines aut novæ creaturæ porro evadamus, mente, voluntate, & actionibus nostris immutatis; quam ablutionem Spiritui Sancto tribuit 1 Corinth. 6. 11. Concurrent enim ad eandem hanc actionem, mors Christi, Spiritus Sanctus, verbum denique Evangelii, quod proxime ad eam efficiendam adhibetur. De eadem ablutione, quæ fiat aqua pura vid. Hebr. 10. 22.

Cum ergo verbum καθαίρειν etiam de purgatione ab ipsis vitiis accipiat, nil obstat, quominus in loco ad Titum eo pacto accipiat; imo id collatio hæc cum loco Ephes. 5. qui ei est perquam similis, admodum facit probabile. Quin & scopus loci id suadet. Dixerat enim Apostolus: gratiam illam Dei, omnibus hominibus salutarem, erudire nos, ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter, juste, & pie vivamus in hoc seculo. Hujus pietatis causas subjicit duas, ad gratiam illam Dei salutarem, quam nos ad pietatem erudire dixerat, pertinentes: altera est expectatio spei illius beatæ, in apparitione gloriæ Dei & Christi nobis exhibendæ: altera est mors Christi, spei illius insignis confirmatio, quam ideo susceptam asserit à Christo, tum ut à servitute peccatorum nos vindicaret, tum ut servitio suo addictos, studiosos bonorum operum sectatores efficiet: qui fines mortis Christi respondent illis duabus, quas ante constituerat Apostolus, officii nostri partibus, quæ sunt, à peccatis desistere, & bonum facere. Itaque verba hæc, *ut redimeret nos ab omni iniquitate*, respondere videntur illis: *ut abnegemus impietatem & mundanas cupiditates*; ista verò: *& purificaret sibiipsum populum peculiarem, studiose sectantem bona opera*, respondent potissimum illis, *ut temperanter, juste, & pie vivamus.* Hæc enim sunt bonorum operum genera, quæ sectari debemus. Quanquam in verbo *purificandi* liberatio etiam à vitiis aliquo modo repetitur. Eadem ratione Petrus 1 Petr. 2. 24, finem istum quodammodo duplicem mortis Christi constituit, *ut peccatis mortui, justitiæ vivamus.* Quinetiam ipse Paulus 2 Cor. 5. v. 15, ubi ait, Christum mortuum, ut, qui vivunt, *non amplius sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.* Adde quod in loco ad Titum, tacita quædam est oppositio inter statum illum pristinum, ex quo redempti dicimur, & inter eum, in quem traducti sumus. Hic autem in eo consistit, quod populus Christi peculiaris, seu servi ipsius, qui studiose sectemur opera bona, effecti simus. Quare status ille, ex quo redempti dicimur, nihil est aliud, quam quod peccato & iniquitati serviverimus, omnis generis mala opera patrans; atque adeo de redemptione seu liberatione ab ipsis peccati jugo ac servitute hic sermo est. Aliam adhuc rationem videbimus, ubi locum Petri 1 Epist. 1. 18. huic similem explicuerimus, ad quem nunc accedimus. In eo Petrus rationem affert, cur ii, ad quos scribit, incolatus sui tempus in timore transigere debeant, seu, *ut initio hujus admonitionis fuerat loquutus, cur non debeant pristinis suis in ignorantia cupiditatibus conformari, sed Sancti in omni conversatione fieri.* Ratio hæc est: quia non res viles & caducæ, quales sunt aurum & argentum, à Deo & Christo in id impensæ sint, ut à pristina illa vanaque conversatione libera-

rentur, sed pretiosissimus Christi sanguis. Hanc sententiam quis non videt Apostoli scopo esse convenientissimam, & ad id, quod volebat, admodum efficacem, ac verbis apprime consentaneam? Verbum *conversacionis*, quo Apostolus utitur, de ipsa vivendi ratione, seu de actionibus accipitur, nec in eo usitata est metonymia causæ, quæ in voce *iniquitatis* aut *peccati* cernitur, dum pro pœna sumitur: nec ulla est causa, quæ suadeat, ut à vocis proprietate hic discedatur: imo oppositio diversum suadet. Nam *καταλαλᾶσα ἐν φόβῳ*, i. e. *vana conversatio*, opponitur *τῇ ἀλασεργίᾳ ἐν φόβῳ*, *conversacioni in timore*, *τῇ ἀγιότητι ἐν πάσῃ ἀλασεργίᾳ*, *sanctitati in omni conversacione*, cujus vers. 15. facta est mentio. Grotii sententia ad id, quod volebat Apostolus, est inefficax. Neque enim, nisi quid addatur aliud, sequitur, quia pro nostris iniquitatibus Deo fuerit satisfactum, ideo nobis pie vivendum esse. Addendum saltem fuisset Apostolo, satisfactionem istam nobis non prodesse, nisi pie in posterum vivamus. Alias enim, cum quis audit, pro peccatis suis vere satisfactum, potius licentiam peccandi videtur nactus, præsertim si solutionis istius vis ad omnia peccata, etiam futura, extendatur, ut quidem ab adversariis creditur. Quanquam nos supra ostendimus, si satisfactio talis qualem adversarii volunt, Deo præstita fuerit, necesse fuit, ut statim consequeretur peccatorum nostrorum remissio, nec ulla amplius ex parte nostra requireretur actio ad illam à Deo impetrandam. Itaque nec illud addi aut subintelligi potest, satisfactionem nobis non prodesse, nisi pie vivamus. Atque hæc ratio etiam ad locum Titi 2 accommodanda est, unde nostra illius loci explanatio adhuc magis confirmatur.

Sed ait Grotius, mentionem *agni* h. e. victimæ planum facere, de liberatione à peccati pœna esse sermonem. Atqui ostensum est à Socino prolixè, (qua de re agendum nobis erit cap. 10.) victimæ Christi non modo ablationem pœnarum, verum etiam emundationem ab ipsis sceleribus & peccatis tribui. Hinc D. auctor Hebr. 9. Christi sanguinem cum victimarum legalium sanguine comparans, ait, *eum purificare conscientiam nostram à mortuis*, seu *mortiferis operibus ad serviendum Deo viventi*, vers. 14. Præterea ex Apoc. 7. 14. satis constat, sanguini Agni repurgationem ab ipsorum peccatorum sordibus tribui. Dicuntur enim illi, qui ante thronum & agnum stantes introducuntur, induti stolis albis, & palmas manibus tenentes, *stolas suas dealbasse in sanguine agni*, h. e. puritatem vitæ vi sanguinis agni consequuti fuisse. Quemadmodum enim per palmas, quas manibus tenebant, fortitudo illorum in perferendis persecucionibus ac victoria significatur: ita per stolas candidas vitæ puritas: quomodo alibi in eodem lib. byssinum purum & splendidum, quo sponsa agni fuerit exornata Apoc. 19. 8, intelliguntur iusta piaque opera sanctorum. Hæ enim duæ fuerunt causæ, ob quas illis, de quibus sermo est, felicitas ista, quæ postea describitur, contigerit, vitæ puritas, & in persecutionibus constantia. Confer. v. 15. cum 14. Quid quod Grotius supra cap. 1. in verbis 1 Petr. 2. 24. ad sacrificia dixit alludi, quo tamen loco finis mortis Christi constituitur, ut peccatis mor-

ti *justitiæ vivamus*. Quid ergo mirum si sanguini Christi, qui agnus aut victima dicitur, ab eodem Apostolo alibi idem adscribatur effectus?

Hanc redemptionem, ait Grotius Partic. 3, morti Christi adscribi cum passim testetur Scriptura, ne id quidem inficiari potuisse Socinum (addere debuit, nec voluisse.) Verum, inquit, *quomodo causa redemptionis sit mors Christi, id est de quo quæritur. Nos enim ideo causam redemptionis esse mortem Christi dicimus, quod ea Deum moverit, ut nos a pœna liberaret. Id ipsum negat Socinus.*

At non tantum de eo quæritur in hoc Redemptionis negotio, an mors Christi Deum ad nos à pœna liberandos moverit nec ne, sed etiam, idque præcipue, an Redemptio per Christum facta solutionem veri pretii pro peccatis nostris Deo præstitam, seu veram satisfactionem comprehendat. Hoc enim ab iis, qui satisfactionem vulgo defendunt, urgetur, ut vel ex Covei verbis, quibus Redemptionis illius vim explicat, apparet. Ita enim scribit: *Redimere aliquem est debitum solvere creditori ejus nomine qui solvendo non erat, sicque satisfacere creditori. Redemit nos Christus à judicio Dei, vel ab ea justitia per quam peccatores damnari merebamur. Unde sequitur, Christum, cum nos redimeret, Deo pro nobis satisfecisse.* Nec à Covei in eo, quod potissimum quæritur, dissentiant cæteri, etiam si vocem Redimere generaliter sumtam paulo aliter sint explicaturi. Hoc controversiæ nostræ caput, quod à Socino, cum de Redemptione disputat, revera excutitur, hic non est expressum: id quod à Grotio exprimitur, à Socino tunc, cum de Redemptione ageret, non fuit opugnatum. Aliud nempe est movere Deum, ut nos à pœna liberet, aliud ei verum pretium pro peccatis nostris debitum persolvere, seu vere satisfacere. Movetur Deus ad liberandum à pœna etiam precibus, pœnitentia & lachrymis peccatoris, interdum etiam precibus alienis, ut olim precibus Moïsi pro Israëlítico populo interpositis. Eandem proculdubio vim tribuit Grotius precibus Christi, quas ad Patrem olim pro peccatoribus fudit, & quas eum adhuc pro iisdem credit fundere. Quantam vim etiam in salutis negotio habeant preces piorum pro peccatoribus fusæ, ostendit Johannes 1 Epist. 5. 19. At nulla est in illis vera pro peccatis satisfactio. Sed deinde animadvertendum est, cum Socinus negat, Christum movisse Deum morte sua ad peccatorum veniam nobis concedendam, eum *movendi* vocem in magis propria, quatenus quidem ea hic locum habet, & perfecta significatione accipere, ita ut notet, eum, cujus voluntas vel in contrarium propendeat, vel saltem ad rem aliquam per seipsam non sit prona, nec eam sponte sua desideret, impellere, ut aliquid velit, decernat, aut faciat. In qua significatione Grotius atque alii hanc vocem accipiunt, cum ajunt, Deum Christi morte motum ad nos à pœna liberandos. Antea enim eum nobis iratum fuisse ajunt, sed Christi morte placatum, iram deponere decrevisse, atque adeo accedente fide ac pœnitentia nostra, eam reipsa deposuisse, & nos in gratiam recepisse. In hac significatione vocem *movendi* accipere Socinum, cum negat, Christi morte motum esse Deum ad peccatorum veniam nobis concedendam

dendam, tum ex aliis patet, tum præcipue ex iis, quæ disputavit lib. 2. cap. 19. & 25. Quod si vocem *movendi* laxius sumas, ita ut ei quoque tribui possit, qui conditionem aliquam præstat, quam is, qui alias sponte sua ad rem quampiam præstandam propensus est, eamque perfici vehementer desiderat ac curat, ad eam penitus absolvendam, vult intervenire, & qua non impleta, effectus ex ejus voluntate non consequeretur; hæc, inquam, ratione Socinus haud negat, dici posse, Christum morte sua movisse Deum ad nos à pœna liberandos. Statuit enim, mortem Christi conditionem fuisse, ipsi à Deo impositam, qua interveniente demum potestatem illam, à qua remissio peccatorum nostrorum pendet, adipisci debuerit, qua de re cap. 1. potissimum diximus. Verum hæc minus propria est Deum movendi ratio: cum is nostri amore impulsus remissionem peccatorum jam olim decreverit, & per Christum sponte sua nobis obtulerit, ipsumque Christum ad illius spem in animis nostris defigendam, & eam reipsa implendam, in mortem tradiderit, atque ingenti præmio ad eam suscipiendam impulerit; ita ut res hæc ipsi Deo maxima ex parte sit adscribenda, & multo magis ipse Christum ad eam præstandam moverit, quam Christus conditionis istius præstatione ipsum, ad peccatorum remissionem nobis reipsa largiendam. Adde huic movendi rationi aliam, quam itidem cap. 1. * explicuimus, quod mors Christi, cum remissionis peccatorum per ipsum nobis à Deo promissæ fuerit confirmatio, Deum ad eam nobis reipsa præstandam obliget, & sic à suppliciis, quæ peccatoribus infliget, nos liberet.

Pergit Grotius Partic. 4. *Quanquam vero si quid esset ambigui in his testimoniis, in quibus redemptionis fit mentio, satis esset iis interpretandis alia ejusdem argumenti loca afferre, qualia multa citavimus, quæ Christum ob peccata nostra mortuum, pœnas pro nobis tulisse, & sic impetrasse nobis peccatorum remissionem, Deo scilicet per ipsius mortem placato, non obscure significant; confidimus tamen eandem sententiam satis aperte ex iis etiam locis, quæ redemptionis vocem similesque alias usurpant, posse comprobari.*

At ista, quæ Grotius ex Sacris Literis se credit comprobasse, in illis non leguntur, eo excepto, quod Christus ob peccata nostra mortuus fuerit; quod ad Grotii sententiam comprobendam nullum robur habere, cap. 1. patuit. An ea comprobetur ex iis locis, quæ redemptionis vocem similesque alias usurpant, nunc videamus.

Duplex, inquit Partic. 9, in Scriptura phrasis occurrit, altera, quæ delictorum redemptionem nominat, altera quæ nostram, diverso loquendi genere, at significatione eodem. Prior illa phrasis Hebr. 9. 15. ubi Christi mors dicitur peracta eis ἀπολύτρωσις ἢ ὁμοεισπράσις. Hoc autem loquendi genere ἀπολύτρωσις, ὁμοεισπράσις, aut Latine, culpas, delicta, crimina redimere, non tantum significari causam moventem ad liberandum: sed talem etiam, quæ compensationem aut satisfactionem includat, tam manifestum est, ut id quoque fateri debuerit Socinus. Cum hæc ergo istius locutionis usitatissima sit significatio, non licet inde nobis recedere, nisi duo pro-

bentur, interdum, etsi minus frequenter, aliud ea locutione significari, & causam hic esse justam, cur infrequentior significatio frequentiori præferri debeat. Horum neutrum a Socino probatur.

Hic si jure instantiam postulare voluit Grotius, quam tamen ultro attulit Socinus, debuit ipse prior attulisse nonnulla saltem exempla, ex quibus constaret, hanc esse Græcæ illius phrasis usitatam significationem, quam ipse urget, & exempla quidem potissimum ex scriptoribus Sacris, vel iis, qui, quoad usum phrasium & verborum, Sacris accenseri possunt, quales sunt LXX interpretes. Istud cum non fecerit Grotius, exemplum diversum non recte postulat. Nam, ut ait Philosophus, non est æquum instantiam petere eum, qui exempla ipse non induxerit, Δεῖ δὲ ἐν πάσῃ τῇ ἐξήγησιν, ἔστω τὸ πῶς ἴσταιν αὐτῶν. 8. Top. cap. 4. *Oportet enim inducentem prius, ita instantiam postulare.* Sed vidit fortasse ipse Grotius infrequentem hujus phrasis usum. In Novo sane Testamento hoc uno tantum ad Hebr. loco extat. Non est ergo quod Socino objiciat, eum frequentiori significationi infrequentiorem præferre, cum in tanta exemplorum paucitate, vix dici possit, illam significationem esse frequentiorē. Nec est quod dicat, Socinum fateri, alibi sic se rem habere. Nihil enim is de phrasis Græcæ usu dicit, nisi quatenus objectionem ex adversariorum mente formans ait, verbis illis Hebr. 9. 15. videri omnino satisfactionem seu compensationem transgressionum significari: in cujus rei confirmationem addit: *nam & apud Latinos Redimere eo sensu nonnunquam profertur.* Deinde non omnino est necesse, etiam post alterius inductionem, exemplum diversæ in eadem plane phrasi significationis afferre, si ratio sit gravis, quæ ab ea, quam alter urget, significatione cogat recedere, & ex phrasibus similibus colligi queat, id haud inconcinne fieri posse. At rationes graves, quæ significationem illam, quam contra Socinum urget Grotius, etiamsi tandem usitatio dicenda esset, non ferant, tum superius in hac disputatione nostra sunt allatæ, tum inferius afferentur, quarum unam is ipse, in quo ea phrasis extat, locus suppeditabit. Deinde Redimendi verbum constructum cum nominibus, non personam liberandam, sed rem, à qua liberetur, significantibus, ut in nostro sit loco, non raro diversam ab ea, quam Grotius vult, significationem induit, & nihil revèra significat aliud, quam liberationem à re ista, de qua sermo est, impendio interveniente factam. Dicimus enim quempiam suis incommodis alterius damna, calamitates, mortem denique redimisse, quia is incommoda sustinuerit, ut alterum malis istis liberaret, licet interim nihil cuiquam pro eo solverit, & nemini satisfecerit. Accedit, quod Grotius hoc loco asserit, eundem esse significatum hujus phrasis, quæ de redemptione transgressionum loquitur, qui illius, quæ nostram redemptionem nominat, quod ii quoque interpretes voluerunt, qui redemptionem à transgressionibus pro redemptione transgressionum reposuerunt. Illa enim phrasis redemptionem nostram significat. Nos autem in sequentibus satis aperte docebimus, phrasin hanc, quæ de nostra redemptione loquitur, satisfactionem pro nobis Deo præstitam haudquaquam significare; &

* Partic. 26. 31, 85, 88.

phrases similes, in Sac. Literis non semel, non iterum, sed plerumque metaphoricam significationem habere. Quare idem de altera quoque phrasi erit statuendum. Istud addendum hoc loco est, phrasium quidem istarum duarum, quod ad rem ipsam attinet, eandem esse significationem, sed allusionem aliquantum esse diversam. Nam in iis locis, in quibus de redemptione nostra expresse sermo est, alluditur tantum ad vulgarem captivorum redimendorum consuetudinem: at in hoc loco, ubi transgressionum commemoratur redemptio, ad expiationum legalium ritus respicitur: cum, ut Grotius ipse inferius asserit, redemptio pro expiatione hic sumatur, quod etiam censuit Castellio, qui hanc vocem pro illa in sua interpretatione reposuit, quemadmodum Socinus jam dixerat. Quamquam interea dum vox *ἀπολυτρώσις*, quæ proprie de redemptione captivorum usurpatur, ad expiationem accommodatur, prior quoque allusio aliquo modo cum altera ista concurrat.

Partic. 6. Sed jam ad exempla veniendum est, quibus ostendit Socinus, Redemptionem peccati significare posse liberationem à peccato, nulla vera satisfactione vel compensatione interveniente, quorum alterum est Proverb. 16. 6, ubi secundum veterem translationem ita legitur: *Misericordia & veritate redimetur iniquitas*: alterum vero est Daniel. cap. 4. 24, ubi non modo secundum vulgatam & recentiorum versionem Latinam, sed etiam antiquam Græcam, idem loquendi modus habetur, licet in fonte paulo aliter sit. Ita enim ibi legitur: *Quamobrem, rex, consilium meum tibi placeat; & peccata tua iustitia (sive elemosynis) redime, & iniquitates tuas misericordis pauperum*. Exempla hæc diluere volens Grotius, de priori sic ait: *In nomina Salomonis Prov. 16. 6, est vox Hebraea Caphar quæ voci Græcæ ἀπολυτρώσις, proprie non respondet: quod ipsum quoque Socinus agnoscit, cum ait expiationem potius quam redemptionem ea voce designari. Addi potest nativam maxime significationem ejus vocis esse, obtegere, atque inde ad aliam similitudinem quadam produci. Neque vero sequitur, si vox Caphar, quæ apud Hebræos, ut multa alia, ob primitivarium vocum in ea lingua penuriam, est πολύσχημος, ita ut cum alia, tum ἀπολυτρώσις, quoque possit significare, ideo & vicissim Græcum ἀπολυτρώσις omnes habere significationes quas habet Caphar, cum vocis ἀπολυτρώσις simplex sit, unus apud Græcos origini suæ respondens, alias autem significationes vocis Caphar alia Græcorum voces expriment.*

Etiam si vox Hebræa, qua Salomon utitur, voci ἀπολυτρώσις seu Redimendi proprie non respondeat, modo per eam commode hic reddi possit, ut Vetus interpret fecit, & Grotius fieri posse non audet negare, habet Socinus id quod vult, nempe Redimere iniquitatem, quod est ἀπολυτρώσις ἀνομιῶν posse significare liberationem ab iniquitate, sine vera solutione veri pretii, seu satisfactione, cum hic de hujusmodi liberatione loquatur Salomon. Mirum vero est Grotium objicere, vocem Hebræam verbo ἀπολυτρώσις, proprie non respondere, quia, Socino fatente, expiationem potius quam redemptionem designet, cum ipsemet, una cum Socino ac Castellione, ἀπολυτρώσις in illo ad Hebr. loco pro Expiatione accipiat. Ait

enim infra hoc capite: in Epistola ad Hebræos pro eodem poni λύτρωσις & καθαρισμός, seu expiationem; & in eam rem citat cap. 9. Hebr. 5. 12, 14, 15, 22, 23. At vs. 15, extat hæc phrasis ἀπολυτρώσις τῶν παρῃβόλων, de qua controvertimus. Quare vel ex ipsius Grotii mente, ἀπολυτρώσις hic est expiatio, & potest verbo Hebræo, quo Salomon utitur, licet figurate, respondere, id quod nobis satis est. Quod non sequatur, si vox Hebræa sit πολύσχημος, etiam vicissim Græcam habere omnes eas significationes quas Hebræa; nihil adversus Socinum, qui id non urget, nec isto modo argumentatur.

De posteriori exemplo ita scribit Partic. 7: *Apud Daniele cap. 4. 24, est vox Hebræa Parak, quæ voci Græcæ ἀπολυτρώσις minime ἰσοδυναμεῖ: sed proprie & frequenter significat eonterere, frangere, avellere; & propter hoc postremum, etiam liberare. Quamquam etiam si redimere hoc loco cum veteribus interpretemur, nihil nos coget hanc vocem sumere extra eam quam defendimus significationem. Movetur enim Deus pœnitentia fructibus, ut inhibeat pœnas temporales, ut antea quoque notatum est.*

At dum Grotius ait, vocem Hebræam Græcæ ἀπολυτρώσις minime ἰσοδυναμεῖν, non tam Socinum, quam una cum antiqua Latina Græcam interpretationem oppugnat, quæ verbum Hebræum, quod hoc loco simpliciter liberationem ab iniquitatum & peccatorum pœnis significat, nulla interveniente vera satisfactione, voce ἀπολυτρώσις reddidit, satis indicans, vocem ἀπολυτρώσις figurate sumtam tam late solere extendi, quam late vox Hebræa Parak, quæ sua vi ne ejusmodi quidem causam moventem, quam Grotius voce Græca vult designari, significat, sed simplicem tantum liberationem. Idem factum est à LXX interpretibus Psal. 7. 3 & 136. 24. & Thren. 5. 8, ubi Hebræum istud verbum voce λυτρώσθαι reddiderunt; licet ex ipsis locis apertissimum sit, eo simplicem tantum liberationem significari, nec credibile sit, eos errore quodam Græca hac voce in eo reddendo usos: sed statuendum, eos communem loquendi usum sequutos, λυτρώσθαι usurpasse simpliciter pro liberare. Quod ergo Grotius ait, verbum Hebræum Græco ἀπολυτρώσις minime ἰσοδυναμεῖν, id, si de propria significatione loquatur, verum est, sed ad rem non facit; cum nec id Socinus urgeat, nec inter nos constet, an vox ἀπολυτρώσις in loco controverso sit proprie accipienda: si vero de impropria vocis Græcæ significatione loquatur, id ei minime concedimus; cum inter alia vox Hebræa significet liberare, quam eandem significationem vox Græca frequentissime habere deprehenditur. Etiam si vero concederetur, hoc loco voce ἀπολυτρώσις significari causam, quæ Deum ad pœnas temporales inhibendum moveat, id tamen nondum satis esset ad eam vocis significationem, quam Grotius defendit, Socinus autem in hoc negotio negat, & exemplis perpetuam non esse ostendit. Socinus enim id tantum exemplis istis conatur ostendere, verbo Redimendi juncto voci peccati, non denotari semper satisfactionem seu veram compensationem: Grotius contra urget, phrasi hac non tantum significari causam moventem ad liberandum, sed talem etiam, quæ satisfactionem aut compensationem includat, idque tam manifestum esse, ut id fateri

fateri debuerit Socinus. Quibus verbis si Socinum vere voluit oppugnare, non vero ambiguitate vocum ludere, necesse est eum talem compensationem intelligere, in qua res æqualis pretii, alias haudquaquam debita ei, cui solvitur, pro altera re ponatur. At isti poenitentiae fructus, qui in loco, vel potius locis dictis commemorantur, præteritas culpas eo pacto haudquaquam compensant, imo nec earum partem, adeoque nec vere pro iis satisfaciunt: (alias enim eæ culpæ à Deo tunc non remitterentur; siquidem liberatio ex operum merito penderet:) sed iis intervenientibus Deus misericordia impulsus peccata condonat. Quod si urgeat Grotius, etiam si huiusmodi satisfactio, qualem à Socino intelligi diximus, ea voce non denotetur in locis adductis, denotari tamen vim moventem ad liberandum; jam alibi dictum est, huius generis satisfactionem à Socino non oppugnari, nisi forte *movendi* vox in perfectiori quadam significatione sumatur, ut denotet eum, qui ad quippiam per semetipsum pronus non sit, impellere, ut id velit ac decernat; quam significationem locus Hebr. 9, inter nos controversus non patitur. Christi enim mors ibi consideratur ut mors mediatoris, qui Dei nomine ac jussu Fœdus Novum, in quo remissio peccatorum nobis ab ipso jam decreta promittitur, ea ratione confirmavit ac sanxit. At mors mediatoris, aut mactatio pecudis, quæ ei in aliis fœderibus pereutiendis olim solebat respondere, non intercedit ad eum, cujus nomine ac jussu Fœdus sancitur, movendum, ut id, quod in eo Fœdere continetur, decernat ac promittat; sed ad ostendendum, eum id ratum habiturum, atque adeo præstiturum, quod mediator ipsius nomine promiserit. Quia vero is hac Fœderis sanctione, quam mediator ipsius nomine ac jussu peregerit, ad promissa Fœderis præstanda obligatur; eatenus dici potest eum sanctione ista moveri ad ea præstanda, quod nos de Deo quoque in hoc negotio dici posse arbitramur, ut cap. 1, explicuimus, & sup. partic. 3, breviter repetimus. Quare si huiusmodi vim moventem voce ἀπλῶς in loco Hebr. 9. 15, significari velis, id adversus nostram ac Socini sententiam nihil. Quamquam ut ea nominatim intelligatur, nihil cogit.

Accedit ad alteram locutionem Grotius Partic. 8, quæ personam redemptam indicet, & nostro argumento in Sacris Literis sæpissime accommodatur, & ait, *quæ, hic actus Christo proprie, an improprie tribuatur. Redemptionem hoc est, ἀπλῶς propriam definiri à Socino, liberationem captivi à manibus detinentis pretio detinenti dato; nimis anguste. Nam vocis & naturæ & usus non ad captivitatem solam restringi, sed ad omne genus incommodi, ut & liberationis vocabulum. Rectius ergo definiri: ἀπλῶς sive redemptio, est liberatio alicujus ab incommodo, ὅτε intercedente.*

An Socinus, dum ἀπλῶς proprie dictam ad solam captivitatem restrinxit, nimis anguste eam definierit, judicent docti. Ille certe, qui vocabulorum significationes vulgo tradunt, viri docti cum ipso consentiunt. Origo verbi seu vocis natura, quam Grotius urget, id satis videtur comprobare. Docet enim Grotius paulo post, quod etiam per se manifestum est, ὅτε, unde λυτῶν, ἀπλῶς, &

nomina inde deducta, esse à λύω *solvere*, quod proprie διαμῶν seu vinculis, quæ non nisi captivis adhibentur, opponitur, nec nisi improprie ad liberationem ab aliis incommodis transfertur. Quin etiam cum λύω inter alias significationes hanc quoque habeat*, ut denotet Captivum redimere, ab hac λυτῶν proprie fluxisse viri docti volunt. Quare λυτῶν proprie erit pretium, quod pro captivo dependitur detinenti, ad illum liberandum, & ἀπλῶς liberatio, quæ inde consequitur; nec nisi improprie sumetur pro liberatione ab infamia, exilio, & similibus incommodis, quæ definitione sua Grotius comprehendit. Quamquam & eo nomine Grotiana definitio in Logicorum reprehensionem non immerito incurreret, quod in ea λυτῶν definiti conjugatum posuit, quod ipsum quoque nunc proprie nunc improprie accipitur, ut postea patebit: cum tamen eam ob causam ἀπλῶς fuerit ab ipso definita, ut eam vocem ab improprietate, & quæ inde nascitur, ambiguitate prorsus liberaret. Quod si vox λυτῶν proprie, ut quidem in definitionibus fieri solere infra urget Grotius, accipiat, eadem re ipsa erit definitio Grotii, quæ Socini, & æque angusta: cum modo docuerimus, λυτῶν proprie id esse pretium, quod ad aliquem à captivitate liberandum detinenti dependitur; adeoque frustra Socino de significatione propria hujus vocis litem motam apparebit.

Quod ad exemplum ex Virgilio depromptum atinet, quod ad illustrandam ἀπλῶς proprie dictæ definitionem affertur Partic. 9; non constat primo, verbum Redimendi ab eo proprie usurpatum, cum Poëtæ impropriis loquutionibus gaudeant, & huius verbi translatio frequentissima sit, eoque loco eleganter, retenta Socini definitione usurpari potuerit. Pollux enim fratrem à malo, quod captivitati respondet, liberavit, & quidem impendio interveniente, quod λυτῶν est ἀνὰ λυτῶν. Nihil sane à Poëtæ mente alienum dixeris, si statuas, illum omnino eo respexisse, quod Castor in inferni claustris tanquam carcere aliquo fuerit detentus, quem Pollux subinde, fratrem inde liberaturus, subierit. Quare ex hoc exemplo non patebit, redemptionem proprie dictam, liberationem non tantum à captivitate, sed etiam ab aliis incommodis significare. Plura dici possent, si fabulas persequi placeret. Sed præterea non eadem est ratio Latinæ & Græcæ vocis, ad quam Socinus, imo & ipse Grotius, magis in Redemptione definienda respexit, ut ex ejus verbis patet. Vox enim Græca, origine inspecta, ad vincula & captivitatem respicit: vox Redimendi, si originem spectes, nihil tale habet, adeoque latius natura sua patet, quam vox ἀπλῶς; & hæcenus exactius respondere videtur verbo ἀνὰ λυτῶν vel ἐξ ἀνὰ λυτῶν, quo interdum in eodem hoc negotio utuntur Sacri Scriptores. Quare cum hac ipsa in re, de qua controversiam hic movet Socino Grotius, sit aliqua inter Latinam & Græcam vocem differentia, ex Latina voce controversia illa de vi Græcæ vocis decidi non potest.

Pergit Grotius Partic. 10: *Improprie ἀπλῶς & redemptio qualemunque liberationem significat, etiam cum λυτῶν non intercedit. Sed ut Socinus fatetur, & jura*

* Vid. Thef. Gr. Lingua H. Steph.

nos docent, non est nisi gravibus de causis recedendum à verborum proprietate. In dubio ergo ἀπολύτρωσις intelligenda est fieri λύτρεω intercedente. Sed nunc ne dubitandi quidem est locus, cum Scriptura ipsum λύτρεω aperte nominet. Venit enim filius hominis dare animam suam λύτρεω pro multis Matth. 20. 28. Marc. 10. 45, cum quibus locis illi conjungendi sunt, qui per mortem, aut in sanguine factam testantur redemptionem, ut Hebr. cap. 9. 12.

Atqui Socinus gravissimis de causis, quæ ex superioribus capitibus potissimum patent, & in progressu à nobis afferentur, à proprietate vocis ἀπολύτρωσις hic discedendum esse docuit: adeoque significatio hujus vocis dubia censenda non est. Deinde regula illa, quæ asserit, non nisi gravibus de causis recedendum esse à verborum proprietate, hic locum habere non videtur, nec in iis omnibus vocibus, quarum significatio impropria longe frequentior est quam propria, præsertim apud eos ipsos Scriptores, de quorum verbis agitur; nisi forte hæc ipsa sit gravis censenda est causa, ob quam à proprietate videatur esse discedendum. Ideo enim in re dubia, propria potius videtur sequenda significatio, quam impropria, quod verisimilius sit proprie loquutum fuisse auctorem, quam improprie. At si longe frequentior sit improprie alicujus vocabuli usus apud aliquem auctorem, quam proprius, cessat illa ratio, & contrarium potius videtur esse statuendum, atque ei, qui propriam significationem omnino urget, ratio aliqua afferenda, cur improprie respuat, quæ adeo isti auctori sit familiaris. Id vero in voce Redimendi apud Sacros Scriptores accidere, abunde docuit Socinus, qui ex infinita exemplorum, quæ in Vet. Test. Scriptis occurrit, copia hæc, quæ de cæteris admonere possunt, attulit. Exod. 15. 13. Deut. 7. 8. 19. 26. xii. 5. xxi. 8. 2 Sam. 7. 23. Nehem. 1. 10. Psal. 77. 16. Esai. 29. 22. Psal. 31. 6. Psal. 111. 9. Ex Novo omnia, quæ inter nos in hoc negotio non sunt controversa, quorum nonnulla de Redemptione per Christum loquuntur Luc. 2. 38. xxi. 28. xxiv. 21. Actor. 7. 35. Rom. 8. 23. Ephes. 4. 30. Hebr. xi. 35, præter illa similia, ubi est vox ἡγοράζειν Ephes. 5. 16. Col. 4. 5. Hoc idem illustrat significatione vocis contrariæ, quæ est Vendere Deut. 32. 30. Judic. 3. 8. ij. 14, & cap. 4. initio. Esai. 50. 1. Rom. 7. 14. Quod vero Grotius ait, hic de significationis proprietate dubitandi locum non esse, quia Scriptura λύτρεω aperte nominet, id vim aliquam haberet, si jam constaret, λύτρεω vocem proprie hic sumendam, quod æque est controversum atque id, quod probandum sibi sumsit Grotius.

Sed huic responsioni occurrit Grotius Partic. II: *Hi loci, inquit, cum valide Socino refragarentur, nihil aliud comminisci potuit, quam ut diceret λύτρεω sive pretium hic dici improprie. Proprie autem dictum λύτρεω seu pretium definit, id quod à detinente accipitur. Hic primum id quod modo diximus repetendum est, non debere deserui proprietatem, nisi res urgeat. At causas comminiscende improprietatis Socinus si quas attulit; eas à nobis cap. 4, 5, 6 solutas confidimus.*

An causas, ob quas Socinus improprie λύτρεω vocem accipiat, supra dissolverit Grotius, ex iis, quæ ibi reposuimus, æstimet lector. Perspiciet autem,

ut arbitror, graviores fuisse, quam ut eas loco movere potuerit Grotius. Λύτρεω vero proprie dictum non iis, quibus Grotius hic utitur, definivit Socinus, sed his descripsit verbis lib. 2. cap. 1: *Verum pretium voco non pecuniam tantum, sed quicquid, ut ei satisfiat, captivum detinet, datur. Dandi autem verbo Socinus omne impendium omnemque præstationem, etiam eam, quæ opere fit aliquo seu facto, comprehendit. Unde Grotius infra ex his verbis colligit, sibi in eo cum Socino non disconvenire, quod λύτρεω proprie dictum definierit, factum autem rem. Quo tamen loco mox Socinum reprehendit, quod velit λύτρεω proprie dictum omnino ab aliquo accipi, & non obscure indicat, accipiendi verbum ab eo in definitione λύτρεω esse positum, cum tamen id factis aptari non possit, sed rebus solis. Atqui vel idem de verbo dandi, quo Socinus utitur, adjecta præsertim mentione satisfactionis, est dicendum, & sic male Grotius ex his Socini verbis colligit, etiam factum posse ex ipsius mente λύτρεω proprie dictum esse; vel si latius patere putat dandi verbum quam accipiendi, male hoc pro illo in definitione Socini reposuit. Non debuit autem satisfactionis mentio in Socini definitione prætermitti à Grotio. Λύτρεω vero istud seu pretium, quod Christus pro nobis impendit, improprie sumendum esse hinc constat, quod alias necesse fuisset, pretium istud alicui pro nobis solvi, & quidem ei, qui nos captivos tenebat. Is vero non Deus est, cui satisfactum, atque adeo solutionem liberationis nostræ causa præstitam adversarii volunt, sed salutis nostræ hostes, quos Scriptura Peccati nomine complecti solet, cui ut venditi dicimur fuisse Rom. 7. 14, ita etiam ab eo redempti Tit. 2. 14. 1 Petr. 1. 18, semel etiam Judæi ab execratione legis, quæ consequens peccati est, dicuntur emti vel redempti Gal. 3. 13. Deum non esse eum, qui captivos nos tenuerit, & cui pretium ad nos liberandos fuerit persolutum, inde perspicuum est, quod ipsemet redemptionem hanc fecerit ac procurarit, & pretium illud, quod pro nobis datum est, impenderit. Vide Luc. 1. 68, quem confer cum Psal. 111. 9. Joh. 3. 16. Rom. 8. 32. At pretium non illi solvitur, qui id ipsemet impendit, quique redemptionem facit ac procurat, sed ab eo alteri. Consentit his illud, quod nos Deo ipsi Christi sanguine emtos, & sic mancipia ejus effectos Sac. Literæ testantur Apoc. 5. 9. xiv. 6, quibus adde Act. 20. 28. 1 Cor. 6. ult. vij. 22, 23; 2 Petr. 2. 1. Jud. 4. Pretium vero non persolvitur ei, cui res pretio isto emitur atque acquiritur, & cujus usibus aut servitio addicitur, sed ei, in cujus ea manibus antea fuerat. Itaque si proprie dictum pretium ad nos liberandos intervenisse velis, necesse est, ut nostris Deique hostibus, qui nos antea captivos detinebant, & durissima servitute premebant, id persolutum dicas. Qua de causa, ut supra * vidimus, Patres nonnulli, cum nulum aliud reperirent, cui pretium id solum fucrit, diabolo id solum dixerunt: quorum sententia jam dudum est explosa. Quo accedit, quod duobus illis in locis Tit. 2. 14. 1 Petr. 1. 18, in quibus verbum λυτρεω ad homines ipsos expresse refertur, & de redemptione per mortem Christi, quæ pretii ejus-*

* Cap. 6, partic. 38.

dam locum habeat. sermo est, agitur de liberatione nostri è servitute ipsius peccati, ut superius est ostensum. At Deo nullum fuit persolvendum pretium, aut quicquam eum in finem præstandum, quo permoveretur ad nos ex ea servitute liberandos: cum is nos in ea nequaquam detineret, sed potius id unice desideraret, ut ea excussa, ipsius servitio nos manciparemus. Diabolus is erat, qui nos in ea detinebat, ita ut, si quis pretio dato fuisset movendus ad nos è captivitate illa dimittendos, ei id pretium fuisset præstandum. Sed nec redemptio illa, quæ est liberatio à peccatorum pœnis, per Christi sanguinem facta, pretium aliquod verum Deo persolutum, aut satisfactionem ipsi præstitam, vel arguit, vel admittit. Ea enim exponitur à Paulo per Remissionem peccatorum Ephes. 1. 7. Col. 1. 14, hæc vero, ut Calvinum alibi monuimus scripsisse, meræ liberalitatis donum est, & tum demum fit, cum creditor nulla solutione ultro sua beneficentia nomen expungit. Quod etiam satis expressit Apostolus, dum in priori loco addit, nos habere illam redemptionem *secundum divitias gratiæ Dei*

Pergit Grotius Partic. 12: *Mosis cum Christo instituta collatio, responsione vix indiget, cum omnis similitudo certos habeat terminos, quos extra protendi nequeat. Comparantur illi, qua liberatores, non ob liberandi modum.*

Similitudinem omnem certos habere terminos, extra quos protendi nequeat, Socinus norat, nec contra legem hanc comparisonum quicquam hic deliquit. Nam comparisonem inter Christum & Moysen, qui *dux* dicitur, quemque ratione Redemptionis Christi typum fuisse nemo ignorat, ita instituit, ut iis positis, quæ omnes concedere coguntur, illud deinde inferat, de quo est controversia, & in quo Christum cum Moysen convenire non omnes agnoscunt. Nam posito eo, quod, quemadmodum Moyses Dei jussu & auctoritate populum Israëliticum redemit, ita Christus Dei jussu & auctoritate nos redemit: quemadmodum Moyses populum Israëliticum non redemit ex manibus Dei, ejusve servitute, sed ex servitute Ægyptiaca, & de manu Pharaonis: ita Christus non ex servitute Dei, sed ex servitute peccati & mortis: quemadmodum Moyses populum Israëliticum Deo asseruit, & ut ipsius cultui in posterum vacaret effecit: ita Christus etiam Deo nos emit ac vindicavit, & ut ei serviremus effecit. Vid. Exod. 6. 6: his, nquam, positis, necesse est, ut etiam concedas, quemadmodum nullum pretium Moyses Deo solvit, nec ei ullo pacto satisfecit, ita nec Christum id fecisse: cum, ut antea diximus, non ei, cujus jussu & auctoritate fit redemptio, & cui is, qui redimitur, hac ratione vindicatur, sed ei, è cujus manibus quispiam redimitur, pretium sit solvendum. Possunt ergo Christus & Moyses hæcenus, etiam quo ad modum liberandi inter se jure optimo conferri. Nec ullum robur habet, quod subjicit Grotius: *neque magis ex eo sequitur, Christum satisfaciendo nos non liberasse, quia Moyses id non fecerit, quam Christum nos liberasse per hominum mortem, qua id fecerit Moyses.* Non est enim horum par ratio. Nam cæteræ comparisonis partes, quæ sunt in confesso, non cogunt statueri, Christum nos liberasse

per hominum mortem, quemadmodum fecit Moyses: sed quod in eo convenient Moses & Christus, quod neuter Deo vere satisfecerit, neuter verum pretium solverit, cæteræ similitudinis partes, quæ sunt manifestæ, demonstrant. Quanquam etiam internecioni isti hominum, per Moysen factæ aliquid in redemptione nostra per analogiam respondet; (nam ut idem prorsus fecerit Redemptor noster, quod Moyses, similitudo non exigit:) quia quemadmodum Moyses populum ex servitute Ægyptiaca & de manu Pharaonis redemit, ipso Pharaone ejusque copiis divina virtute, quæ ipsius opera interveniente exerta est, deletis: ita Christus nos ex hostium nostrorum spiritualium manibus redimit, hostibus illis divina virtute extinctis Rom. 6. 6. Quia vero ejus rei complementum fiet in supremi judicii die 1 Cor. 15. 24, 25, 26, ubi ultimus & deterrimus Christianorum hostis mors delebitur, & is qui mortis habet imperium, hoc est diabolus Hebr. 2. 14, 15, ideo dies ille, dies redemptionis est, & ita appellatur Eph. 1. 14. iv. 30: adde Luc. 21. 28. Rom. 8. 21, 23.

Nec illud validius est, quod addit Grotius Partic. 13: *Quod si ad modum pertineret comparatio, ut rectius procederet, dicendum esset, Christum nos liberasse miraculis, ut Moyses, non autem morte nec sanguine, quod Moysi non adscribitur, nec adscribi potest.* Neque enim necesse est, si aliqua ex parte, quod ad modum attinet, Christo cum Moysen similitudo intercedit, protinus in omnibus, quæ ad modum liberandi pertinent, similitudinem inter utrumque intercedere. Cur autem ea in parte, qua nos volumus, recte procedat comparatio, causa jam ostensa est. Adde, quod etiam miraculorum ratione, si modo comparatio recte instituat, intercedat Christo cum Moysen in redemptionis negotio similitudo. Nam miraculis Moysi, quatenus in eum finem fuerunt edita, ut agnoscerent Israëlitarum, ipsum sibi datum à Deo ducem, qui se ex servitute durissima in libertatem assereret, quod nisi factum esset, eum sequuti non fuissent, adeoque re ipsa non fuisset liberati, iis, inquam, respondent Christi miracula, quæ sive per seipsum, sive per Apostolos edidit, ad demonstrandum, se à Deo missum, & datum nobis ducem, qui nos ex omnium hostium manibus sit erepturus, quod nisi crederemus, eum non sequeremur ducem, neque adeo liberatio nostra re ipsa consequeretur. Iis vero miraculis, quibus hostes Israëlitarum, Pharaon & ejus populus, non modo attriti & fracti, sed etiam deleti fuerunt, unde perfecta populi divini liberatio consequuta est, respondent ea Christi opera, quæ is ad dextram Dei sedens facit, & porro facturus est, præsertim in adventu suo, ad hostes nostros non modo frangendos, sed etiam penitus in nobis delendos, qua in re perfectio liberationis & redemptionis nostræ consistit, ut paulo ante dictum. Quia vero Christus partim ad fidem nobis inferendam, nosque permovendos, ut ipsum sequamur ducem, quod ex nostra parte ad redemptionem perficiendam requiritur; partim vero ad jus liberationis à pœnis nobis pariendum; partim denique ad divinam potestatem adipiscendam, qua ipsi fuit opus ad hostes nostros penitus delendos, & nos perfecte liberandos, seipsum animamve suam impendit; ideo eleganter

dicatur seipsum vel animam suam pro nobis dedisse *λύτρε* seu redemptionis pretium. Nam quemadmodum pretio impenso captivus liberatur: ita nos Christo in mortem dato liberati sumus ex hostium nostrorum potestate. Moses nihil tale fecit, nec ut faceret, opus fuit: cum id haudquaquam requireret ratio liberationis ex servitute corporali, secus atque in spiritali nostra redemptione contingit. Atque hæc est causa, cur vox *λύτρε* liberationi per Christum partæ additur à Scriptura, liberationi per Moysen partæ nusquam, quod hic Grotius objicit: non vero, ut ipse arbitratur, quod vox *λύτρε*, atque adeo etiam *ἀντὶ λύτρεως*, proprie in liberationis per Christum partæ negotio accipiatur. Nam si quidquam fuisset à Moysen impensum, quod *λύτρε* ita commode responderet, atque responderet, id quod à Christo est ad nos liberandos impensum, posset Scriptura vocem *λύτρε* Moysi accommodare non minus, quam vocem *λύτρεως*, quam ob similitudinem tantum, quæ ei cum proprie dicto redemptore intercedit, ad eum transfert.

Quod addit Partic. 14: *Quid quod ne ex Socini quidem sententia modus liberandi idem est? Nam Moses, Josue & alii liberarunt, non aliquid faciendo circa liberandos (quod Christo Socinus tribuit) sed amovendo eos qui libertati obstabant, hostes scilicet; id primum nihil adversus Socinum. Neque enim usquam simpliciter asserit, modum liberandi esse eundem: sed in re certa convenire. Deinde Moses, ut paulo ante vidimus, non parum circa ipsos liberandos fecit, dum eis, miraculis editis persuasit, se ad ipsos è servitute liberandos missum, quod nisi fecisset, eum sequuti non fuissent, & sic nec redempti. Vide Exod. 4. ab initio per non paucos versiculos, & ad finem capitis. Quamquam res alias satis est manifesta. Adde quod Christus ex Socini sententia non eatenus tantum, ut Grotius credere videtur, vel etiam potissimum nos redimit, quatenus nos impellit ad id faciendum, quod ex parte nostra ad liberationem esse necessarium: sed eatenus potissimum, quatenus hic quidem spe certa liberationem illam nobis impertit, aliquando autem, deletis omnibus hostibus nostris, re ipsa præstabit. Itaque non minus quam Moses hostes libertati nostræ obstantes amovet. Quamquam eatenus etiam aliqua ex parte hostes illos amovet, quatenus nos ad id, quod ex parte nostra ad liberationem perficiendam requiritur, impellit. Non recte autem Grotius Josuam cum Moysen ratione liberationis conjunxit, & sic Christo opposuit. Moysi enim, qui *λυτρωτής* dictus est, eæ partes tribuuntur: Josuæ vero, quod populum in terræ promissæ possessionem miserit atque introduxerit. Itaque Christo, quatenus nos redimit, & è servitute hostium nostrorum liberat, Moyses proprie respondet; Josue vero eatenus, quatenus nos in futuræ terræ possessionem mittet, & ejus hæreditatem nobis distribuet.*

Concludit Grotius Partic. 15: *Retinendam hic τὴν κυριολογίαν definitione tamen Socini nonnihil correctâ: ut proprie sit λύτρε res aut factum, quo movetur quispiam, ut aliquem incommodo alioqui affecturus, eo liberari patiatur.*

An κυριολογία sit retinenda, ex dictis constat. Definitio Grotii æquo laxior est, duplici de causa. Pri-

mo quod statuit, *λύτρε* proprie etiam ibi habere locum, ubi nulla est captivitas, de quo & ante dictum, & mox iterum erit agendum. Deinde quod non omne factum, quo quis movetur, ut aliquem incommodo alioqui affecturus, eo liberari patiatur, *λύτρε* proprie dictum est, sed id demum, quod detinenti præstatur, ut ei satisfiat. Potest enim quispiam ad alterum incommodo, quo eum affecturus erat, liberandum moveri precibus, lachrymis, pœnitentia, blanditiis, minis, jussu superioris, aliisque similibus, quæ nemo *λύτρε* proprie dici concesserit. An enim cum Moyses, aut Deus per Moysen, Pharaonem movit miraculis editis, ut dimitteret populum, *λύτρε* seu redemptionis pretium proprie dictum solvit, & Pharaoni satisfecit? aut si Moyses precibus suis Deum movit, ut à Pharaone ipso plagas quasdam, quas ei inflixerat, averteret, *λύτρε* verum pro eo persolvit? aut pro populo Israëlítico, cum eundem eadem ratione movit, ne populum funditus deleteret? aut cum Deus per Angelum præcepit Abrahamo, ne filium, quem jam jam mactaturus erat, interimeret, *λύτρε* jubendo persolvit? Quod si tam late *λύτρε* vocem extendit Grotius, concedatur sane, Christum proprie dictum *λύτρε* solvisse: quid hoc ad satisfactionem veram, quam *λύτρε* & *ἀντὶ λύτρεως* voce adstrui putat? an idem est movere aliquem ad liberandum alterum ab incommodo, quo illum fuerat affecturus, & eidem vere satisfacere? certe Grotius hæc ipse superius distinxit, cum asseruit, *redimere crimina non tantum significare causam moventem ad liberandum, sed talem etiam, quæ compensationem aut satisfactionem includat.* Socinus etiam longe aliud satisfactionis nomine intellexit. At de re ipsa, non de voce est controversia. Sed etiam si tandem definitio Grotii admittatur, demonstrari tamen non potest, Christum *λύτρε* proprie dictum persolvisse, nisi vox *movendi* in ea significatione accipiatur, in qua Socinus etiam concederet, Deum à Christo motum ad remissionem peccatorum concedendam: quod si fiat, de verbis non de re Grotius Socino litem movebit, & hac in parte deseret cæteros, ni fallor, omnes, qui satisfactionem Christi ex Redemptione ipsi adscripta concludunt. Quamquam eos in hac *λύτρε* descriptione jam deseruisse consensum est, etiam si vocem *movendi* strictius accipiat.

Reprehendit Grotius Partic. 16. Socinum de novo, quod immerito *λύτρε* ad solam captivitatem restringat, cum & servituti, & exilio, & morti, & omni incommodo, à quo liberari possumus, ea vox conveniat. Nam & origo, inquit, *λύω* scilicet, ad eas quoque pertinet, & communis usus non refragatur.

Socinus non quodvis *λύτρε*, sed proprie dictum ad captivitatem restringit: improprie fatetur etiam aliis incommodorum generibus accommodari, & tanto quidem elegantius ac frequentius, quo ea captivitas sunt viciniora, qualis est servitus, quæ ad ergastula & vincula sæpe progreditur. Idem de origine vocis, *λύω* solvo, dicimus. Quis enim nescit, hoc verbum liberationi ab exilio, morte, infamia improprie accommodari? Quomodo ergo exinde, quod *λύω* istis rebus accommodetur, probari potest, *λύτρε* inde ductum ad eas proprie pertinere? Sed quia captivis generatim loquendo vincula proprie dicta solent adhi-

beri, & licet nonnunquam ea corpori admota non sint, ita tamen ii attinentur, ut soluti non intelligantur: qua ratione dicit Cajus (a) ne eum quidem solum intelligi, qui in publico sine vinculis servatur: adeo verbum *λύει*, captivis peculiariter & magis proprie accommodatur. Hinc Actor. 24. 26. *λύει*, est à captivitate dimittere: eodem modo *λύει* Luc. 23. 16, 17, 20, 22, 25. interdum etiam ex captivitate redimere; quam significationem etiam *λύει* habere, atque inde *λύει* deductum esse ex virorum doctorum sententia jam supra monuimus. Quare origine vocis inspecta constat, *λύει*, & *λυτρώω* ad captivitatem proprie restringi debere. Hinc factum est ut, cum Aristoteles lib. 5. Ethic. cap. 6. *λυτρώω*, simpliciter posuisset, interpretes, quos videre contigit, omnes id de redemptione ex captivitate acceperint, licet is alibi (b) vocem *captivi* apponat. Idem apud Latinos auctores deprehendere licet in verbo Redimendi, qui etiam tunc, cum eo figurate utuntur, ad captivitatem libenter alludunt, licet verbum Græcum ratione originis suæ magis quam Latinum ad captivitatem respiciat, ut antea diximus.

Quæ de voce accipiendi subjicit Grotius Partic. 17, qua Socinus in sua pretii definitione non utitur, sed alibi de hoc redemptionis nostræ negotio differens; ea tam late hic est extendenda, quam late antea extendimus verbum *dandi*, illius, ut loquuntur, correlatum, ita ut ad facta quoque accommodetur in alterius utilitatem suscepta ac præstita, & sic solutionis ac satisfactionis vim habentia. Quamquam cum *λύει* proprie dicta longe frequentius, atque ut plurimum, non facta, sed res corporales, quæ dari & accipi proprie possunt, esse soleant, v. g. pecuniæ, seu, ut est apud Petrum 1 Petr. 1. 18. aurum & argentum: ideo ut tanto elegantior sit ista redemptionis metaphora, Sacræ Literæ non factum aliquod, v. g. mortem Christi, aut sanguinis fusionem, sed rem, h. e. Christum ipsum pro nobis traditum, aut animam ipsius, aut sanguinem *λύει* pretiumve nominant, vel cum eo comparant.

Quæ de pœna hic disputat Partic. 18, ea cap. 2. examinavimus. Zaleuci oculum, & eos, qui in decimatione puniuntur, *λύει* esse proprie dicta, ostendere debuit Grotius: improprie ita dici posse non diffitemur. Ex his autem duobus exemplis perspicitur, id etiam *λύει* recte dici posse, quod eum, qui alterum incommodum fuerat affecturus, revera non moveat, ut eum incommodo isto liberari patiat, adeoque ex eo, quod Christus *λύει* pro nobis dedit, haudquam consequi, eum vere movisse Deum ad nos liberandos. An enim Zaleucus oculo sibi ipsi eruto seipsum movit, ut filium eo incommodo, quo eum erat affecturus, liberari pateretur, & non potius, tum amore in filium, tum populi precibus jam permotus, ut eum liberari vellet ac decerneret, oculum sibi excussit, ut tanto commodius, quemadmodum ipsi videbatur, eum liberare posset? Causa quidem media, & veluti conditio quædam istius liberationis fuit Zaleuci factum, sed non causa, quæ vere ac proprie eum ad liberandum filium impelleret. Idem de altero exemplo dicimus. Neque enim quod decimus quisque puniretur, id revera movit Imperato-

rem ut cæteros liberari pateretur: sed quia Imperator majori parti parcere jam decreverat, ut nihilominus metus ad omnes perveniret, nec prorsus impunitum esset facinus, cæterique tanto facilius dimitti possent, in paucos animadvertit. Quare decimatio illa fuit quidem causa media liberationis, sed non causa impellens ac movens, in eam significationem movendi verbo accepto, in quam Socinus accipit, cum Deum morte Christi ad nos à pœna liberandos motum negat.

An Lustrum à *λύει* dictum sit, quod hic etiam urget Grotius Partic. 19, de eo non contendemus. Hoc quærimus, unde constet, Latinos, cum verbum Græcum suum facerent, propriam ejus significationem fuisse sequutos, & in lingua sua retinuisse. Qui enim factum est, quod, cum vox Græca usitate, ut Grotius haud negat, & maxime proprie, sumatur pro pretio, quod pro captivo penditur, & *λυτρώω* pro liberare ex captivitate pretio dato, vox *lustris* & *lustrandi* apud Latinos nunquam de hac liberatione, & pretio, quod in eum finem penditur, usurpetur, cum interim de rebus cum *λύει* nihil commune habentibus sumatur? nam *lustrare* Latinis etiam spectare significat: & *lustra* præter alia ferarum speluncas designant. An non inde patet, de significatione vocis Græcæ, præsertim propria, nihil certi ex usitata vocis Latinæ significatione colligi posse? Quod si eadem est vocis Latinæ & Græcæ ratio, cur apud Græcos etiam vox *λύει* & *λυτρώω*, non ita frequenter de expiationibus usurpatur, quemadmodum vox *lustris* aut *lustrandi* apud Latinos? aut si ita frequenter usurpatur (quod tamen apud profanos Scriptores raro fieri crediderim, si modo sit usquam) cur ea loca non attulit potius Grotius, quam Latinorum testimonia; cum exinde longe certius de propria ejus vocis significatione judicari posset? Sed præterea non constat, lustrationem apud Latinos sua vi significare liberationem per pœnam succedaneam, h. e. pœnam rei aut personæ in locum nocentis substitutæ. Lustratio enim sæpe fiebat iis rationibus, quæ cum pœna nihil commune habebant. Nam, ut testatur Alexander ab Alexand. * tres istæ lustrandi atque expiandi species veteribus fuerunt usu frequentes, ut aut tæda & sulphure purgarentur, aut aqua abluerentur, aut aëre ventilarentur. Ipse Grotius supra produxit exemplum Orestis, qui *λυτρώω* seu ablutionibus delictum suum expurgavit, ut testantur versus Sophoclis ab eo citati. Idem exemplum produxit Alexander ab Alexand. de istis lustrationum generibus agens. Infra cap. 10. ejusmodi lustrationis genus ex Ovidio commemorat Grotius, quod carmine novies repetito fiebat. Qui velit, videat etiam Casaubonum ad Persium, ubi de lustricis infantium diebus prolixè agit. Quod ergo sæpe veteres lustrarent victimis cælis, quas Grotius punitas arbitratur, id non docet, hanc esse propriam vocis *lustrandi* significationem, seu hoc verbum sua vi significare liberationem à pœna per pœnam succedaneam: sed ejus significationem tam late patere, ut hanc etiam liberandi rationem, quæ fiat per pœnam succedaneam, complectatur, quod fiet, si lustrare accipias pro expurgare ac liberare à delicti

(a) D. De verb. signif. Lib. 48. (b) Ethic. 9. cap. 2.

* Genial. diæ. lib. 5. cap. 27.

pœna, aut contaminatione aliqua. Tacēo nunc, quod nihil constet, an à Veteribus creditum fuerit, victimas proprie loquendo punitas, & eam ipsam ob causam vim liberandi & expiandi habuisse. Fieri enim poterat, ut ideo vim expiandi habere crederentur, quod in honorem Deorum à reo ac supplice mactarentur atque offerrentur. Quamquam quia ob alienum delictum necabantur, & simile quippiam patiebantur ei, quod nocens ipse perpeti merebatur, pœnæ vox huc non ineleganter, sed figurate transferri poterat. Quod etiam de victimis legalibus dici potest, & simili metaphora nos quoque Christum pro nobis punitum agnoscimus.

Partic. 20. Lustrare & placare numen eadem non sunt ratione significationis, licet ex paganorum sententia potuerint esse conjuncta. Nam Scholiastes, quem citat Grotius, dixit *lustrare civitatem*: at non dicimus *placare civitatem*, sed *numen*, ut Cæsar dixerat. Nempe quia *lustrare* est expurgare & liberare, quod de civitate recte dicitur. *ἱλασμός* & *λύτρον*, præfertim improprie dictum, concurrere possunt, sed vis verborum diversa est. Quod *λύτρωσις* & *κατάρασις* Hebr. 9. Pro eodem ponantur, id pro Socino facit: cum verbum *κατάρασις* nihil sit aliud, quam expiare, expurgare à reatu, vel contaminatione aliqua, quod nullum verum pretium, nullam satisfactionem arguit.

Pergit Grotius Partic. 21: *Neque vero ex eo tantum inferitur, λύτρον in hoc argumento sumendum proprie, quia nulla efficax ratio nos cogit ad improprietatem descendere, sed hinc etiam multo magis, quod neque ex profano, neque ex Sacro Scriptore locus ullus profertur, in quo λύτρον significatio extra descriptionem à nobis positam porrigatur. Ex Græco locum nullum profert Socinus, ex Hebræo unum duntaxat Prov. 13. 8. in quo est Copher. Sed præterquam quod latius potest patere Copher quam λύτρον, quia λύτρον est à λύειν, quod liberare significat, cum Caphar ut supra diximus, verbum sit καλύπτω, non potest ullo argumento probari isto in loco voce Copher aliud designari quam id quod nociturum movere potest ne noceat, sive ille potentiam & affectum nocendi tantum habeat, sive insuper jus etiam & potestatem.*

Rationes efficaces, quæ cogant ad improprietatem λύτρον descendere, nos antea attulimus, nec afferre neglexit Socinus. Ostendimus etiam ex illis exemplis, quæ ipse Grotius paulo ante attulit, λύτρον significationem extra descriptionem ipsius, si modo ex ea quicquam Socini sententiæ adversum colligi potest, extendi. Socini exemplum, non tam ex Hebræo, quam ex Græco petatum cenferi debet, cum Græci interpretes vocem Hebræam Copher λύτρον verterint, Latini *redemptionis pretium*. Quamquam etiamsi Hebræam tantum vocem urssisset Socinus, non tamen exemplum ad id, quod probandum sibi sumperat, esset inefficax, modo constet, vocem Hebræam hoc loco eam habere significationem, quæ voce λύτρον apud Græcos recte possit efferri: eam autem significationem habere, ipse Grotius fatetur. Quare nihil ad rem facit, quod vox Hebræa sit καλύπτω, & latius patere possit: modo hic latius non pateat, & voce λύτρον recte vertatur, ut à Græcis factum est. Etiamsi autem vox Hebræa, adeoque

etiam λύτρον, quod illi hoc loco in Græco respondet, significet tale quid, quod nociturum movere potest ne noceat, non tamen inde sequitur, proprie hic accipi λύτρον, & satisfactionem veram significare, quam solam ob causam Socinus hunc locum protulit. Quamquam probatio Grotii, quam subjicit, infirma est: *Simile enim est, inquit, Salomonis istud: Copher, aut si ita placet, λύτρον viri sunt divitiæ ejus; isti sententiæ apud Jobum cap. 2. 14. quicquid habet aliquis, id pro vita sua daturus est. Est enim hic inter cetera divitiarum usus, quod multorum iram aut justam aut injustam possunt placare, atque ita noxam imminentem avertere: juxta illud, Munera crede mihi PLACANT hominesque Deosque. Ac plane est in ista gnoma commodorum, quæ secum fert utraque fortuna, elegans comparatio: Dives habet quo placet iratum: Pauper iræ alienæ minus est obnoxius. Neque enim divitiæ hoc loco considerantur, quatenus alicui dantur ad eum placandum, quemadmodum Grotius arbitratur, sed quatenus earum opinio terret alios, ne nocere velint. Ratio enim redditur ejus, quod superiori versiculo dictum est, quosdam, cum pauperes sint, divites se simulare. Ratio vero non est: quia divites habeant, quo placent iratum, (quid enim hoc prodest iis, qui reipsa sunt pauperes, licet divites se simulent?) sed quod opinio hæc divitiarum efficere possit apud alios, ne illis nocere velint. Non enim facile audemus eos, quos divites esse arbitramur, offendere. Ex quo apparet, λύτρον hic in eum sensum accipi, qui nullam satisfactionem arguat. Quid enim opinio divitiarum, quæ efficit, ne quis alteri noceat, ad satisfactionem? plura de sensu hujus loci dixit Socinus lib. 2. cap. 2. ubi ostendit, etiam ea, quam Grotius vult, explicatione admissa, λύτρον hic proprie non accipi.*

Pergit Grotius Partic. 22: *Quod si maxime verum esset λύτρον accipi posse pro qualicunque impendio, etiam quo ad liberandum nemo moveatur (quod nullo exemplo probatum est) tamen vox ἀντὶ λύτρον, qua Paulus utitur 1 Tim. 2. 6. significantior est, quam ut tam frigidam interpretationem admittat. Vox enim ἀντὶ, in compositione aut contrarietatem, aut commutationem significat. Hic contrarietas locum non habet: significatur ergo compensatio.*

An frigida sit interpretatio vocis ἀντὶ λύτρον, cum sumitur pro impendio, quo interveniente non secus quispiam è captivitate ac servitute spiritali liberatur, atque pretio dato liberari solent ii, qui proprie sunt captivi; eruditus lector judicet. An forte frigide loquutus Grotius videtur Otho apud Tacitum, * dum affatus milites, extrema pro ipso pati & cum hoste congredi paratos: *Hunc, inquit, animum, hanc virtutem vestram ultra periculis obicere, nimis grande vitæ meæ pretium puto. Grande vitæ suæ pretium dixit, non quod alicui pro vita ipsius dare ac perolvere vellent milites, nec quod ad aliquem placandum, ac ne nocere vellet, movendum esset comparatum: sed quod ad vitam ejus periculo ac morti eripiendum pertineret, idque ea ratione, quod hostes periculo militum proligari possent. At eadem est hac in parte Pretii ratio quæ ἀντὶ λύτρον imo ideo ἀντὶ λύτρον movendi aut satisfaciendi vim habet, quia pretium*

* Lib. 2. Histor.

quoddam est: Unde quod Christus *λύτρον* dixit, id Paulus *λυτρω* seu pretium vocavit 1 Cor. 6. 20. & 7. 23. & in verbis Othonis istud vitæ pretium non male *λύτρον* voce reddideris. Quæ ergo frigidum censeatur, si quis dicat, Christum pro nobis *λύτρον*, & grande vitæ nostræ pretium dedisse, cum, ut nos ab æterna morte liberaret, animam suam impendit, & diram mortem adiit? cum vel id solum, quod virtus alicujus periculis obijciatur pro altero, possit alienæ vitæ pretium eleganter dici. Quoad argumentationem Grotii ex particula *ἀντί* atinet, in ea terminos aperte mutat. Nam cum in præmissis *commutationis* fecisset mentionem, in conclusione *compensationem* reponit. At non omnis commutatio compensatio est, compensatio, inquam, vera, seu satisfactio, quam Grotius intelligit. Nam, ut in exemplo proposito maneamus, si milites periissent, Othone, qui perire debebat, salvo remanente, commutatio hic quædam fuisset, & milites illi potuissent dici Othonis *ἀντίλυτρον*, nec tamen ulla facta fuisset compensatio seu satisfactio. Commutatio genus est compensationis. Genere autem posito non quævis ponitur species. Socinus in hoc ipso redemptionis negotio versans, & vim particulae *ἀντί*, quamquam extra compositionem, in loco Matth. 2. 28, excutiens, * commutationem agnoscit. Nam postquam dixisset, quando de redemptione sermo est, locum esse præpositioni *ἀντί* ob commutationem illam, quæ in omni redemptione fiat: Pretium enim redemptionis dari, & captivum recipi; subjicit: *Et sane in hac ipsa redemptione nostra per Christum facta, licet, ut supra docuimus, metaphorica, hac commutatio facta est, quod Christus animam suam, ut loco isto (Matth. 20.) dicitur, dedit, & nos recepit, id est peccati servitute liberatos sibi assignavit.* Talis commutatio, quæ nullam compensationem satisfactionemque, nullam placationem cuiuspiam arguit, indicatur Prov. 21. 18. *Redemptio iusti* (vel *pro iusto impius; & pro rectis iniquus*, id est, quemadmodum aliis doctissimis viris consentientibus explicatur in Bibliis magnis Rob. Steph. *Subducitur periculo iustus, & impius pro iusto subit periculum.* Cujus rei exemplum extat Esai. 43. 3. ubi Deus dicitur redemptionis pretium pro Israëlitis dedisse Ægyptum, Chus, & Saba: quod repetitur vers. 4, ubi dicit Deus: *dabo hominem pro te, & populos pro anima tua: non quod hostibus populi sui satisfacere & iram eorum hac ratione placare voluerit; sed quod, ut Israëlitz hostium manus effugerent, eorum impetum in Ægyptios, Æthiopes, & Sabæos converterit: ubi est commutatio sine solutione aut satisfactione.* Ex quibus locis etiam apparet, satis elegantem & usitatam censi debere vocis *λύτρον* & similitum interpretationem, quam Socinus sequitur. Siquidem in his etiam duobus Sacrarum Literarum locis vox Hebræa Copher, quam voce *λύτρον* in Græca versione Prov. 13. 8 redditam ante vidimus, & hic rectissime reddi docuerunt illi interpretes, qui vel Redemptionem, vel Pretium pro ea reposuerunt, id tantum significat, quo interveniente quispiam periculo aut malo liberatur, non secus atque si pretium pro illo fuisset solutum. Nec injuria quispiam posset, verba Sacrarum Literarum aliquo modo sequi-

tus, dicere: impium esse *ἀντίλυτρον* iusti; & Deum Ægyptios & alios dedisse *ἀντίλυτρον* pro Israëlitis.

Quod addit Partic. 23: *ἀντίλυτρον* esse tale *λύτρον*, in quo liberator simile quiddam subit ei malo, quod ei imminet, qui liberatur: id in thesi quidem non probamus, sed in hypothesi libenter admittimus. Cur id in genere universo non admittamus, causa est, quia si hostes inter se permutent captivos, ut non raro accidit, hic captivus est illius *ἀντίλυτρον*, nec tamen liberator quicquam simile patitur ei malo, quod ei imminet, qui liberatur, five per liberatorem intelligas eum, qui captivum captivo redimit, five ipsum captivum, qui ab altera parte redditus alterum liberat à captivitate. Neuter enim horum aliquid mali perpetitur, ei præsertim simile, quod liberando imminet. Quid quod, ut viri docti notant, & res ipsa satis ostendit, pecunia pro captivo soluta *ἀντίλυτρον* recte dicitur. Est enim hic commutatio ea, quam *ἀντί* designat, siquidem pecunia datur, & captivus vicissim recipitur. At tunc liberator, qui nullus est alius, quam is, qui pecuniam solvit, non patitur simile quiddam ei malo, quod illi imminet, qui liberatur. Quod si Grotius id, quod asserit, ex eo concludere velit, quod *ἀντίψυχή*, quos hic commemorat, eo sensu dicantur, nimis infirma erit ratio. Neque enim hic sensus oritur ex sola particula *ἀντί*, pro vel vice sed etiam ex adjuncta *ψυχῆς* animæ voce. Denotat enim vox *ἀντίψυχῆς* eos, quorum alter pro altero animam ponat aut devoveat, & sic id malum, quod alteri subeundum erat, ejus loco subire non detrectet. In aliis vocibus ex particula *ἀντί* compositis eam vim esse non statim est necesse. In hypothesi autem, h. e. in Christo liberatore nostro, qui *ἀντίλυτρον* nostrum est, id agnoscimus. Nos enim mortem ferre debebamus: ille, ut nos ab ea liberaret, mortem sustinuit. Quamquam mors illa, quam nos subire merebamus, æterna erat; quam Christus subiit, temporaria. Et huc libenter referimus illud Gal. 3. 13, in quo ait Grotius egregiam esse vocis *ἀντίλυτρον* *ἀντίψυχῆς*, Christus redemit nos ab execratione (legis omisit Grotius) factus pro nobis execratio. De quo loco egimus cap. 1. Sensus enim est: Christus redemit nos ab æterna morte, quæ erat illa execratio, quam Lex minabatur, dum ipse pro nobis tale mortis genus subiit, quod olim coram Deo erat execrabile, nempe mortem crucis. Quamquam, ut cap. 1 monuimus, hic locus de solis Judæis revera loquitur, nec tam late patet, atque iste, in quo Christus seipsum dicitur *ἀντίλυτρον*, dedisse pro omnibus.

Pergit Grotius Partic. 24: *Ad hac accedit, quod sanguinem Christi Petrus auro & argento comparat, tanquam majus quiddam eo ipso qua pretium est 1 Petr. 1. 18. Solent autem aurum & argentum esse vere pretium, non figurate. Quare & sanguis aque aut multo etiam magis vere sit pretium, necesse est.*

Vocem vere apud Grotium accipio pro proprie. Hoc enim est quod Socinus negat; & Grotius satis aperte vocem vere opponit verbo figurate. Alias si verum opponatur falso ac fictitio, conclusio Grotii nihil adversus Socinum faciet. Nam etiam id, quod figurate tale est, vere tale est. Consequentia in argumento Grotii nulla est: sanguis Christi majus quiddam est argento & auro qua pretium est: ergo æquæ

aut multo etiam magis proprie pretium est. Si quis diceret: se non auro & argento, sed sanguine suo, qui istis longe sit pretiosior, libertatem patriæ redemisse, quia pro libertate patriæ pugnans sanguinem fuderit; an æque, imo etiam magis proprie sanguinem suum diceret esse pretium, quam soleat esse aurum & argentum? Si Otho, cujus verba ex Tacito supra citavimus, dixisset: Aurum & argentum si pro me impendere velletis, ferrem: sed virtutem vestram periculis objici nimis grande vitæ meæ pretium puto: an quisquam putasset, objici virtutem militum periculis, proprie dictum esse pretium, & quidem magis, quam aurum & argentum aut saltem ab Othone hoc modo verba ista intellecta? Sic quippiam Grotium imitatus argumentaretur: sermo Dei vivus, quatenus acutus est, aut secandi vim habet, comparatur cum gladio ancipiti, tanquam quippiam acutius, Hebr. 4. 12. At gladius anceps est proprie non figurate acutus. Ergo sermo Dei æque, aut etiam multo magis proprie est acutus aut secandi vim habet. Et ne à loquendi genere, quo Petrus utitur, longius discedamus, ex eo, quod dicitur Prov. 3. 14, 15. meliorem esse negotiationem sapientiæ, negotiatione argenti, & auro meliorem esse ejus proventus, & pretiosiores margaritis; ex eo, inquam, collegerit quippiam, negotiationem ac proventus sapientiæ magis proprie dici, quam dicatur negotiatio ac proventus auri & argenti: quia sit quippiam ea negotiatione ac proventus majus, & quidem qua talis: hæc vero sit negotiatio ac proventus proprie dictus. Sed quid aliunde petimus exempla? an non de Deo ipso dici potest id, quod hoc loco Petrus scribit, nempe eum nos non auro & argento, sed pretioso filii sui sanguine ex vana conversatione nostra redemisse? At Deus nemini verum & proprie dictum solvit pretium, neminem ut nos incommodo, quo nos affecturus erat, liberari pateretur, movit. Adde quod hic, ut supra docuimus, sermo sit de redemptione seu liberatione ab impia vita, in qua non Deus, sed Diabolus homines detinuit, adeo ut si de vero pretio sit sermo, necesse sit, illud Satanæ persolutum, & eum in finem Christi pretiosum sanguinem fustum, ut ei satisficeret, iisque hoc pacto moveretur ad nos ab impia vita liberandos, quo nihil dici potest absurdius. Mirum autem est Grotium non animadvertisse dicti sui absurditatem, dum non contentus dixisse, sanguinem Christi æque vere esse pretium, addit: *aut multo etiam magis vere* (h. e. proprie) *esse pretium*. An non enim maxime proprie pretium esse solent aurum & argentum? quid illis, quod ad proprietatem verbi pertineat, deest? Majus quidem pretium esse potest, vel, ut Petrus loquitur; aliquid pretiosius seu præstantius, sed non magis proprie pretium. Nec sane apud Petrum comparatio est inter aurum argentumque, & inter sanguinem Christi, ratione proprietatis pretii, sed ratione magnitudinis seu præstantiæ: qualis comparatio est etiam supra hoc eodem capite vers. 7. ubi probatio fidei dicitur pretiosior auro quod perit. Est autem illud etiam observandum, quod Soci-nus jam monuerat, vocem *pretiosi* opponi *corruptibilibus*, adeoque significare tale quippiam, quod nunquam perit, sed cujus vis perpetua est, qua-

lis oppositio est etiam dicto loco vers. 7. quia vis quoque fidei, aut probationis ejus, nunquam perit. Sanguinis autem Christi vis ideo nunquam perit, quia est æterni fœderis sanguis, qui divina promissa in perpetuum nobis confirmat, peccataque nostra expiat; præsertim quia Christus per sanguinis fusionem ad resurrectionem & gloriam illam, de qua Petrus in sequentibus loquitur, pervenit, qua fides & spes nostra maxime nititur, & ex qua expurgatio peccatorum nostrorum perpetua potissimum proficiscitur.

Partic. 25. Quæ sit pretii natura, ex definitione speciei, seu *λύτρεω*, supra constituta potest colligi, ablata differentia *λύτρεω* specifica. Requiritur autem ad illud; ut ei, qui valore ipsius atque æstimatione ad rem aut jus aliquod concedendum moveri debet, pro ea solvatur ac præstetur; quod Grotius omisit. An autem ejusmodi pretium Christus pro nobis persolverit, & ex superioribus constare potest, & ex dicendis apparebit.

Scribit amplius Partic. 26: *Addi possunt his illi loci, qui ostendunt à Christo datam carnem suam, aut se ipsum pro vita mundi, ut nos liberaret Johan. 6. 51. Tit. 2. 14. Est enim hæc phrasıs dare aliquid propter aliquid, vero pretio accommodatissima.*

Est quidem phrasıs hæc *dare aliquid propter aliquid* vero pretio accommodatissima, sed non tamen, ubicunque illa extat, verum pretium significat: tum demum verum pretium significaret, si persona esset addita, cui ut satisficeret, res aliqua data diceretur, cujus hic nulla sit mentio, nec uspiam in toto hoc negotio. At pretii est, non tantum dari seu impendi simpliciter propter rem aliquam, sed dari ut cuiquam satisfiat, seu alicui persolvi. Paulus 2 Corinth. 12. 15. ait, ego libentissime sumptum impendam, & expendam pro animabus vestris, quæ phrasıs non minus est accommodata pretio proprie dicto, quam illa *dare aliquid propter aliquid*, nec tamen quemquam esse arbitror, qui non videat, Paulum, dum de se pro animabus Corinthiorum expendendo loquitur, proprie dictum pretium non intelligere, quod alicui pro illis solvere sit paratus, sed simpliciter dicere velle, se libenter vitam suam in discrimen adducturum, aut reipsa profusurum, dummodo ipsorum animabus aut vitæ eo pacto queat confutare. Novit autem Grotius, *dare* in hac materia esse *dare in mortem*, quod pretium proprie dictum non arguit. Hoc enim modo ipsemet cap. 1. explicuit illud Johan. 3. 16, ubi Deus dicitur *dedisse* filium suum, exigente id loci sententia. Eodem modo capienda est hæc vox Galat. 1. 4. Eph. 5. 22. Est enim in simplici verbo *dandi* usitata ellipsis, quæ est, in composito *tradendi*, cum quo id in hoc negotio commutatur. Confer cum his locis istos Rom. 4. ult. 8. 32. Galat. 2. 20. Quanquam ellipsis in verbis his usitata, non eodem semper modo, sed pro ratione ejus, de quo agitur, supplenda est, ut notavit Beza ad Marc. 1. 14. ubi subauditur *in custodiam*, quemadmodum & Matt. 4. 12. Monere autem poterant Grotium ii loci, in quibus Deus ipse filium suum unigenitum aut proprium dedisse, idque ad nos ab interitu liberandos, aut pro nobis tradidisse dicitur, ne ex locis similibus, de eadem re loquentibus, proprie dictum pretium colligeret: siquidem Deus pretium nemini persolvit

perfolvit aut præstitit. Adde quod necesse fuisset, si satisfactionis dogma sequamur, ipsi Deo pretium illud solvi ac præstari, qui tamen id ipsemet dedit atque impendit. Præterea in loco Tit. 2, quem Grotius adduxit, sermo est de redemptione ex servitute peccati, seu liberatione ab impia vita. Hujus autem causa Deo non erat perfolvendum pretium, nec ullaratione erat movendus, ut nos ab illo iugo liberari pateretur, cum id ipse vehementer desideraret, & unice quæreret.

Pergit Partic. 27: *Socinus hac, aliaque loca plura, in quibus mors aut sanguis Christi pretium liberationis nostræ vocatur, aliter eludere non potest, quam ut dicat, esse quidem effectum mortis Christi liberationem nostram à pœnis (de liberatione enim à servitute peccati hic agendi non est locus) sed quo ad nos, non quo ad Deum: id est non Deum per eam adduci, ut nos liberet, sed nos ut ad liberationem perveniamus. Sed hoc effugium tum ea quæ diximus, tum alia multa præcludunt.*

Socinus nec Scripturæ loca eludit, nec effugia quærit. Grotius nihil horum ostendit. Loca quæ hætenus adversum nos adduxit, non omnia de liberatione à pœnis agunt, ut ipse est arbitratus: sed nonnulla de liberatione à peccatorum servitute. Non sufficienter autem explicuit, quo pacto sanguis Christi pretium liberationis nostræ à pœnis dicatur: imo id omisit, quod in liberatione à pœnis, quæ re ipsa fiat, potissimum est, & à Socino eo loco, ad quem Grotius hic respicit, qui est lib. 2. cap. 2, cum de ea ageret, solum expresse fuit commemoratum. Id vero est, quod mors Christi causa fuerit, ex decreto divino necessaria, sempiterni ipsius regni ac sacerdotii, ex quo liberatio à pœnis actu ipso proficiscitur, seu, quod eodem recidit, supremæ ipsius potestatis, qua nos ab omnibus divinis supplicis tuetur. Videantur ea, quæ Socinus d. l. differuit de verbis Hebr. 9. 11, 12, & conferantur cum iis, quæ superius eodem cap. disputarat de ea liberatione à peccatorum pœnis, quæ re ipsa fiat, quæ tertia est apud ipsum Redemptionis significatio. Prima enim est, liberatio è servitute ipsius peccati; secunda, liberatio à pœnis, quam spe certa in hoc seculo habemus, seu, ut nos cap. 1 de remissione peccatorum loquuti sumus, quæ in jure consistit. Grotius id, quod Socinus ad liberationem è peccati servitute propriè retulerat, de liberatione à pœnis agens commemoravit: qua in re non peccasset, si modo id, quod hic præcipuum est, non omisisset, & duos liberationis à pœna modos, quorum alter in jure, seu spe certa consistit, alter in actu ipso, inter se distinxisset. Ex quo apparet, infra quoque Socino fieri injuriam, & sententiam ipsius mutilari à Grotio, dum ita scribit: *Quicquid Socinus de nexu liberationis nostræ cum morte Christi loquitur, ita summatim explicari potest. Liberatio (ut ipse sentit) ex sanctimoniam vita sequitur: sanctimoniam ex spe præmii: spes primo ac potissimum ex resurrectione nascitur: morti autem tribuitur, aut qua via est ad resurrectionem, aut qua resurrectioni conjuncta ac comparata spem eandem confirmat.* In quibus verbis, præter id, quod modo diximus, nec illud recte explicatum est, quo pacto mors Christi spem nostram confirmet. Mors enim Christi id præstat non

tantum mediate & veluti consequenter, sed etiam primo & immediate, licet vis ea, non consequuta resurrectione, non fuisset apparitura, sed potius disparitura, quemadmodum docuimus cap. 1. partic. 103, 104, 109. Itaque redemptio seu liberatio à pœnis, præsertim quatenus spe certa in hoc seculo obtinetur, seu in jure consistit, etiam primo & immediate ex morte Christi pendet. Quod si quis Socini de liberatione à pœnis sententiam ex toto ejus libro collectam plenius velit cognoscere, videat ea, quæ cap. 1 differuimus, de modo, quo remissio peccatorum ex morte Christi fluat: siquidem liberatio à pœnis, seu redemptio hæc, de qua cum Grotio disputamus, nihil est aliud, quam peccatorum remissio, ut ipse Apostolus docet Ephes. 1. 7. Col. 1. 14. Videantur etiam ea, quæ supra hoc cap. part. 13, differuimus, ubi ea, quæ de remissione cap. 1, dicta sunt, ad redemptionis negotium aliquo modo accommodavimus. Istud adhuc, antequam ad sequentia pergamus, monendum est, etiam si inter modos, quibus nos mors Christi vel è peccati, vel è mortis servitute liberat, is quoque sit, quod nos moveat ad vitæ sanctimoniam: id ipsum tamen vi vocis *λύτρεω* ad mortem Christi relatæ, per se non significari, sed ex re ipsa intelligendum, aut aliunde cognoscendum esse. Vox enim illa simpliciter tantum significat id, quod liberationis nostræ causa sit, quemadmodum *λύτρεω* esse solet liberationis captivi: quod autem nos liberet nos ipsos movendo, hoc vi vocis non significatur. An vero, aut quo pacto ex Socini sententia dici queat, Deum per mortem Christi adduci ad nos liberandos, dictum est supra partic 3, & locis ibi notatis. Sed rationes videamus Grotii, quibus Socini sententiam à se explicatam oppugnat.

Primum enim, inquit Partic. 28, vox λύτρεω, multoque magis ἀντὶ λύτρεω, ejus sunt naturæ, ut rem denotent, cujus prior sit effectus circa liberatorem, quam circa liberatum.

Per liberatorem, ut apparet, eum nunc intelligit Grotius, qui incommodo, quo alterum erat affecturus, *λύτρεω* interveniente liberari patitur, qualis est v. g. is, è cujus manibus captivus redimitur, cum antea eum intellexisset, qui *ἀντὶ λύτρεω* est alterius. Nisi enim eum hoc loco intelligit, ex cujus manibus liberatur is, pro quo *λύτρεω* solvitur, non video, quid hæc ratio faciat adversus Socini sententiam, prout à Grotio paulo ante explicata est, videlicet non Deum morte Christi adduci ut nos liberet, sed nos, ut ad liberationem perveniamus. Quod ad rem ipsam attinet, etsi nos duplicem ostendimus modum, quo effectus mortis Christi, quæ liberationis nostræ pretium est, prius circa Deum, quam circa nos versetur; siquidem duplicem ostendimus modum, quo mors Christi Deum obligavit ad nos à pœna liberandos, aut id Christo dandum, unde liberatio nostra perfecte consequitur, & consequi ex Dei voluntate omnino debet; id tamen in hac redemptionis aut emtionis nostræ, itemque pretii pro nobis impensi metaphora, non consideratur, nec ipsis his vocabulis, quæ urget Grotius, exprimitur, sed aliunde aut ex re ipsa demum intelligitur. Etsi enim Deus nos, nisi resipuissimus, puniturus, &

mortis

mortis supplicio affecturus erat: tamen quia ipsemet tantopere desideravit, ut nos à mortis æternæ pœna liberaremur, & in eum finem charissimum filium suum impendit; ideo, quemadmodum supra diximus, in hac redemptionis nostræ metaphora, non consideratur tanquam is, qui nos ad supplicium detinuerit captivos, & qui, pretio illi persoluto, fuerit movendus, ut nos è captivitate dimitteret, atque à pœna liberaret; sed ut is, qui nos emerit, aut redemerit, qui pretium pro nobis impenderit, & nos sibi acquisiverit; quia hæ partes, si ejus erga nos affectum ac voluntatem, actionesque in hoc negotio spectes, longe magis ei conveniunt, quam illæ: & ut alibi etiam monuimus, multo magis ille Christum movit ad mortem liberationis nostræ causa suscipiendam, quam Christus ipsum ad liberationem nobis reipsa præstandam. Cum ergo Deo in hoc negotio non tribuantur partes ejus, qui nos incommodo affecturus detinuerit captivos, quem Grotius liberatorem appellat, ex eo, quod *λύτρον* & *ἀντίλυτρον* rem denotent, cujus effectus prior sit circa liberatorem, quam circa liberatum, non sequitur, effectum mortis Christi prius versatum fuisse circa Deum, quam circa nos. Diximus autem jam supra, partes ejus, qui nos captivos tenuerit, & ex cujus servitute fuerimus liberati, in Sac. Literis tribui peccato, aut execrationi, atque adeo etiam ceteris hostibus nostris spiritualibus, quos nemo liberatores dixerit, & circa quos si velis effectum mortis Christi prius versatum fuisse, quam circa nos (quanquam id de peccato ac morte nullo pacto dici potest) quid id adversus Socinum? Sed deinde in hac argumentatione sua pro concessio sumit Grotius *λύτρον* & *ἀντίλυτρον* proprie hic sumi; quod non probavit. Nam si improprie sumatur, negamus id, quod de voce hac asserit. Idem enim alias dicendum esset de verbis *λυτρώω* & *ἀντilyτρώω*: cum tamen ea sæpissime talem significant effectum, qui primum, imo solum versetur circa liberatum: ut cum de ea liberatione, quæ absque ullo sit impendio, sumuntur, aut etiam de alia quapiam, ad quam impendium quidem intervenerit, sed quo non satisfieret cuiquam, qui incommodo esset affecturus eum, qui redemptus dicitur. Idem quod de *λύτρον* dicimus, contingere in voce *pretii*, statim docebimus.

Secunda Grotii ratio est Partic. 29: *Deinde quamquam emere interdum sumitur pro acquirere simpliciter, ut vendere pro mancipare, tamen addita voci emtionis vox pretii (ut 1 Corinth. 6. 20. & VII. 23) propriorem similitudinem requirit. Est enim pretii maxime proprium, ut ab aliquo tanti aestimetur, quanti res.*

Concedimus Grotio propiorem vel perfectiorem hic esse similitudinem. Quid tum? an inde sequitur, effectum pretii priorem fuisse circa liberatorem, hoc est circa Deum, qui ea motus fuerit ad nos liberandos, quam circa nos ipsos? quæ consequentia? Ideo propior hic est similitudo, quia non sine impensa sumus acquisiti, aut ex hostium nostrorum potestate liberati, sed impendium in eam rem insignè factum est, quod pretio, quo interveniente emtio aut redemptio proprie dicta peragitur, eleganter respondet: imo nihil est in emtione ac redemptio-

ne proprie dicta, cui in emtione aut redemptio nostra aliquid apte non respondeat, eo solo excepto, quod hic nemo sit, qui pretium pro nobis impensum acceperit, seu cui id præstitum solutumque fuerit; id quod pretii hujus improprietatem arguit. Quod si Grotius ex voce pretii id, quod vult, concludere cupit, necesse est ut ostendat, pretii vocem proprie hic accipi, non vero pro impendio tantum sumi, quo interveniente nos Deo ac Christo fuerimus acquisiti. Error autem Grotii ex eo satis patet, quod in locis citatis de ejusmodi emtione sit sermo, qua nos Dei ac Christi servi evaserimus, eique fuerimus acquisiti. Ita enim habet prior locus: *Non estis vestri. Emi enim istis pretio. Glorificate ergo Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei.* Quis non videt, hoc velle Apostolum, nos non esse nostri juris & arbitrii, sed Dei, quanti quanti sumus, esse mancipia, qui magno pretio sibi nos emerit. Quare nos & corpus & spiritum nostrum ipsius gloriæ totum consecrare debere, adeoque iis ad turpes cupiditates ac libidines nequaquam abuti: cum ea Dei sint, ac proinde in illius solius usus converti debeant. Alter locus est: *qui in domino vocatus est servus, liberatus Domini est. Similiter qui liber est vocatus, servus est Christi. Pretio emi estis: ne fiat is servi hominum.* Ideo nos pretio emtos dicit, quia Christi servi ac mancipia per mortem ipsius evaserimus. Qui vero Christi fit servus, simul etiam fit servus Dei. Quomodo ergo in hac emtione primus hujus pretii effectus versatus est circa Deum? An enim Deus erat movendus, ut nos suos ac Christi servos fieri vellet, cum id unice cuperet, & in eum finem sanguinem filii sui fundi curaret, adeoque non venditoris, sed emtoris personam hac in parte gereret? Nos nos movendi eramus, ut peccato, imo & nobis ipsis mortui, Deo & Christo in posterum vivere vellemus. Nos pretium pro nobis impensum tanti, quanti res, vel potius majoris aestimare debemus, id quod pretii maxime proprium esse ait Grotius, & cum sciamus, quanti Deo & Christo constiterimus, tanto majori studio ipsi servire. Ex dictis autem apparet, in eo etiam lapsum Grotium, quod ea testimonia, quæ de liberatione à servitute peccati loquuntur, de qua hic agendi locum non esse paulo ante dixerat, protulerit, & de liberatione nostra à pœnis acceperit.

Tertia Grotii ratio est Partic. 30: *Præterea Apostolus ἀντilyτρώω exponit per ιλασθείω, Rom. 3. 24. Est autem ιλάσκεω actus, qui versatur circa liberatorem prius, quam circa liberandum. Et alibi Hebr. nempe 9. 12, λυτρώσει exponitur per καθάρω, id est expiationem. De cujus vocis vi postea agemus.*

Ιλασθείω, de quo loquitur Apostolus, non est quidem revera idem cum ἀντilyτρώω, ut verba Grotii significare videntur, ad ἀντilyτρώω tamen pertinet. Sed ponatur idem esse: non sequitur tamen, ἀντilyτρώω primo circa Deum, tum circa nos versari, hoc est Deum primo ad nos liberandos moveri, tum liberationem nostram subsequi. Docuimus enim supra cap. 7, nihil tale ex voce ιλασθείω concludi posse: imo cum Deus ipse constituerit Christum ιλασθείω, contrarium inde colligi. Rationem ex etymologia ductam ibidem excussimus, & vel ex eo, quod

quod operculum arcæ Fœderis *ἡ ἀσθήνη* dictum fuerit, cuius nullus circa Deum effectus, nulla eum ad liberationem movendi vis fuit, infirmitatem ejus ostendimus. Vox *καθαρισμῶν* non significat actum primo circa Deum versantem, sed potius actum, qui circa ipsa peccata aut peccatorem occupetur. Quare quod *ἀντιπροσώπων* per *καθαρισμῶν* exponatur, id non tantum Socino non repugnat, sed etiam favet. Solet quidem in expiationis per Christum factæ negotio aludi ad actus circa Deum primo versantes, sed id nec fit vi vocis *καθαρισμῶν* seu expiandi: cum etiam Deus dicatur expiare: sed aliunde cognoscitur; & aliud est allusio, ac rei quædam similitudo, aliud rei ipsius veritas five proprietas, quæ de re Deo dante agemus ibi, ubi Grotius.

Quarta Grotii ratio est Partic. 31: *His adde, quod cum effectus alicui rei tribuitur admodum frequenter, atque ita ut nusquam inveniatur tributus aliis rebus, (quemadmodum effectus redemptionis ad mortem & sanguinem Christi refertur Gal. 3. 13. Matth. 20. 28. Marc. 10. 45. Tit. 2. 14. Hebr. 9. 15. Apoc. 5. 9. & xx. 28. Rom. 3. 24. Ephes. 1. 7, tum necesse est finem proprium magis & propinquum, quam communem & remotum intelligere. At circa nos effectus liberationis & multis gradibus est remotus à morte Christi, & adeo non proprius, ut aliis rebus, quibus adscribi non solet, multo magis conveniat.*

Hic primum erravit Grotius iterum, qui de redemptione ea, quæ liberatio est à pœnis, agens, citat loca de liberatione à servitute peccati, vel, quod eodem recidit, de ratione, qua Dei aut Christi cultores ac servi fuerimus effecti, loquentia, de qua hic agendi locum esse negat. Huc enim pertinent illa Tit. 2. 14. Apoc. 5. 9. In citatione cap. 20. 28, erratum est, cum nec tot sint capituli versiculi, nec quidquam huc pertinens ibi legatur. Arbitror autem scribendum fuisse Act. 20. 28. Nam locus congruit; cum ibi dicatur, Deum per proprium sanguinem acquisivisse Ecclesiam: qui locus est similis illis duobus Tit. 2. & Apoc. 5. Deinde etiam si Sac. Literæ, cum ipsa redemptionis voce utuntur, ob metaphoriæ hujus concinnitatem & locutionis emphasin, nulli alii rei actum hunc expresse tribuant, præterquam morti Christi, quæ impendium continet illi simile, quod ad redemptionem propriè dictam requiritur: tamen cum eandem rem aliis vocibus exprimunt, nonnunquam aperte aliis eam rebus, idque etiam magis aut propius, præsertim cum de liberatione à pœnis, quæ actu fiat, loquuntur, quam morti tribuunt; nonnunquam, ut ex re ipsa satis intelligitur, tacite idem faciunt; quod posterius fit etiam in nonnullis locis, ubi ipsa Redemptionis vox extat. Redemptio enim hæc, de qua una cum Grotio agimus, hoc est liberatio à pœna nil est aliud, quam remissio peccatorum, ut superius ex Paulo docuimus, quæ eadem justificatio dicitur. Hæc autem, præsertim si de liberatione sumatur à pœnis, quæ re ipsa fiat, resurrectioni Christi, & potestati illius supremæ, æternoque ejus sacerdotio, magis etiam aut propius quam morti tribuitur. Quæ de re citavimus cap. 1, hæc Scripturæ testimonia Esai. 53. 11. Act. 5. 31. Rom. 4. 25. v. 9, 10. viij. 34. 1 Cor. 15. 17. 1 Thes. 1. 10. Hebr. 2. 17, 18. vij. 24, 25. 1 Joh. 2. 2. Redemptio

illa, quæ in adventu Christi nobis continget, unde ille dies redemptionis appellatur Luc. 21. 28. Eph. 1. 14. 1v. 30. Rom. 8. 23, quam eandem Paulus redemptionem corporis nostri, nempe à corruptione vocat, & 1 Cor. 1. 30, ut viri * docti animadverterunt, inter beneficia Dei per Christum in nos profecta ultimo loco collocat, atque à justitia, hoc est, justificatione in jure consistente, & sanctificatione distinguit; hæc, inquam, nulli alii rei proxime ac proprie potest adscribi, quam potestati Christi supremæ, qua hostes nostros, quorum postremus est mors, delebit, & corpora nostra humilia transformabit, ac similia corpori suo glorioso reddet Phil. 3. 20, 21. 1 Cor. 15. 24 & seqq. Quæ in re perfecta liberatio nostra à pœnis, quæ actu ipso fiat, consistit. Quapropter cum id ipsum, quod redemptionis nomine significatur, aliis etiam rebus quam morti Christi tribuatur, idque magis quam morti aut propius, ex eo, quod ea tum, cum hoc ipso nomine exprimitur, diserte nulli alii rei, quam morti adscribitur, non sequitur, eam esse effectum mortis Christi proprium, nisi alia quadam ratione vocem proprii accipias, quam Grotius facit, quæ de re diximus cap. 1. partic. 26, 85. Præterea in eo etiam falsus est Grotius, quod effectum liberationis circa nos, simpliciter ait multis gradibus esse à morte Christi remotum: cum tamen liberatio à pœnis, quæ in jure, aut in spe certa consistit, de qua loquitur Paulus Rom. 3. 24. Ephes. 1. 7. Col. 1. 14, ut apud Socinum videre est, etiam proxime & immediate ex morte Christi pendeat: siquidem, ut tum cap. 1, tum supra hoc cap. docuimus, mors Christi etiam immediate, idque eximia quadam ratione, & ad remissionem peccatorum potissimum spectante, divinas promissiones confirmavit, & sic jus quoddam ad liberationem re ipsa obtinendam nobis peperit. Unde consequitur, eam ad liberationem è servitute peccati, de qua nonnullos locos à Grotio citatos agere diximus, eatenus etiam per se concurrere, & propinquiorem illius causam esse. Siquidem ex ea confirmatione spes nascitur, ex hac pietas in Deum. Liberatio vero à pœnis, quæ re ipsa fiat, si eum spectes modum, quod eam mors Christi nobis pariat, quem Socinus de Redemptione agens insignite commemoravit, uno tantum gradu à morte Christi distat. Etenim mors Christi causa est supremæ Christi potestatis, seu majestatis sempiterni Christi regni ac sacerdotii; hoc liberationis à pœna. Si spectes reliquos duos liberationis hujus modos, qui quidem sunt iidem cum liberatione à suppliciis ea, quæ in jure consistit, & liberatione à servitute peccati; quid de iis hac in parte sentiendum sit, ex dictis constare potest.

Ex his patet, verba illa, quæ subjungit Grotius Partic. 32, ad explicandam Socini de nexu liberationis nostræ cum Christi morte sententiam, quæ supra particula 27, adscripsimus, valde mutilam hac de re Socini sententiam exhibere. Constat etiam magna ex parte, falso asserere Grotium, *mortem isti effectui* (h. e. liberationi nostræ) *non nisi per accidens coherere: quia resurrectio fidem non faciat, nisi quæ est pars gloriæ Christi: gloria autem summa Christo etiam non mortuo potuerit contingere.* Pro concessio enim sumitur, primo, mor-

* Piscator.

tem Christi ad liberationem à pœna non nisi eatenus concurrere, quatenus fidem nobis divinorum promissorum facit: deinde, eam non ingenerare nobis fidem, nisi per resurrectionem; denique resurrectionem non ingenerare fidem, nisi qua sit pars gloriæ Christi: quæ omnia falsa sunt. De duobus prioribus dictum est hæcenus: de postremo actum est cap. 1. partic. 21. Præterea etiam si gloria Christo summa, etiam non mortuo potuisset contingere, si rei natura inspiciatur: ex decreto tamen divino, ob causas gravissimas ad salutem nostram spectantes facto, non potuit. Qua de re tum ab initio disputationis nostræ actum est, tum ut alia omittam loca, cap. 5. partic. 4, 5.

Ad sequentia Grotii verba Partic. 33: *quod autem Christus patiendū exemplum nobis quod sequeremur præbuit, id ad remissionem peccatorum, quæ Christo non contingit, aptari omnino non potest*; ad hæc, inquam, responso patet ex partic. 98, 99, 100. cap. 1, ubi idem Socino Grotius objecerat. Diximus autem, nec Socinum de remissione peccatorum agentem solere exemplum Christi, præsertim expresse, commemorare; & licet ipsi Christo remissio peccatorum non contingeret, tamen id suo modo ad remissionem nobis parandam facere. Quod posterius exsequuti sumus d. partic. 100.

Pergit Grotius Partic. 34: *Quo ergo illa toties repetita mortis mentio in hoc redemptionis negotio? Dubio adfert Socinus: primum quia in morte est impendium aliquod, quod non est in resurrectione, ideoque mortis mentio redemptioni est aptior: deinde quia charitas Dei & Christi in morte magis indicatur.*

Agnoscamus Socini dicta; eo tamen addito, quod quæstio, ad quam respondet Socinus, comparate fuerit instituta, hoc pacto: cur non potius resurrectio fuerit appellata redemptionis pretium, quam mors? ut tum ex Socini loco, tum ex rationibus ipsis, quas hic adducit Grotius, præsertim priori, constare potest. Sed videamus, quomodo hæc Grotius refellat.

Ad primum quod attinet, eodem, inquit Partic. 35, relabimur. Nam si ex morte Christi per se liberationis nostra effectus non est consecutus (quæ est ipsius Socini claris verbis edita confessio) nihil opus erat Christum & Apostolos aut redemptionis aut pretii meminisse, præsertim toties: cum liberatio aliis verbis commodius posset explicari.

Ut infirmitas argumenti, quo Grotius hic utitur, tanto melius appareat, illud primum est monendum, eum sententiam verborum Socini, quæ extant cap. 3. lib. 2. (non 3 ut est apud Grot.) Haud assequutum. Neque enim Socinus vult, ut proculdubio censuit Grotius, mortem Christi primo & immediate, ac vi sua nihil conferre ad liberationem: sed, eam per se talem tantamque vim non habere, ut, si resurrectio non fuisset consequuta, nos nihilominus per eam potuissemus re ipsa liberari. Docuimus enim alibi*, & supra hoc cap. repetimus, vim mortis Christi veram, quam ad nos liberandos, seu remissionem peccatorum nobis parandam habet, non apparituram, sed perituram fuisse, sequi non exserturam, nisi Christus resurrexisset. Contrarium

* Vid. cap. 1, partic. 110.

postulat eorum sententia, qui morte Christi Deo pro universis peccatis nostris plene satisfecisse arbitrantur. Hoc enim posito, non potuisset nos Deus salva æquitate ac iustitia sua à pœnis non liberare, ut cap. 6, docuimus: nec quicquam ad eam rem opus fuisset Christi resurrectione, quæ satisfactionis vim non auget, sed potius minuit. Major enim futura fuisset Christi pœna, & sic plenior per eam satisfactio, si in morte mansisset, quam nunc, cum post breve tempus resurrexit, & ad supremam ob passionem mortis felicitatem ac dignitatem à Deo evectus est, quod, ut alibi ostendimus, ne pœnæ quidem in Christo locum relinquit. Atqui sententiæ huic prorsus adversantur illa Pauli verba, quæ Socinus pro se citat 1 Cor. 15. 17, 18, ubi ait Apostolus: *Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc estis in peccatis vestris, etiam nunc, qui in Christo obdormierunt, perierunt.* Cæteroqui fateri Socinum, mortem Christi per se vim habere ad liberationem nostram, quam tamen post resurrectionem demum exseruerit, ex eodem loco, ubi verba à Grotio citata extant, aperte constat. Postquam enim dixisset (a): *Christi mors resurrectione non consequuta, non solum nos non liberasset, sed omnis liberationis spem prorsus ademisset, ut aperte colligitur ex cap. 15, prioris ad Corinth. & ex aliis locis satis intelligi potest*; addit: *quæquam resurrectione deinde consequuta, ipsa quoque mors PER SE non leve pondus ad nos in fide stabiliendos, ut supra* demonstratum est, obinet.* Videantur etiam ea, quæ diximus cap. 1. partic. 104.

Deinde verba illa Grotii: *nihil opus erat Christum & Apostolos aut redemptionis aut pretii meminisse, præsertim toties, vel significant, non fuisse necessarium, ut his verbis uteretur Christus & Apostoli; vel non fuisse justam aliquam causam, quæ suaderet, ut hæc metaphora crebrius uterentur.* Si prius, nihil ad rem facit Grotii argumentatio. Multa enim, quæ non est fieri necesse, fiunt tamen, & recte quidem atque eleganter. Resurrectionem nostram ac liberationem à morte cæterisque, quibus hic premimur, malis, redemptionis voce in Sacris Literis descriptam esse supra vidimus, cum tamen res aliter satis commode ac magis proprie posset exprimi. Si posterius vult Grotius; rationem consecutionis in argumento desideramus. Nam etiam si effectus liberationis nostræ per se non esset consequutus ex morte Christi, (ut eo sensu verba ista capiamus, quo ea capere videtur Grotius) potuissent tamen Apostoli, non modo propter usitatum scriptorum antiqui Fœderis morem, Redemptionem pro simplici liberatione ponentium, sed etiam propter maximam similitudinem liberationis nostræ cum redemptione proprie dicta, tum redemptionis voce, tum, quia magnum ad eam perficiendam intervenisset impendium, etiam Pretii nomine uti. Neque vero novum aut inelegans censi debet, pretio comparari id, ex quo effectus, ad quem id dicitur intervenisse, per accidens tantum consequitur. Nam, ut Socinus jam scripserat, si quis amicum ex hostium manibus, hostibus ipsis, qui eum detinebant, occisis liberasset, interim tamen ipse non levia vulnera cum hostibus confligendo accepisset; non hostium interitum, sed

(a) Lib. 2. cap. 3. (b) lib. 1. cap. 3. lib. 3. cap. 2.

suum sanguinem pro amici liberatione impendisse se diceret, quamvis non quia ipse sanguinem suum fudit, (id enim per se liberationem potius impedit) sed quia hostes superasset & interemisset, ille liberatus esset. Eodem modo, si quis pro libertate patriæ pugnans oculum perdidisset, licet id non nisi per accidens cum libertate cohæreat, eleganter tamen dicere posset, se oculum pro libertate patriæ impendisse. Atque huiusmodi phrasæ & in communi sermone, & in optimis auctoribus non sunt insolentes. Qua de re diximus etiam nonnihil cap. 1. part. 26. Quod si hoc fieri potest tum, cum id, quod impensum esse dicitur, ad effectum, de quo sermo est, per se nihil confert: quanto rectius atque elegantius id fieri poterit, ubi id, quod impensum est, per se multum ad effectum confert, quemadmodum sane mortem Christi ad liberationem nostram conferre ostensum est.

Pergit Grotius Partic. 36: *Altera vero illa consideratio, ut ad illas pertineat sententias, quæ charitatem Dei commemorant, ad alias certe quæ hoc non agunt, & ad ipsam redemptionis vocem explicandam parum commode affertur.*

Hic Grotius non eas tantum sententias commemorare debuit, quæ de charitate Dei agunt, sed etiam eas, quæ de charitate Christi, ad quam nunquam peculiariter respicitur in Sacris Literis. Socinus enim, ut ex Grotii verbis supra productis apparet, non tantum Dei, sed & Christi charitatem commemorat. Deinde si Grotius eas tantum sententias intelligit, ut quidem verba ipsius videntur indicare, quæ charitatis Dei, aut (ut hoc nunc addamus) Christi, expressam faciunt mentionem, vel quorum scopus verus est eam nobis commendare; qua ratione probabit, ad has solas pertinere rationem à Socino allatam? Nam siue agatur de rebus à Deo per Christum promissis, & non nisi ex summa ipsius erga nos charitate profectis, siue de earum spe animis nostris inferenda, & fiducia in ipsum nostra excitanda, siue de reliquo officio nostro, atque inprimis de charitate erga Deum ac Christum, aut erga homines; nunquam aliena est commemoratio ejus rei, unde charitas erga nos Dei ac Christi potissimum eluceat, imo maxime accommodata. Ea enim res promissa divina confirmat, spem ac fiduciam nostram in Deum & Christum roborat, ad obsequium ei præstandum excitat, amorem ipsius ardentissimum in nobis accendit, ad diligendos alios, quos Deus ita charos habet, ut charissimum suum filium pro iis impenderit, curamque illorum suscipiendam, ad animas denique pro fratribus ponendas adigit. Cur vero Grotius non adduxit locos aliquos, in quibus de redemptione vel emptione nostra sit sermo, ad quos tamen nihil pertineat commemoratio ejus rei, ex qua charitas Dei & Christi maxime pateat? Quanquam ad veritatem verborum Socini satis est in plerisque locis ita se rem habere; cum non asserat, hanc solam esse hujus rei causam, sed potissimam, & latissime patentem.

Quod vero ait Grotius, ad ipsam redemptionis vocem explicandam parum commode afferri hanc Socini rationem, id nihil adversum ipsum facit. Ne-

que enim Socinus hanc rationem ad ipsam redemptionis vocem explicandam asserit: sed ad ostendendum, cur ita frequenter, & ubique fere cum de liberatione nostra agitur, Christi mortis fiat mentio, quæ ipsius Socini sunt verba. Quanquam non injuria dici potest, Redemptionis vocem ad amorem Dei & Christi, qui ex liberatione nostri patet, indicandum aliquanto aptiorem esse, quam simplex Liberationis nomen; præsertim si jam constet, eam in pleniore quadam significatione hic & posse & debere accipi, nempe ut significet, impendium in liberationem nostram esse factum; id quod ipsi liberationis vox nullo modo indicat. Nam liberatio vera & proprie dicta esse potest, ubi nullum prorsus factum est impendium. Manifestior autem adhuc res est, cum ipsum Pretii nomen ponitur.

Pergit Partic. 37: *Omitto jam, quod ne ostenditur quidem charitas ea re, quod boni nostri non tam causa fuerit, quam nuda occasio.*

Sed nos jam non semel ostendimus, mortem Christi, ex nostra sententia, non nudam boni nostri occasionem, sed veram fuisse causam. Quanquam etiam si ea mera fuisset occasio, ad salutem tamen nobis parandam aliquo pacto necessaria, nihilominus charitatem Dei, filium suum unicum morti tam diræ, ut hac occasione salutis nostræ consuleretur, objicientis, & Christi, rem tam acerbam nostra causa suscipientis ostendisset. Charitas enim alicujus erga alterum non minus perspicitur, cum quis mali quippiam aut incommodi sciens prudens suscipit, ut ea occasione illi prosit, quam cum ex eo ipso malo per se aliquid commodi in ipsum redundat. Sic charitas amici erga amicum ostenditur, si, ut eum ex hostium manibus eripiat, vulnera & mortem non detrectet, etiam si ipsa sua vulnera aut mortem amico nihil prodesse, sed etiam per se obesse facile posse, cernat. Denique Christi saltem erga nos charitas morte ipsius demonstrari potuisset, etiam si Deus nulla utilitatis ad nos reditura ratione habita decrevisset, ne is sine morte potestatem adipisceretur nos re ipsa servandi, Christus autem, ut id beneficium nobis præstare posset, mortem eam, ut fecit, adiisset, cum cæteroquin æternis gaudiis potiri sine ea posset. Verum nos alibi satis ostendimus, salutis nostræ causa Deum decretum id fecisse, adeoque summam inde, non modo Christi, sed & Dei erga nos charitatem, ex illius morte apparere. Vide inter alia cap. 5. part. 4, & 5.

Scribit amplius Partic. 38: *Putat se Socinus nostram sententiam premere cum dicit, ita de redemptione per Christi mortem facta agere Scripturam, ut quiddam apertum ante oculos ponat, non autem ut occultam quandam indicet virtutem, qualem esse eam putat, quam nos ex Scriptura deducimus: sed hoc cum dicit, nos non vulnerat, & in se potius telum subministrat. Ea enim quæ sunt Dei, quis novit, nisi Spiritus Dei, & cui ille voluerit revelare I Cor. 2. 10, 11. At mortem Christi in hoc à Deo procurari, ut de ipso pœna peccatorum nostrorum exigerentur, & ipse dōtor nostrum fieret, dixerat multo ante Esaias, dixerat Christus ipse, nec aliud adumbrarum sancti ritus in prisco Fœdere: ita ut qui ad ista attenderet, non posset Dei circa hoc negotium voluntatem ac decretum ignorare; ut jam taceam, ipsam quod-*

quodammodo naturam loqui, mortem esse peccati stipendium.

Locus 1 Cor. 2. 10, 11. de iis loquitur, quæ in ipso Deo latent, & à sola ipsius voluntate pendent, qualia sunt decreta consiliaque ipsius, quatenus nondum vel verbis vel operibus sunt patefacta, præsertim clare atque aperte. Indicat id comparatio, qua utitur Apostolus, dum ait: *Quis enim hominum novit ea, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis qui in ipso est?* ubi quisvis potest cernere, de iis rebus loqui Apostolum, non quas homo aperte facit, aut loquitur, sed de iis, quas apud se cogitat & decernit. Hæc enim nemo hominum novit, præter ipsius Spiritum; postea demum ii, quibuscum animi sui cogitata communicat. Quid vero hoc ad Christi mortem, & ejus vim, præsertim postquam de ea moniti sumus, quod Socinus suis verbis addit? Mors enim Christi, ejusque in salutis nostræ negotio vis, non est aliquid in Deo latens, sed testimonium potius apertum rerum aut consiliorum in ipso per se latentium. Unde, ut ab initio disputationis nostræ vidimus, Paulus asserit 1 Tim. 2, 3. eam extitisse testimonium, testimonium, inquam, divinæ erga omnes benevolentiae: & Johannes 1 Johan. 5. 2. 4. seqq. eam inter testes divinos numerat, qui asserant, Deum nobis dedisse vitam æternam, & hanc vitam in filio ejus esse. Quare vis ea mortis Christi in salutis nostræ negotio, qua sublata, Dei ac Christi erga nos charitas, aut promissorum nobis per ipsum propositorum veritas ex ipsa demonstrari non posset, non est ita occulta, ut eam, præsertim postquam jam sumus moniti, ex ipsa Christi morte, aut rebus eam consequutis cernere ac deprehendere non possimus, sed necesse sit ea in re divinis tantum viris fidem adhibere, & ideo credere vim eam morti Christi inesse, quia illi ita affirmant, & testimoniis aliis demonstrent. Talis autem vis est ea, quam Grotius una cum aliis morti Christi tribuit, nempe Deo pro peccatis nostris satisfaciendi: id quod ex iis, quæ perpessus est Christus, nequaquam apparet; multo autem minus ex iis, quæ eam sunt consequuta. Quid enim est, quod re ipsa tantum inspicere suadeat, quia Christus truculentam mortem subierit, in qua tamen non permanfit, sed post breve tempus in vitam revocatus ad supremam æternamque gloriam fuit translatus, eum divinæ justitiæ pro peccatis nostris satisfecisse? Sed ait Grotius: naturam ipsam quodammodo loqui mortem esse peccati stipendium: unde intelligi vult, ipsam etiam naturam quodammodo dicere, Christi mortem fuisse peccati pœnam. Sed primum aliud est simpliciter ob peccata alicujus puniri, aliud Deo ejusque justitiæ pro eo ejusve peccatis plene satisfacere, de quo Socinus loquitur. Deinde nos cap. 1 docuimus, non omnem mortem, five naturalem, five violentam intelligas, peccati esse stipendium. Ubi etiam locum Pauli Rom. 6. ult. ad quem non obscure digitum intendit Grotius, excussimus. Itaque ex eo, quod Christus mortem violentam subierit, concludi non potest, eum peccati pœnam subiisse. Præterea quomodo natura ipsa loquitur, mortem esse peccati stipendium? Natura per se considerata alias potius mortis causas statuit, quarum vis non ex Dei voluntate pendeat, sed naturalis plane sit. At peccati vis,

quam habet ad mortem nobis inferendam ex voluntate ac decreto Dei (nam hominum ob peccata morte quempiam plecentium nobis hic habenda ratio non est) pendet, nec per se aut naturaliter eam habet.

Quod Grotius putat Partic. 39, ex hac Dei voluntate, quod nimirum voluerit, ut de Christo pœnæ peccatorum nostrorum exigenter colligi ingentem Dei erga nos charitatem, idque confirmat locis 1 Joh. 4. 10. Rom. 5. 10. quibus addit 1 Tim. 2. 6. in eo quantopere fallatur, ex superioribus capp. constare potest.

Ad sequentia Grotii verba Partic. 40, quod attinet; etiam si quædam Scripturæ phrasæ prima fronte videantur sententiæ Grotii aliquo modo favere: tamen si res paulo diligentius consideretur, diversam earum sententiam esse deprehenditur, quemadmodum hæcenus nos ostendisse confidimus. Socini sententiam ex Scripturæ verbis, præsertim inter se collatis, facile posse intelligi, ex iis, quæ ab initio disputationis nostræ de vi mortis Christi in salutis nostræ negotio disseruimus, si jungantur iis, quæ de remissione peccatorum nominatim disputata sunt cap. 1 constare arbitramur. De multitudine graduum, quos constituat Socinus in deducenda liberationis nostræ ex morte Christi consequentia, & hoc & primo cap. respondimus. De varietate deductionis, aut obscuritate sententiæ Socini, in explicando proprio locutionum de liberatione nostra loquentium sensu, non arbitror conquesturum eum, qui ea, quam in rebus tanti momenti adhibere par est, diligentia, quam in Grotio non semel desideramus, & sine præjudicio, Socini librum legerit.

Concludit Grotius Partic. 41, & quomodo sententia de Redemptione & Placatione, quam hæcenus defendit, ad satisfactionem demonstrandam pertineat, docet: *Probata ergo, inquit, est à nobis vera redemptio, sicuti modo probata est vera placatio. Utrovis autem horum probato, probatum est id quod intenditur, nos scilicet liberatos pœna Christi, quam ob peccata nostra pependerit: non quod omnis redemptio aut reconciliatio talis sit, sed quod subiecta materia aliam non admittat. Inane ergo est, & abs re alienum quod aliquoties dixit Socinus, tum placari aliquem posse, etsi nihil præstetur, tum redimi aliquem vere posse, qui nihil debeat, ac proinde citra solutionem. Nos enim de ea agimus placatione & redemptione, quam rei alicujus præstatione, morte scilicet fieri Scriptura indicat, & de redemptione ea, qua nos à pœna commerita liberari eadem Scriptura testatur. Talis autem præstatio, qua debitorem pœna à pœna liberet, & recte & proprie satisfactio appellatur. Quod videns Socinus, ut satisfactionem tolleretur, placationem quoque & veram redemptionem sustulit.*

Si per veram redemptionem, ut quidem apparet, proprie dictam intelligit; eam non probavit Grotius; nec placationem iræ divinæ morte Christi factam. Quare nec satisfactio hinc concludi ulla potest. Interim dicimus, etiam si placationem iræ divinæ, morte Christi factam probasset: non statim tamen inde concludi posse, veram seu plenam Deo satisfactionem pro peccatis nostris morte Christi præstitam, id quod Socinus revera urget: non autem (quod

eum Grotius aliquoties dixisse scribit) *placari aliquem posse, et si nihil præstetur*. Quanquam & hoc verum est. Quod si dicat Grotius, se per præstationem hic intelligere veram solutionem; id quod in principio petit. Hoc enim ipsum revera quæritur. Quod si per præstationem simpliciter intelligit factum, alterius placandi causa susceptum; negamus ex placatione, quæ huiusmodi præstatione fit, protinus veram satisfactionem concludi. Potest enim quispiam tali etiam facto placare alterum, quod culpam aut injuriam nullo modo æquet aut compenset. An non, ut supra diximus, pœnitentia, eleēmosynis, aliisque pie factis ira Dei placari potest? quæ tamen nullo pacto peccata compensant, aut pro iis vere satisfaciunt. Ex quibus exemplis apparet, ne pœnam quidem veram ex placatione aut præstatione huiusmodi concludi, nedum veram, quam Socinus intelligit, satisfactionem. Idem responsum volumus de liberatione debitoris à pœna commerita, quæ præstatione fiat aliqua. Istud alio detortum est à Grotio, quod dixit Socinus *redimi aliquem posse, qui nihil debeat*. Neque enim hinc concludit, quod illi tribuit Grotius, eum etiam redimi posse citra solutionem: (addit enim Grotius verba illa: *ac proinde citra solutionem*:) sed, aliud esse æs alienum pro altero dissolvere, aliud pretium redemptionis pro eo dare. Cujus enim, inquit, æs alienum dissolvitur, is vere ejus pecuniæ debitor erat. Qui vero pretio redimitur, fieri potest ut id pretium non deberet; utpote qui injuste captivus detineretur. Dicit autem hæc imprimis propter adversarium suum Covetum, qui scripserat, redimere esse debitum solvere creditori ejus nomine, qui solvendo non erat, sicque satisfacere creditori. Neque sane potuit eo loco id concludere Socinus, quod ei tribuit Grotius: cum is redemptionis vocem ibi adhuc proprie sumat. Unde Grotius ipse Redimendi verbo addit vocem *vere*. Redemptionem autem proprie dictam sine solutione fieri non posse, Socinus ipse contendit. Neque vero id, quod dixit, est à re nostra alienum, ut Grotius affirmat. Nam nec nos iis, à quibus, seu ex quorum veluti manibus redempti sumus, quicquam revera debebamus, sed ab iis injuste detineri censebamus, præsertim postquam Deus nos liberari voluit. Nihil enim debebamus peccato, morti, Satanæ. Deo multum debebamus: sed ex hujus manibus, redempti non dicimur; quia is jus suum persequi noluit, sed liberationi nostræ adeo studuit, ut pretium ipse impenderet. Itaque in hac redemptionis metaphora (a) nos non consideramus revera ut debitores, quod, ut satisfactionem evincat, Grotius (b) hic sumit. Nec vero Socinus propterea placationem iræ divinæ, & redemptionem proprie dictam (nam redemptionem veram, quæ falsæ aut imaginariæ opponitur, ipse agnoscit, & grato animo amplectitur) sustulit, ut satisfactionem tolleretur, cum placatio iræ divinæ sine satisfactione subsistere possit, redemptio proprie dicta Origenis, Ambrosii & Augustini sententiam ferre magis sit probatura, quam Grotii, aut aliorum de satisfactione Deo præstita placitum: sed quod nihil horum ex Sacris Literis doceri posse, imo ab iis satis aperte refelli videretur, & divinæ gratiæ hæc

(a) Vid. inf. (b) Cap. 9. Partic. 5.

dogmata, eo præsertim, quo accipi solent, sensu vehementer officerent, ac salutis per Christum partem rationem obscurarent ac perverterent.

Sed videamus, quomodo Grotius obiter Partic. 42, ut ait, in alia quædam animadvertat, quæ Socinus, non quidem dum argumentum tractat redemptionis, ad hoc tamen argumentum pertinentia, alibi disseruerit. Primum est, *quod præter vocem in Sacris Literis nihil aliud velit significare, quam Dei interpretem*. At Socinus non simpliciter Dei interpretem ea voce significari asserit, sed talem, quo Deus ad fœdera cum hominibus pangenda utatur, & per quem populus cognitione voluntatis divinæ instructus ad Deum accedat. Quid hic desiderat Grotius? *Mihi*, inquit, *aliud plane persuadent loci duo: alter 1 Tim. 2. 5. ubi unus dicitur præter Dei & hominum (homo omisit Grotius) Jesus Christus, qui se dedit arbitratorem pro omnibus. Alter vero Hebr. 9. 15, ubi Novi Fœderis præter dicitur Christus, ut morte intercedente, ad redemptionem transgressionum, (adde, quæ sub priori Testamento erant) vocati, vitam æternam adipiscerentur. Quibus merito addatur tertius Hebr. 12. 24. De quo infra agatur. Apparet hic præter quæ statui in ipsa redemptione, aut etiam in ista.*

Ultima hæc verba, in quibus conclusio antecedentium continetur, vel intelliguntur generatim de mediatoris officio, vel speciatim de eo, quod Christo tribuitur. Si generatim, quomodo ex dictis illis, quæ de solo Christo mediatore loquuntur, concludi potest, cujusvis mediatoris hoc esse officium? Quod enim Christus mediator nos redemerit, id ex speciali tum fœderis, ad quod nobiscum Dei nomine ferendum missus fuerat, ratione, tum fœdus illud confirmandi modo, ipsi à Deo injuncto, pependit. Quandoquidem in eo fœdere remissio peccatorum, quæ redemptio vocatur ab Apostolo, omnibus offertur, idque promissum est ejus fœderis maxime proprium, ut cap. 1 docuimus. Speciatim etiam Christo injunctum fuit, ut non animalis alicujus, sed suo ipsius sanguine, seu morte cruenta, fœdus id sanciret, & sic in remissionem peccatorum liberationemque nostram à pœnis, seipsum animamque suam impenderet. Quod si speciatim Christi *πρεσβυτερος* intelligit Grotius, nihil id facit ad eam sententiam convellendam, quod Mediatoris vox nihil aliud in Sacris Literis significet, quam interpretem ac Legatum Dei, ad fœdera cum hominibus pangenda missum, per quem populus cognitione voluntatis divinæ instructus ad Deum accedat; nisi ostendatur, vel huiusmodi interpreti ac Legato non posse convenire redemptionem; vel Christo redemptionem adscribi qua mediator est simpliciter, adeo ut appareat, id ex ipsius *πρεσβυτερος* absolute sumpti natura pendere. Ex quo concludi posset, cum Legati atque interpretis huiusmodi, qualem Socinus descripsit, absolute non sit redimere, Mediatoris nomen aliquid amplius significare quam huiusmodi interpretem. Sed neutrum horum probari potest. Nam quod ad prius attinet, legatus etiam huiusmodi, liberationem à pœnis nomine Dei hominibus offerendo, eamque confirmando, & sic jus ad eam re ipsa obtinendam illis concedendo; ac præterea eosdem movendo, ut conditionem, sub qua liberatio illa promissa est, am-

plexi, eam effectū ipso adipiscantur, eos dici potest redimere; præsertim si eam in rem quippiam magni pretii impendat, atque in primis vitam ac sanguinem suum, quo tempore recte dicetur seipsum, aut animam vitamque suam redemptionis pretium pro illis dedisse. Quod ad posterius attinet, id ex locis citatis non ostenditur. Imo in primo loco qui extat 1 Timoth. 2. ubi postquam dictum esset, Christum esse mediatorem Dei & hominum, additur, *qui dedit se ipsum auitiloutēs pro omnibus*, aliquid potius mediatoris vocis addi videtur, quod ex ea per se non intelligeretur. In loco Hebr. 9. nihil tale dicitur, unde id colligi queat; præsertim, cum non simpliciter dicatur Christus mediator ad redemptionem transgressionum, quæ erant sub priore Testamento, sed *mediator Novi Fœderis seu Testamenti*, in quo redemptio seu expiatio istorum peccatorum offertur: ac præterea à fœderibus ad Testamenta jam tacite transit auctor, & ad ea alludit, ut ostendat, mortem in hunc finem oportuisse intervenire. In tertio loco ne redemptionis quidem vox extat, nec ad eam alluditur, sed manifesta est allusio ad sanguinem illum, quo Moses antiqui fœderis mediator, ac Dei ad populum Israëliticum hac in re internuncius, fœdus istud sanciens resperfit, & hoc pacto eos fœderi veluti adscripsit: cuius rei fit etiam mentio cap. 9. paulo post verba à Grotio citata. Quod si quis velit ea inspicere, & sine præiudicio expendere, quæ de divinis his testimoniis, & mediatoris appellatione Christo tributa disseruit Socinus, deprehendet, uti spero, manifeste, eam vocis illius vim esse, quam ex Socino attulimus.

Quod subijcit Grotius Partic. 43, *vocem non repugnare*, fatemur. Quod vero addit: *Nam ad præiudicium officium non minus pertinet hominum vice apud Deum fungi, quam Dei vice apud homines*: si hoc vult, hoc esse proprium mediatoris cuiusvis, mediatoris, inquam, Dei & hominum, ita ut eum officii ratione necesse sit hominum vice fungi apud Deum; dictum negamus. Satis enim est, ut à Deo ad homines mittatur, & per eum Deus cum illis loquatur, cum iis fœdus pangat, eosque ad se adducat. Si vero id tantum vult, vocis naturam utrique rei accommodatam esse, fierique posse, ut is, qui mediator sit, etiam hominum nomine aliquid apud Deum agat; id illi concedi potest. Sed hoc nihil adversus Socinum, qui usum huius vocis in Sacris Literis, quarum fere propria est, respexit, & non quid fieri possit, sed quid fiat, aut factum sit, revera consideravit. Quanquam mediator possit etiam hominum vice fungi apud Deum, nec tamen interea aliquem redimere, aut Deo satisfactionem pro ipso præstare.

Pergit Partic. 44. *Neque apud ineruditos tantum, sed & apud eos, qui elegantius loquuntur, præiudicium dicitur is, qui placat aliquem. Unde Suidas eam vocem, voce εἰρηνοποιῶς interpretatus est.*

Hoc etiam si concederetur totum, non tamen convelleret id, quod de usu huius vocis in Sacris Literis dicimus, de quo nobis unice hic est laborandum. Sed Grotius proculdubio respexit ad Socini verba, ubi concedit, Christum, quia nos cum Deo conciliabit, & sic stabilem firmamque inter nos & ipsum concordiam constituerit, mediatorem dici posse, sed

non secundum Sacra: Literarum usum, verum vulgari atque imperito loquendi usu, quo factum sit, ut is, qui pacem inter duos quoquo modo conciliet, mediator appelletur. Atque fieri potest, ut, quod imperito loquendi usu receptum fuit, postea usurparetur etiam ab eruditis, qui populo, quem penes arbitrium est ac loquendi norma, in vocibus solent gratificari; aut ipsi eruditi in vocis huius usu, quæ Sacra: Literarum, ut Erasmus ad Galat. 3. annotavit, fere propria est, errarent, eaque significatio, quam in Sacris Literis ea vox habere credebatur, postmodum pro genuina propriaque reciperetur. Nam cum ea vox in sacro codice de Christo prope solo enunciatur aperte, nec desint viri docti, qui negare audeant, Mosi eam appellationem tribui; Christus autem, qui nos cum Deo reconciliasse in Sacris Literis dicitur, ad Deum nobis placandum inter nos & illum veluti medius intervenisse creditus fuerit; facile potuit contingere, ut hæc propria istius vocis, etiam ab eruditis crederetur esse significatio, atque à Scriptoribus Christianis (hos enim Grotium intelligere arbitror) qui elegantius loquuntur, in eum sensum usurparetur. Sed, ut diximus, in eo non multum est firum, modo de usu Sacrarum Literarum constet. Quis autem ille sit, à Socino luculenter factis est ostensum.

Alterum, in quod animadvertere libuit Grotio Partic. 45, est: *Quod dicat Socinus, personæ dignitatem nihil facere ad pœnæ æstimationem, atque adeo divinam Christi naturam, & summam ipsius perfectionem ad pœnæ valorem nihil asferre ponderis. Nos vero, inquit, aliter credimus: nempe pœnam hanc inde fuisse æstimandam, quod is qui pœnam ferebat, erat Deus, etsi eam non ferebat qua Deus. Huc enim spectat illa locutio, qua Deus dicitur acquisivisse Ecclesiam P R O P R I O sanguine, Actor. 20. 28. Quomodo & alibi dominus gloriæ crucifixus dicitur. 1 Cor. 2. 8.*

Satis, ut apparet, fuit Grotio, id ex proluxa Socini disputatione hoc loco excerptum, quod reprehensionem magis videbatur obnoxium, quodque Socinus nec disertis verbis pronunciavit, nec acrius urfit; omissis interim aliis, quæ apud Socinum sunt potiora, & fortius ab eo asseverantur atque urgentur. Ea vero sunt, ubi, concessio eo, quod personæ dignitate pœnæ æstimatio augeatur, nihilominus ostendit, quæ passus est Christus, non æqualasse illa, quæ nos ob peccata nostra pati merebamur, ac proinde divinæ iustitiæ pro peccatis nostris vere non satisfecisse; quia inter hæc & illa nulla fuerit proportio, utpote inter finita & infinita, seu temporaria atque æterna, inter unius & innumerorum supplicia, & qualitate, seu acerbitate atque atrocitate, per se multum dissimilia; præsertim cum ea, quæ passus est Christus, infinito fuerint à Deo compensata præmio, eorumque acerbitas hoc pacto adeo mitigata, ut ea, quæ passus est, pœnarum nomen sustinere nequaquam possint. Quod si quis infinitam personæ dignitatem urgeat, ob quam fiat, ut quælibet levissima Christi pœna cuilibet nostrum gravissimæ æquiparari possit; respondet Socinus, si id verum esset, non opus futurum fuisse, ut Christus tam dira pateretur; & Deum tacite iniustitiæ & immanitatis insimulari, qui, cum levissima Christi pœna iustitiæ

fitiæ ipsius satisfaceret, tam atrox supplicium de eo sumpserit. Hæc, inquam, & alia similia Grotius hic transit. Quod ad istam sententiam attinet: quam Grotius hic expressit, satis indicavit verbis suis Socinus, se magis de ea sententia, qua *levis* viri principis pœna æquiparatur *gravissima* hominis plebeji, dubitare, eamque suspectam habere, quam hanc, quæ ei à Grotio disertis verbis tribuitur, urgere. Tanto autem magis dubitat, cum de pœna à Deo irroganda, idque ex severitatis absolutissimæ præscripto, agitur: cum apud Deum nullum sit personarum discrimen, etiam tunc, cum ejus misericordiæ est locus. Intelligi autem ex Socini dictis facile potest, non de quavis æstimatione ac valore pœnæ ipsum loqui, sed de ea, pro cuius ratione, vi justitiæ, omnino sit minuenda vel augenda supplicii gravitas, etiamsi rigide exigantur pœnæ. Nam cæteroqui salva Socini sententia dici potest, majoris esse valoris virorum dignitate eminentium pœnas, quam obscurorum, quatenus ad exemplum, sceleraque coercenda plus valent: quo pacto contra etiam plus solent nocere scelerum exempla à magnis profecta auctoribus; majusque est crimen, quia major, qui peccat: cum interea tamen supplicii gravitas eam ob causam non soleat mutari; neque quia, si dignior multam solvat, plus id valet ad exemplum, quam si obscurior, ideo hic plus, ille minusolvere debet. Ad istiusmodi autem valorem, quem Socinus intelligit, id tantum facit, quod pœnæ rationem aliquo modo ingreditur, & in quo nocumentum, quod in pœna spectatur, vere consistit. Itaque dignitas ad valorem pœnæ pecuniariæ, aut illius, quæ in corporali afflictione proprie consistit, nihil videtur facere. Unde nec Deus in Lege Mosaica ullam illius rationem habuisse aut haberi voluisseprehenditur. Tum denum vim aliquam habere poterit, si pœna ipsam hominis dignitatem petat, & in honoris diminutione vel tota, vel pars ejus aliqua consistat, ita quidem, ut ex intentione punientis plus sit perditurus dignior, quam indignior, etiamsi alioquin idem uterque patiatur. Dico, ex intentione punientis: quia interdum in aliis etiam pœnarum generibus, cum duobus eadem pœna infligitur, alter tamen altero plus damni patitur, idque non ignorante eo, qui pœnam infligit; ut si tantundem multæ nomine cogaturolvere pauper, quantum dives, aut æque gravem corporis afflictionem corporalem sustinere infirmior, atque firmior; aut alias deterior alterius sit futura conditio: cuius tamen rei non habetur ratio, certe non semper. Isto autem, quem explicuimus, modo, crediderim Socinum non fuisse negaturum, dignitate personæ augeri pœnæ æstimationem, & si proportio justa inter afflictionem corporis & ignominiam queat institui, illi per hanc aliquid posse decedere; posito præsertim eo, quod ob dignitatem tantundem non accesserit gravitati criminis, licet ejusdem, quod indignior commiserit, quantum eandem ob causam accessurum esset pœnæ, si eandem pateretur dignior, quam vilior. Nam si dignitatis ratione tantundem accedit crimini, quantum pœnæ, dignitas non efficiet, ut leviori pœna afficiatur dignior ac nobilior, quam obscurior atque ignobilior. Sed præterea in locis à Grotio de Christo citatis nulla habe-

tur ratio pœnæ. Quare nec æstimationis ac valoris pœnæ, qui ex dignitate personæ pendeat, & vi sua, si quid afflictionis gravitati desit, compenset. Actor. 20. 28, sanguinis eatenus fit mentio, quatenus eo impenso factum est, ut nos Dei populus evaderemus, qui antea ab eo fuerimus alienati. Dicitur enim Deus proprio sanguine *acquisivisse*, h. e. suam fecisse, Ecclesiam, seu homines eos, qui Ecclesiam constituunt. Quamquam Syrus interpres, cujus auctoritatem nobis Grotius in hoc libro semel atque iterum, cum de sensu verborum Sacrar. Literarum ageretur, opposuit, pro voce *Dei*, legit *Christi*, hoc pacto: *ut pascatis Ecclesiam Christi, quam acquisivit sanguine suo*. Nec sane minor, imo major etiam esse debet illius auctoritas, cum de lectionis varietate agitur, quam cum de veritate sensus aut versionis. Suspicionem mutatae in vulgatis codicibus Græcis lectionis, illud etiam movet, quod Beza notat, in quinque exemplaribus legi *κεφαλὴ τοῦ σώματος*: cuius rei causas quasdam affert, sed ut ipse ait, tanquam divinans. Quod si omnino legendum sit *Dei*; licet Christus sit verus Deus, non ipse tamen, sed Pater ipsius fuerit intelligendus. Quoties enim vox *Dei* in Sacris Literis subjective usurpatur, & *Deum* aliquid fecisse dicitur, ut hoc loco accidit, Patrem tantum Domini Jesu Christi designat, nunquam vero ipsum Christum. Unde in eadem hac Pauli oratione, Deus simpliciter nominatus bis apertissime distinguitur à Christo, vers. 21, & 24. Dicitur autem sanguis ille, quo acquisita est Ecclesia, ipsius *proprius*, quia sanguis fuerit proprii illius filii, quem ipse, tanquam agnum suum, ad acquirendam sibi Ecclesiam impendit. *Proprium* enim Sacris Literis significat *omnino suum*, aut simpliciter *suum*. Unde Syrus, quemadmodum habet Tremelli versio, quam paulo ante expressimus, nil habet aliud, quam sanguine *suo*. Dicuntur autem Dei esse etiam ea, quæ cæteroqui aliorum sunt, quia ab eo jure domini possideantur. Quo pacto idem Apostolus dicit, corpus & spiritum nostrum esse Dei 1 Corinth. 6. ult. Ideo autem hoc pacto loquutum fuisse Apostolum censendum erit, ut indicaret, quam chara Deo sit Ecclesia, quam tanto pararit pretio, quantaque pastoribus utendum sit cura, studio & diligentia, in ea pascenda ac gubernanda. Quod si vox *Dei* hoc loco Christum non designat, aut non extare censenda est; non potest hinc ostendi, pœnam, quam Christus sustinuerit, inde æstimandam, quod is, qui eam ferebat, Deus esset, etiamsi tandem pœnæ alicujus hic fieret mentio.

Nec in loco altero, qui extat 1 Cor. 2. 8. mentio fit ullius pœnæ, sed tantum afflictionis Domini nostri Jesu Christi, quem Apostolus *Dominum gloria*, hoc est dominum gloriosum appellat, non quidem quod eo tempore, cum crucifigeretur, reipsa talis esset, sed quod tum, cum ea scriberet Apostolus, talis esset. Quamquam etiam respectu temporis passionis ipsius talis dici poterat, quia talis esset destinatione. Quo pacto dicitur Rex Judæorum, aut Servator Christus Matth. 2. 2, 4. Dominus natus, aut Simeon vidisse Christum Domini Luc. 2. 11, 26. h. e. eum, qui Christus Domini & Rex Judæorum evadere debuit: cum eo tempore, quo nascebatur, aut à Simeone videbatur, talis non esset. Neque vero eo loco

eo loco dominus gloriæ idem est quod Deus, intellige natura & essentia, quemadmodum intelligere videtur Grotius. Christus enim, quatenus est unus ille Dominus, à Deo uno, qui natura talis est, distinguitur 1 Cor. 8. 6, & Dominus ac Christus factus esse dicitur Act. 2. 36. Eum autem in finem ita Christum appellat Paulus, ut magnitudinem sceleris, quod Principes hujus seculi in Christum admisissent, & ignorantiam divinæ sapientiæ, quam illis tribuit, tanto magis ostendat & exaggeret; non vero ut doceat, tanto majoris à Deo æstimatam fuisse pœnam, quod Christus Deus esset, qui pœnam illam sustinisset. Nullum enim, ne obscurum quidem est indicium, quod Apostolum huc respexisse arguat.

Pergit Partic. 46: *Persona quoque totius, hoc est Christi dignitas, non parum ad æstimationem hanc contribuit. Ideo ἡμῶν in Scriptura dicitur sanguis domini* 1 Corinth. xi. 27, *sanguis Christi* Hebr. 9. 14, *sanguis Jesu Christi filii Dei* 1 Joh. 1. 7. *Venit in eandem æstimationem & perfectissima Christi innocentia ac sanctitas. Hinc pretiosus dicitur sanguis, ut pote agni inculpati* 1 Petr. 1. 19, *allusione facta ad morem, non Hebrais tantum, sed & gentibus receptum, ut sacris adhiberentur pecudes candore præstantes &c. Eodem & ista pertinent: Justificabit servus meus justus* Esai. 53. 11. *Eum qui peccatum non novit, fecit peccatum* 2 Cor. 5. 21.

Sed primum cur dicit Grotius, *Persona quoque totius, hoc est Christi dignitatem* non parum huc facere? an id non pertinet ad totius personæ seu Christi dignitatem, quod in loco modo excusso Paulus Christum *Dominum gloriæ* appellat? an quod 1 Cor. xi. Christus simpliciter appellatur dominus, ad totam personam seu Christum pertinet, quod vero cap. 2, ejusd. Epist. *dominus gloriæ*, hoc est gloriosus dicitur, non ad totam personam seu Christum, sed ad partem tantum, seu naturam ejus aliquam spectat? Unde hoc Grotio constat? Dominum aut Deum esse non nisi personis conveniunt qua talibus, non naturis, quæ personæ non sunt. Propria enim sunt earum tantum substantiarum primarum sive singularium, quæ intellectu sunt præditæ. Hæ vero personæ sunt. Sed deinde, quid dignitas ista, quæ locis à Grotio citatis exprimitur, pertinet ad æstimationem pœnæ, cum nulla istis in locis fiat pœnæ mentio. 1 Cor. xi. 27, ideo vox *Dominus* apponitur voci *sanguinis*, ut ostendatur, quam grave sit illius peccatum, qui panem illum Eucharisticum indigne comedat, & poculum domini bibat: quia Domini sanguinem, qui ibi adumbratur, & pro quo gratiæ Deo ac Christo agendæ sunt, eo facto, quantum in se est, profanet, & communem ac vulgarem judicet. Eandem ob causam ibidem poculum, *poculum Domini* emphatice vocat, ut à vulgari fecernat, & haudquaquam indigne usurpandum ostendat. Hebr. 9. 14, sanguis Christi, tanquam sanguis victimæ consideratur, quod nullam pœnam proprie dictam arguit. Deinde, non tam in voce *Christi*, quæ personam, cujus hoc nomen sit proprium, simpliciter significare potest, ut alibi sæpissime, hoc loco videtur esse emphasis, quam in sequentibus: *qui per spiritum aeternum obtulit se irreprehensibilem Deo. Qui-*

bus verbis Domini Jesu immortalis vita significatur, per quam fit, ut non modo spe firma immortalitatis concepta repurgemur ab ipforum peccatorum sordibus, verum etiam ipse Christus in perpetuum pro nobis intercedere possit, & peccatorum nostrorum pœnas auferre. Vide cap. 7, ejusd. Eph. 5. 16, 24 & seqq. Johannes 1 Epist. 1. 7, sanguinem Christi partim ut sanguinem victimæ, partim ut sanguinem Fœderis considerare videtur. Qua in re nulla pœnæ habetur ratio. De loco Petri jam ante sat copiose actum est, unde constare potest, nec ibi pœnæ haberi rationem. Verba Esaiæ cap. 53. 11, loquuntur de re, quæ mortem Christi esset consequutura: nec simpliciter ibi dicitur: *Justificabit servus meus justus multos*, ut Grotius citavit locum, sed expresse additur, eum id facturum *scientia sui*, non pœna, quam pro illis sit laturus. Justus autem ideo ibi dicitur Christus, ut eo ipso tacite indicetur, quale futurum esset ejus semen, de quo Propheta proxime fuerat loquutus, seu quales futuri essent, quos Christus scientia sui justificaturus esset, (hi enim iidem sunt semen illud Christi) nempe justi, quemadmodum ipse Christus justus est. Unde intelligi vult, eos merito Christi semen fuisse appellatos. Simili enim ratione de Deo argumentatur Johannes 1. Epist. 2, ult. De loco 2 Cor. 5. 21, actum * est cap. 1, fuse, ubi ostensum est, pœnæ proprie dictæ nullam ibi fieri mentionem. Quapropter nec descriptio illa Christi, *qui peccatum non novit*, ad æstimationem pœnæ affertur, sed ad ostendendam magnitudinem charitatis erga nos divinæ, quam ex morte Christi ostendere vult Apostolus.

Subjicit Grotius: *Quod autem Socinus argumentatur, quia divinitas ipsa non patitur, ideo hanc in pœna considerationem non venire, perinde est ac si dicas, nihil referre privatum an Regem, item ignotum an patrem verberes, quia verbera in corpus dirigantur, non in dignitatem aut cognationem; cui crasso errori jam dudum occurrit Aristoteles.*

At non ita concludit Socinus: Divinitas Christi non est passiva, Ergo in pœnæ considerationem non venit. Sed: Ergo passio ipsius ex eo, quod Deus æternus fuerit, vim infinitam non habet. Cum autem vim nominat Socinus, non simpliciter valorem atque æstimationem, de qua Grotius loquitur, intelligit, sed virtutem atque efficaciam quandam occultam, quam passio habeat ad satisfaciendum. Distinguit enim ibi manifeste vim à dignitate, & de utraque separatim docet, eam perpeffioni Christi non inesse tantam, ut ea pœnas universas, quas nos peccatis nostris merebamur, compenset. Exempla ergo Grotii, aut instantiæ, in quibus de æstimatione ac valore actionis, non de virtute ejus aliqua, aut vi occulta agitur, ad rem non pertinent. Nec crassum Socino Grotius objecisset errorem, si ejus dicta melius expendisset. Quod si nihilominus putat, rationem consequentiæ in argumento Socini nullam esse, ad ea respondere debuit, quæ Socinus ad illius probationem attulit.

Tandem objicit Partic. 47: *Commune etiam iudicium à Socino dissentit. Nam populi, quorum instituta maxime laudantur, pœnas æstimarunt ex personarum*

* Cap. 1. partic. 60.

dignitate, & attributis aliis. Quare ex Romanorum Legibus, quas constat aequitatis esse plenissimas, poena variantur pro conditione personarum, atque ea vera aequalitas creditur, si inaequales inaequalia patiantur. Quod probat legibus ex Jure Romano allegatis; neque aliter statuisse gentes alias sapientiae nomine celebratas, ab aliis abunde demonstratum asserit.

Quatenus Socinus vel negare, vel admittere videatur, poenas aestimari ex personarum dignitate, antea diximus. Quod si aliter sentit Grotius, & Leges institutaque gentium nobis opponit; nos illi longe justius Leges Mosaiicas opponimus, in quibus discrimen illud neglectum fuisse apparet. Aequum enim est divina praeferre humanis, ea, quae omni iniquitatis suscipione carent, iis, in quae suspicio illa cadit: idque hic tanto magis, quod de poena à Deo inflictæ quaeritur.

RESPONSIO

Ad Cap. IX. quod inscripsit Grotius:

Quid sit Christum pro nobis esse mortuum.

Scribite igitur Grotius Partic. 1: *In tertia classe posuimus ea testimonia, quae subrogationem indicant, ut cum Christus dicitur pro omnibus mortem gustasse* Hebr. 2. 9, *mortuus pro populo* Joh. XI. 50. *Passus pro nobis* 1 Petr. 2. 21, *pro nobis impiis & peccatoribus mortuus* Rom. 5. 7, 8, *unus pro omnibus mortuus* 2 Cor. 5. 14. *Receptum est in omni lingua, ut cum aliquis aliquid fecit aut passus est vice ac loco alterius, id pro illo passus aut fecisse dicatur. Sic apud Terentium est: Pro illo te ducam: Ego pro te molam. Neque hac phrasís personis tantum accommodatur, sed & rebus. Dicitur enim hoc pro illo dari, poni, haberi, quod ejus vice ac loco datur ponitur, aut habetur.*

Hic ne verborum ambiguitas cuiquam imponat, exponenda est primum significatio vocis *subrogationis*, qua Grotius utitur. Subrogatio autem, de qua agimus, nihil est aliud quam substitutio unius in locum alterius; & cum ad personas restringitur, commutatio est personae, re aut statu, sive loco, in quem persona altera reponitur, manente eodem. Hoc si ad perpeffiones transferatur, is dicitur pro altero subrogatus, qui id, quod alteri ferendum erat, ipse sustinet, altero interea ab illa perpeffione liberato. Hoc ipsum significari solet, cum quis *vice* aut *loco* alterius quippiam dicitur perpeffus. In hoc significato si Grotius hæc vocabula sumit, Socino vere contradicit, nec Socino tantum, sed ipsi quoque veritati, cum Christum pro nobis subrogatum, aut vice ac loco nostri passum asserit. Nam id, quod nos pati merebamur, erat mors æterna, quam Christus nec sustinuit, nec sustinere, decreto divino obstante, potuit; & si sustinuisset, nos ab æterna morte non

fuissemus liberati, quæ tamen sola ejus rei suscipiendæ fuisset causa. Vide Actor. 2. 24. 1 Cor. 15. 17, 18. Rom. 4. ult. Ab eo vero, quod Christus passus est, hoc est morte violenta, nos haudquaquam liberati sumus; imo eum in finem Christus est mortuus, ut nos ejus vestigia sequenti, eadem pateremur, & alii pro aliis poneremus animas 1 Petr. 2. 21. Heb. 12. 1, 2, 3. Rom. 8. 17. 2 Tim. 2. 11. 1 Joh. 3. 16. Adde quod ubi vera est subrogatio, is, in cujus locum alter succedit, ipso facto liberatur, aut pati definit id, quod alter ipsius loco facit aut patitur. Alias non in ipsius locum successisset alter, sed una cum illo idem faceret aut pateretur. At nos Christi morte non liberati sumus protinus: imo infiniti homines, pro quibus Christus mortuus est, pereunt, & quidem jure. Sin vero id tantum vult Grotius, Christum sustinuisse aliquid simile ei malo, quod nos ferre merebamur, idque eum in finem, ut nos ab isto malo, quod merebamur, liberaremur, quod nisi factum esset, nos non fuisset liberati, quemadmodum inferius ipse rem hanc explicat; sententiam Socini haudquaquam oppugnat. Fatetur enim id Socinus ultro, lib. 2. cap. 8, quem locum Grotius hic oppugnat, & nos idem tum alibi tum superiori capite docuimus.

Argumentatio autem Grotii, quæ in his ipsius verbis continetur, consequentis fallacia laborat. Ita enim, si ad rem loquutus censeretur, argumentatur: Cum aliquis aliquid fecit aut passus est vice aut loco alterius, id pro illo passus aut fecisse dicitur. Ergo vice versa cum quis dicitur aliquid pro altero passus esse aut fecisse, id vice aut loco alterius fecit aut passus est. Hac enim enunciatione opus est Grotio, si ex eo, quod Christus pro nobis passus aut mortuus dicitur, evincere velit, eum vice aut loco nostro passum aut mortuum: quæ tamen enunciatio universaliter sumpta minime admittenda est, cum particula *Pro* sæpe sumatur aliter, ut fatetur Grotius infra, & nos cap. 1, docuimus. Quod si non tam ex vi particulæ *pro* id velit concludere, quam ex locorum circumstantiis, quomodo id præstet, postea videbimus.

Pergit Partic. 2: *Declinat hanc interpretationem Socinus ambiguitate vocula pro, quæ sæpe utilitatem duntaxat alterius significat: quod de Latina voce verum est, ut & de Græca ὑπὲρ. Sed vocula ἀντὶ, quæ reperitur apud Matth. cap. 20. 28, & Marc. 10. 45, hanc significationem plane repudiat & commutationem requirit.* Id quod aliquot exemplis è Scriptura petitis comprobare nititur. Quibus addit: *Quoties vero personis applicatur ea particula, significat alterum successisse in locum alterius. Sic Archelaus in Judæa regnasse dicitur ἀντὶ Ἡρώδου τοῦ βασιλέως, hoc est ipsi in regnum successisse* Matth. 2. 22. *Sic Petrus jubetur dare staterem pro se & Christo* Matth. 17. 27, *quia ipse unus in actione duorum vicem sustinebat. Neque aliter apud profanos scriptores εἰς ἀντὶ τοῦ αἵματος, & similia.*

Commutationem nos una cum Socino in hoc negotio agnoscimus, eamque aliqua ratione duplicem. Altera ea est, quam paulo ante explicuimus, subrogationi similem: estque commutatio personæ patientis, perpeffionis tamen genere, seu mavis specie, simul mutata. Quamquam nec commutatio personæ in-

næ intelligitur actu ipso quoad nos facta, sed intentione Dei ac Christi. Quia nos actu ipso, cum Christus mortem temporariam subiit, liberati à morte æterna non sumus, sed in eum finem Christus mortem illam subiit, ut nos ab hac liberaremur. Atque hanc commutationem Socinus particula *ὡς*, iis in locis, ubi Christus pro nobis mortuus dicitur, significari haud negat, vel saltem id, quod re ipsa idem est: ut cum dicit, salutis nostræ æternæ causa Christum esse mortuum: (neque enim, ut infra dicitur explicatius, omnibus in locis, ubi de morte Christi pro nobis suscepta sermo est, necesse est commutationem illam insignite intelligere) etiam si dicat, eam particulam ibi non significare *vice* aut *loco*. Particulas enim illas *vice* aut *loco* eo modo accipit, quo nos paulo ante indicavimus, cum de subrogatione egimus. Neque refert, quod interdum generalioribus vocibus in explicanda particula istius significatione utitur: ut cum dicit, ea causam finalem, aut utilitatem significari, aut *pro nobis* esse nostri causa; cum Sacræ Literæ quoque interdum laxiorem suam naturam voculam pro ea substituant, nempe *propter*, eodem manente sensu. Conferantur inter se loci similissimi Rom. 14, 15, & 1 Cor. 8. 11: quod enim in priori dicitur, ne cibo tuo illum perduto *pro quo* (*Christus mortuus est*): id in posteriori ita effertur, & peribit infirmus frater ob tuam scientiam, *propter quem* (*Christus mortuus est*). Sed cum paulo specialius ac plenius vim illius particulae explicat Socinus, satis indicat, ejusmodi commutationem, qualem expressimus, sese in hoc negotio agnoscere, & eam, præsertim in quibusdam locis, ubi circumstantiæ magis id requirere videntur, ea particula significatam ostendit. Nam præterquam quod sub initium fere ejus capitis, in quo de ejus particula vi disputat*, ait: *Is vere & proprie pro aliquo mori videtur, qui morte sua illum in vitam conservat. Christus morte sua ex morte æterna nos eripuit, & in sempiternam vitam transtulit*; idem apertius docet, explicans verba Cajaphæ Joh. xi. 50, de Christo pronunciata. Ait enim, *eum nihil aliud sibi voluisse, quam cum aut ipsi perituri essent, si Christum vivere permitterent, aut Christus occidendus foret, si ipsi salvi esse vellent, satius esse Jesum solum mori, & universum populum conservari, quam universum populum perire, & Jesum ipsum vivere*. Et addit: *Atque hac Cajaphæ mens optime per typum ad salutem nostram accommodari potest. Nam cum non nisi morte Christi interveniente, nos salvi esse possemus, satius fuit ipsum mori, & nos omnes servari, quam ipsum vivere, & nos omnes perire*. Et quæ sequuntur. Altera commutatio, quam in hoc negotio agnoscimus, etsi cum hac, quam modo diximus, quod ad rem ipsam attinet, eadem est; ratione tamen quadam ab ea est diversa. Est autem ejusmodi, qualis esse solet inter pretium, & rem personamve illam, quæ emitur, aut redimitur: ubi pretium datur, & res personave illa vicissim recipitur. Pretii enim non est subire conditionem similem ei, quam persona empta aut redempta fuisset subitura, quod in priori commutatione significatur. Atque hæc posterior commutationis ratio intelligitur in duobus istis, quos Grotius ex Matthæo & Marco citat, locis, in quibus

* Libr. 2. cap. 8,

est particula *ὡς*: idque Socinum agnovisse, verbis ipsius superiori cap. citatis ostendimus, & paulo post denuo ostendendum erit. Subrogationem veram, à nobis antea definitam, quæ commutationis species est, iis locis non intelligi, Socinus ea docuit ratione, quod alias oportuisset animam Christi captivam remanere. Captivitas enim perpetua erat, seu mortis æternæ servitus, ex qua nos Christus redemit. Quare si anima Christi in locum nostrum vere fuisset substituta, hanc captivitatem ac servitutem, eam subire necesse fuisset. Neque vero admittendum est, quoties vox *ὡς* personis applicatur, eam significare, alterum successisse in locum alterius, eique subrogatum esse. Nam, ut superiori etiam cap. docuimus, cum captivi inter se permutantur, datur unus pro altero, *ἕκαστος ὡς ἑτέρου*, nec tamen alter in alterius locum succedit, hoc est, vice alterius captivus evadit, sed uterque liberatur. Atque hoc imprimis tum accidere censendum est, cum eadem est personarum & rerum aliarum, quæ pro personis dari solent, ratio, quemadmodum in redemptione captivorum accidit. Perinde enim est, si pretium, si captivus pro captivo reddatur. Pretium autem commutatur quidem cum captivo, sed ei non subrogatur. Deceptus videtur Grotius eo, quod putavit, in locis controversis agi de commutatione inter ipsum Christum & nos, quasi sensus sit, Christum, cum nos animas nostras essemus daturi, loco nostri suam animam dedisse. Atqui verba unumquemque satis monent, commutationem hic indicari inter *ἀντὶ*, quod est anima seu vita Christi, & inter nos tanquam captivos: commutationem, inquam, inter rem & personas: qua ratione etiam sanguis Christi, per quem nos Petrus ait redemptos, eaque in re illum cum argento & auro comparat, posset dici datus *ἀντὶ πολλῶν*. Quis vero dixerit, aurum & argentum pro captivo, sanguinem Christi pro nobis subrogatum, aut in locum nostrum successisse? Atqui hac in parte similes sunt hi loci ei, quem Grotius adduxit ex Matth. 17. 27, ubi Petrus jubetur dare staterem pro se & Christo. Neque enim, ut Grotius arbitratus est, vera subrogatio per particulam *ἀντὶ* significatur, quasi Petrus in suum & Christi locum fuerit substitutus & subrogatus, (quis enim loco sui ipsius subrogatur?) sed commutatio quædam indicatur inter rem dandam & inter personas, hoc est inter staterem, & Christum ac Petrum. Est enim ibi sermo de pecunia ea, qua redimi solebant animæ Israelitarum, de qua legimus Exod. 30. 12 & seqq. ut Socinus de vi particulae *ἀντὶ* disputans innuerat. Quanquam, si Beza credimus, ne hoc quidem est necesse, ut *ἀντὶ* hoc loco vim suam consuetam ac propriam retineat: quia possit idem simpliciter significare quod *ἐνεκα* vel *ὡς* id est *causa*, *pro* aut *propter*. Sic namque ad hunc locum notat: *Pro, ἀντὶ, id est, ὡς. Nam proprie ἀντὶ τοῦ significat loco aut vice alicujus. Quod ita accipiendum est, ac si dixisset, ἀντὶ hic non sumi proprie, sed pro ὡς: quod sequentia indicant. Nam hoc non contentus, videre lectorem jubet locum Marc. 10. 45, cui respondet ille Matth. 20. 28, de quibus testimoniis hic agimus. Ibi vero Beza duplicem significationem particulae *ἀντὶ* agnoscit, priorem eam, quam vult Grotius; alteram eam quam Grotius repudiat. Ac de posteriori quidem sic scribit. *Vel**

pro multis, id est, multorum causa, ut *ἀντὶ* pro *ὑπὲρ* vel *ὑπὲρ* ponatur: veluti cum dicimus *ἀντὶ* *αὐτοῦ*, id est, *ὑπὲρ* *αὐτοῦ*, quomodo etiam accipitur Matth. 27. 27. Qua in re alios quoque viros * doctos Bezæ video assentiri, qui & in his, & in aliis quibusdam locis *ἀντὶ* pro *ὑπὲρ* accipi, & commodum utilitatemque significari scribunt, & contrarium ejus, quod Grotius hic ad eo urget, sentiunt: non sine probabili ratione, quam Bezæ attulit, quod *ἀντὶ* pro *ὑπὲρ* interdum sumatur, id quod etiam in Sacris Literis occurrit. Nam præterquam quod voculæ *ἀντὶ* *αὐτοῦ*, quas ipse ad hujus rei probationem adduxit, significant propterea quod, seu idcirco quod, Luc. 1. 20. 19. 44. id ipsum quoque demonstrat collatio locorum Matth. 19. 5. & Ephes. 5. 31. Quod enim Matthæus in verbis Moysi à Domino Jesu repetitis dicit *ὑπὲρ* *ὑμῶν*, id Paulus reddit, *ἀντὶ* *ὑμῶν*. Nec sane aliam ibi significationem habet *ἀντὶ*, quam propter, causa. Dubium ergo est, imo falsum, quod Grotius ait: vocem *ἀντὶ* significationem hujusmodi plane repudiare, & commutationem requirere. Quod si ne commutationem quidem necessario postulat, quam tamen nos hic libenter agnoscimus, quomodo subrogationem inde concludet?

Sed ait Partic. 3: *Constrictus hic Socinus, negare non audet illo ἀντὶ πῶς commutationem quandam indicari: sed misere effugium querit. Cum de redemptione agitur, inquit, locus est isti præpositioni ἀντὶ, etiamsi captivus nihil pro redemptione debeat. Verum hoc est, sed præter rem: non enim ex voce ἀντὶ directe inferimus solutionem: sed inde colligimus vice nostra Christum mortuum, h. e. nisi Christus esset mortuus, nos fuisse morituros, & quia Christus mortuus est, nos non morituros morte æterna.*

Ita loquitur Grotius, ac si commutationem hic non libenter agnosceret Socinus, quam agnoscit libentissime. Neque vero Socinus est, qui misere quærat effugium, aut præter rem loquatur, sed Grotius is est, qui prætermisissis iis, quæ Socinus ad ipsius objectionem solvendam attulerat, verba ad aliam quandam objectionem diluendam ab ipso prolata, præter ipsius mentem alio detorquet. Ita enim agit Grotius, ac si Socinus adversariis contendentibus, vocem *ἀντὶ* in hoc negotio subrogationem denotare, responderet: Cum de redemptione agitur, locum esse præpositioni *ἀντὶ*, etiamsi nihil pro redemptione debeat captivus; quo nihil est à mente Socini alienius. Nam primo docet Socinus, non posse in locis Matth. 20. 28. cui respondet ille Marci 10. & Tit. 2. 14. vocem *Pro* vere significare vice seu loco, cum de redemptione in illis agatur. Alioqui enim Christum vice nostra captivum remansurum fuisse: sed causam finalem aperte significare; quod qualem vim habeat in nostra redemptione, per superiora abunde demonstratum ait. Postea subjicit: *Sed instabit fortasse aliquis, & dicet, in Matthæi loco (cap. 20. 28.) esse Græcam præpositionem ἀντὶ, quæ quamvis aliud possit significare quam Vice seu Loco; tamen in similibus locutionibus, ut ista est, Dare animam suam redemptionem pro multis, significet debitum aliquod præcessisse quod persolutum fuerit. Ut apud eundem Matth. cap. 17. Da eis pro me & te. Ubi Pro in Græco est ἀντὶ. Illud enim, quod Christus ibi Petrum dare jubet, debe-*

batur ab unoquoque Israëlita, qui vigesimum annum explevisset, Exod. 30. 13. Sed animadvertendum est (ut alia multa, quæ responderi possent, omittam) in Matthæi loco, de quo controversia est, agi, ut dictum fuit & apertum est, de redemptione, de qua cum quis loquitur, locus est præpositioni *ἀντὶ*, etiamsi captivus nihil pro sua redemptione ei debeat, qui ipsum captivum detinet. Nimirum propter commutationem illam, quæ in omni redemptione fit. Pretium enim redemptionis datur, & captivus recipitur. Et sane in redemptione nostra per Christum facta, licet, ut supra docuimus, metaphorica, hæc commutatio facta est, quod Christus animam suam, ut in loco isto dicitur, dedit, & nos recepit, id est, è peccati servitute liberatos sibi asseruit. Ex quibus apparet, longe aliam fuisse objectionem, ad quam Socinus in verbis à Grotio prolatis respondet, quam fuit ea, quam Grotius hætenus urgit: ad hanc autem Socinum in præcedentibus jam respondisse, quam responsionem Grotius non attingit. Imo in his verbis hoc ipsum, quod Grotius negat, tanquam ab adversario concessum, sumitur, nempe præpositionem *ἀντὶ* aliud posse significare quam Vice & Loco, quod Bezam & alios fateri ac demonstrare paulo ante docuimus. Animadvertendum autem & illud est, non simpliciter asserere Socinum, cum de redemptione agitur, locum esse præpositioni *ἀντὶ*, etiamsi captivus nihil debeat, licet & hoc verissimum sit; sed addere, ei, qui ipsum captivum detinet, quod in nostræ redemptionis negotio non parvi esse momenti, tum superiori capite ostensum est, tum paulo post patebit. Quod vero ait Grotius, ista sua verba, *Christum vice nostra mortuum*, explicans, *nisi Christus fuisset mortuus, nos fuisse morituros, & quia Christus mortuus est, nos non morituros morte æterna*; id nos etiam admittimus, sed ad veram & propriam istorum verborum, quæ explicat, vim id sufficere non arbitramur, ob causas Partic. 1. explicatas, ob quas subrogationem, quam particula *vice* indicari ipsemet vult, in hoc negotio non admittamus. Quod si tamen Grotius omnino contendat, id, quod dixit, ad vim particularum *vice* aut *loco* exprimendam sufficere; jam constare illi potest, nos rem ipsam agnoscere, & se, dum hæc contra nos urget, injuriam nobis facere, dum aliter nos sentire non obscure indicat. Sumimus autem hoc loco pro concessio, Grotium in posteriori verborum suorum parte, quæ est: *quia Christus mortuus est, nos non morituros morte æterna*, conditionem tacite includere, nec simpliciter ea verba intelligere. Ipsemet enim tum alibi, tum in primis cap. 6 docuit, mortem Christi nos ipso facto à pœna non liberare, sed præter ipsius Dei actum, qui ad eam rem sit necessarius, nostram quoque fidem accedere oportere.

Rationem Grotii Partic. 4, quia rem ipsam agnoscimus, præterire possemus, sed ea infirma est. Neque enim vox *ἀντὶ* juncta personæ & verbo *δῶκεν* omnino requirit, ut persona in genitivo indicata, in genere aut specie datura fuerit, quod nunc alius dedit. Falsus nempe est in eo Grotius, quod putavit hujusmodi phrasin semper significare commutationem personarum, quarum altera dare quippiam debuerit, altera ejus loco dederit: cum ea possit etiam significare commutationem pretii & personæ ejus, pro qua illud

dari dicitur. Potest enim persona illa, quæ genitivo casu effertur, habere rationem rei emptæ vel emendæ, & sic instar mercis alicujus, pro qua pretium persolvat quispiam, ut eam vicissim recipiat, considerari. Nam etiam cum de merce seu re emenda est sermo, locus est præpositioni ἀντί, propter commutationem illam, quam diximus, mercis ac pretii; quo pacto in loco supra à Grotio citato Hebr. 12. 16 dicitur, Εσαυ vendidisse jus primogenituræ ἀντί βρώσεως μιᾶς, pro edulio uno. Jam vero in redemptione omni, is, qui redimitur; & qui genitivo exprimitur particulæ ἀντί subjuncto, rationem habet rei emendæ, (inde enim dicitur redimi, & ἔξαγορίζομαι) & catenus ἀντί αὐτῆς dicitur aliquid dari. Quare ἀντί non tam à verbo δέω seu dandi pendet, quasi indicetur, dantis personam commutari, quam ex voce λύτης seu pretii, quam Grotius phrasin hanc postea repetens omittit; cum tamen hæc & ordine verborum & sententia ita cohæreant, λύτης ἀντί πολλῶν, h. e. pretium redemptionis pro multis, non vero dare pro multis. Itaque commutatio hoc loco indicatur inter animam Christi, quæ λύτης, illud est, & nos, qui multorum istorum nomine intelligimur; quæ commutatio est non personæ dantis, & ejus, quæ dare debuerat; sed pretii, ac personæ redemptæ seu vicissim receptæ. Potest autem per accidens fieri ut λύτης, etiam sit persona, & sic personarum fiat permutatio in redemptione: ut cum captivi inter se permutantur ab hostibus; quorum tamen alter non dat aut patitur id, quod alter daturus aut passurus fuerat, sed uterque liberatur.

Quod subjicit Partic. 5. *Neque refert, jurene ut in nexo ob debitum, an injuria, ut in capto à prædonibus, id nihil adversus Socinum facit, ut antea vidimus. Quod vero ait: Hoc posuo, futurum scilicet ut nos morte afficeremur, ni mortuus esset Christus, solutionem deinde recte colligi ex ipsa rei natura; id nos negamus. Nam quod ad istius rei probationem affert, rem non conficit. Id vero est: Aut enim injuria eramus morte afficiendi, aut jure. Non injuria, mortem enim commeriti eramus. Jure igitur. Si jure, eramus igitur mortis debitores. Ab hoc debito liberationem nobis Christus impetravit aliquid dando. Dare autem aliquid, ut per id ipsum alter à debito liberetur, est solvere aut satisfacere.* Id enim, quod ultimo loco sumit, verum non est, nisi ei ipsi detur, cui debetur, vel (quod eodem recidit) alicui alii, ipsius nomine aut jussu; & id, quod datur, vere debitum illud compenset. Alias enim dari sive impendi potest aliquid, ut per id alter à debito liberetur, quod tamen nemini solvatur, nedum ipsi creditori; aut sua vi debitum nequaquam compenset, adeoque satisfactionem veram haudquaquam arguat. Nam ut de posteriori prius dicamus, potest quis dare alicui id, quod alioquin ipsi debuisset præstare, etiamsi alterum illud debitum, à quo liberari cupit, non extitisset, adeo ut debitum istud præstatione illa nequaquam compenset; fieri etiam potest, ut inter id, quod datur, & debitum, nulla sit vera proportio, aut id, quod datur, abunde compensetur à creditore, adeo ut ea ratione nihil ipsi accedat, cum tantundem, quantum acceperat, reddiderit, vel etiam longe amplius. Quod ad prius attinet, potest dari quippiam atque impendi in libe-

rationem alterius, vel ut per id spes certa liberationis fiat debitori, & sic jus illi acquiratur ad eam conditione præstita obtinendam; vel ut id existat, unde creditor liberationem à pœna voluit pendere, quale est in hoc negotio, partim æternum Christi regnum ac sacerdotium; partim fides atque obedientia nostra, quæ conditio est ad liberationem actu obtinendam necessaria. Atqui hujusmodi datio vel impensa ad liberationem alterius à debito comparata, solutio non est nec satisfactio vera, de qua disputamus. Alioqui frustra Grotius satisfactionem nobis hoc libro conaretur ostendere: cum nos istiusmodi dationem atque impensam ultro agnoscamus, neque in voce satisfactionis difficiles simus. Non commemoro illud, quod possit aliquid dari alii cuipiam præter creditorem, qui postea, quacunque tandem ratione, à creditore liberationem à debito impetret alteri. Quod si Grotius vim ponit aliquam in vocibus illis, ut per id ipsum alter à debito liberetur, quibus significare velit, tale se impendium intelligere, per quod statim, nulla alia re accedente aut interveniente, liberatio consequatur; ne alia quædam ex dictis nunc repetam; tale fuisse impendium istud, quod ad liberationem nostram intervenit, ne ipsius quidem Grotii sententiæ satis est consentaneum, sed multo minus veritati. Qua de re diximus nonnihil paulo ante Partic. 3. & cap. superiori Partic. 35. Animadvertendum autem hoc loco etiam illud est, quod superiori cap. jam indicavimus, etiamsi mors, à qua nos Christus anima seu vita sua data liberavit, sit debitum: eam tamen in redemptionis nostræ negotio ad quod respicit phrasin δέω ἀντί πολλῶν apud Matth. & Marcum, quam hæctenus urget Grotius, non considerari revera ut debitum, sed per proso- popœiam quandam sustinere partes ejus hostis, qui nos captivos tenuerit, & ex cujus potestate fuimus pretio liberati. Quare creditor, cui nos mortem illam proprie debuerimus, in considerationem hic non venit, adeoque nec solutionis aut satisfactionis ipsi præstitæ habetur ratio; quemadmodum nec ibi, ubi de redemptione ex servitute peccati, cujus nullus est creditor, nec nos debitores, sermo est, ex qua tamen eodem sanguinis Christi pretio liberati ac redempti sumus. Ex quo apparet, illud nullam hic vim habere, quod Grotius absque necessitate probat, nos mortis debitores fuisse, h. e. nos mortem debuisse (ita enim ejus verba capio, non vero ut significant, nos morti quippiam debuisse, quod falsum foret & absurdum) neque illud, unde hoc deducitur, nos jure fuisse morte afficiendos; licet id alioqui verum sit. Postquam enim Deus jure suo, quod habebat ad mortis pœnam nobis irrogandam, sub conditione cessit, atque ut ea conditio existeret, & sic nos à morte liberaremur, vehementer desideravit, omniaque eo pertinentia fecit, ac filium suum charissimum eam in rem impendit; mors recte considerari potuit citra rationem debiti aut pœnæ, quam Deus jure suo esset repetiturus, & spectari tanquam hostis quidam noster, imo etiam Christi, & ipsius Dei, qui nos per injuriam jam detineat, quatenus nimirum Dei desiderio, salutis nostræ sempiternæ incumbens, adversatur. Quod si quis nolit concedere, morti in hoc negotio tribui partes personæ

nos detinentis, sed ipsius potius captivitatis, è qua fuerimus exempti, rationem habere dicat; vel nihil hac in parte erit, quod personæ captivum detinenti respondeat, metaphora atque similitudine minus plena; vel Peccatum, cujus stipendium ac merces, quod mancipiis suis persolvit, mors est Rom. 6. 16, usque ad fin. cap. 7. 14, ejus personæ locum occupabit; cum ejus servi, eique venundati fuisse in Sacris Literis dicamur Hebr. 2. 14: vel denique is, qui mortis, seu mortiferum habet imperium, h. e. Diabolus, qui nos per peccatum in mortis vinculis detinuit, quem Christus per mortem suam abolevit, & hoc pacto ex illius servitute & captivitate nos exemit. Quare cum & ab initio cap. 8. & alibi concessimus, redemptionem nostram esse liberationem à pœna commerita, materialiter, ut in Scholis loquuntur, pœnam commeritam accepimus, non formaliter, h. e. rem ipsam intelleximus, quæ pœnæ rationem haberet, nempe mortem, non tamen eatenus, quatenus pœnæ rationem proprie habet. Concidit jam illud quoque, quod hic pro concessio sumpsit Grotius, Christum liberationem à debito nobis impetrasse aliquid dando, impetrasse, inquam, ab eo, qui jus habuerit debitum illud exigendi, nempe Deo, cujus nomen hic libenter reticet Grotius, ne is creditor esse videatur. Atqui istius rei in redemptionis nostræ metaphora per se non habetur ratio, etiamsi tandem Impetrandi verbum eo sumas sensu, quo Socinus quoque fateretur, Christum nobis liberationem à debito morte sua à Deo impetrasse. Sed id prorsus admittendum non erit, si verbum hoc strictius sumas, prout Grotius accipit, ut significet, movere quempiam ad decretum, liberationis verbi gratia faciendum, aut quippiam, licet sub conditione, promittendum. Hoc enim modo Christum non impetrasse nobis à Deo liberationem à debito nostro, ex ipsa redemptionis nostræ ratione, & phrasibus, quibus Scriptura in eo negotio utitur, ostendimus cap. superiori Partic. 11.

Quod concludit Grotius Partic. 6: *Commutationem ergo illa locutio ἀντὶ τοῦ καὶ veram indicat, ut semper: non metaphoricam*, id eo, quem Partic. 2. explicuimus, modo fatemur. Quod vero addit, *quam*, scil. metaphoricam commutationem, *Socinus sine exemplo comminiscitur*; id quomodo verum sit, non videmus, nisi forte ea ipsa commutatio metaphorica est, & sine exemplo, quam supra Partic. 3. ex Grotio attulimus, & Socinum agnoscere docuimus. Alluditur quidem in verbis illis, in quibus commutatio ista per particulam ἀντὶ exprimitur, ad commutationem aliam similem, h. e. ad eam, quæ in redemptione proprie dicta fit; sed interea tamen ea ipsa commutatio, quæ intelligitur, vera esse potest. Neque sane arbitror ideo eam metaphoricam dicere Grotium, quia nemo λόγος pro nobis impensum acceperit, cum ipse quoque id nolit, quemadmodum cap. superiori claris verbis docuit; ac præterea nihil impediatur, quominus alia ratione commutatio inter nos & pretium pro nobis impensum fuerit facta, ut ex Socini verbis supra patuit: neque etiam ideo, quia nostra liberatio non fuerit ipso actu Christo in mortem dato, consequuta, & sic commutatio ex nostra parte non protinus perfecta, sed intentione

tantum Dei ac Christi: cum ipse quoque statuat, mortem Christi nos ipso facto non liberasse, quod res ipsa etiam satis docet. Imperfectionem id potius commutationis, quam metaphoram arguere videtur.

Pergit Grotius Partic. 7: *Ad alteram præpositionem ὑπὲρ quod attinet, primum notandum est illam quoque non quidem semper, at sæpe idem valere quod ἀντὶ. Optat Paulus ἀντὶ τοῦ ἵνα ἡμεῖς ὡς ἀδελφοί, h. e. vice Judæorum, quos aliqui perseverantes in incredulitate sciebat futuros ἀντὶ τοῦ Rom. 9. 3. Apostoli ὑπὲρ πάντων ἡμῶν, h. e. legati sunt ipsius Christi vice, 2 Corinth. 5. 20. Quare cum ἀντὶ necessario commutationem designet, ὑπὲρ autem pro eodem poni nonnunquam soleat, quid vetat vocem notationis dubiæ ex certa interpretari, præsertim cum de eodem argumento agitur. Inprimis vero eam interpretationem videtur requirere locus ille 2 Corinth. 5. 14. Si unus pro omnibus mortuus, omnes ergo mortui.*

Præpositionem ὑπὲρ nonnunquam idem valere quod ἀντὶ, & sic commutationem significare concedimus: verum ea commutatio non semper est subrogatio, quam particula vice solemus exprimere, sed talis, qualem Socinus in hoc negotio agnoscit. Quare nihil erat necesse in eo laborare Grotium, ut ostenderet, commutationem designari voce ὑπὲρ, sed id demonstrare debuit, de quo est controversia, subrogationem hic intelligendam. Etiam si autem commutationem ubique possemus salva sententia nostra agnoscere, ubicunque de morte Christi pro nobis suscepta sermo est, ut sane rem ipsam, in qua commutationis illius vis consistit, ubique agnoscimus: non tamen est necesse, ubique Sacras Literas ad eam respexisse. Nam quod attinet ad rationem ex particula ἀντὶ ductam, quæ in hoc eodem negotio usurpetur, ea ideo infirma est, quia ejusmodi commutatio, qualem loci ii postulant, in quibus vocola ista de morte Christi pro nobis suscepta usurpatur, non potest aut debet omnibus in locis, ubi Christus dicitur mortuus ὑπὲρ ἡμῶν, intelligi; imo præter locum 1 Timoth. 2. 6. ubi eadem est allusio, quæ in verbis Matth. 20. & Marc. 10. & vox quoque ἀντὶ τοῦ, ex ea particula composita, extat, fortasse nuspiciam. Nam in iis locis, ubi est ἀντὶ, intelligitur, ut vidimus, commutatio non personarum, quarum altera patitur, id quod altera passura erat, sed pretii & captivorum redimendorum, quam ne Grotius quidem in illis locis, ubi ὑπὲρ extat, intelligendam esse contendit, sed commutationem personæ patientis. Itaque ex illis locis, ubi ἀντὶ in hoc negotio usurpatur, non potest constitui, quid in iis fiat, ubi extat ὑπὲρ, nec eadem est in his, quæ in illis, allusio, adeoque nec eadem protinus causa, cur commutatio intelligatur. Quamquam illud quoque jure negari posse vidimus, ἀντὶ necessario commutationem designare, ut ait Grotius, licet id nos in hoc negotio ob locorum circumstantias fateamur. Quod ad alteram commutationem, quæ est personarum, attinet, ne illa quidem ubique videtur insignite intelligenda, præsertim ubi eo modo Christi mors describitur, qui ad id, quod nos pati merebamur, h. e. ad mortem æternam, non ita concinne queat applicari; ut cum Christus dicitur pro nobis mactatus, aut passus

carne, aut pro nobis crucifixus esse indicatur 1 Cor. 5. 7. 1 Petr. 4. 1. 1 Cor. 1. 13; aut alias circumstantiæ loci minus favent: ut cum apud Pet. 1 Petr. 2. 21, pro nobis passus esse dicitur, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus, ubi minus apte commutationis istius fieret mentio. Grotius sane ipse non obscure indicat, alios locos magis, alios minus hanc interpretationem requirere. Quod si quis tamen contendat, ubique eam intelligendam, cum eo nos non contendemus. Ad locum 2 Cor. 5. 14, quod attinet, vellem explicuisset Grotius, cur is commutationem inprimis requirat; idque aliquanto facilius nobis constitisset, si voci ultimæ *mortui* addidisset verbum substantivum, quod per ellipsin omisit. Discrepant enim in eo interpretes, & alii subaudiunt *sunt*, alii *fuerunt* vel *erant*, indeque diverso modo verba illa explicant. Suspicio autem Grotium ita voluisse lectorem accipere ea verba, ac si dictum esset: Si unus omnium loco mortuus est, ergo perinde est ac si omnes essent mortui, morte nimirum ea, quam fuerant meriti. Sed id non expressit, vel ob interpretationis varietatem, vel ne sibi objiceretur, si verba ista, prout sonant, accipiantur, sequuturum, omnes homines ipso facto fuisse liberatos, cum Christus pro ipsis fuit mortuus. Nam si homines omnes eam mortem luisent, quam merebantur, ipso facto fuissent liberati. Quare etiam nunc, cum Christus illorum loco est mortuus: siquidem perinde est; & phrasim *loco omnium* id requirit. Quod si interpretatione aliqua verborum hujusmodi vim mollire voluerit; nos æque commode absque ista subrogatione vim verborum Apostoli explicabimus. Sed quia Grotius mentem suam non explicuit, nos huic rei non immorabimur, sed breviter tantum indicabimus, quis verborum Apostoli verus videatur esse sensus. Explicat Apostolus, quantam in se sui que similibus vim habeat mors Christi, ex summa ipsius erga nos charitate profecta, ad sese adigendum, ut officium suum sedulo faciant, & omnes, ut pristinis vitæ aut religionum diversarum institutis relictis, uni Christo ejusque sanctissimæ religioni addicere se velint, hortetur. Itaque ita ratiocinari videtur Apostolus: Si unus mortem truculentam subiit, ut omnibus hominibus æque salutem æternam pararet; omnes vicissim sibi met ipsis ejus causa mori, pristinaque instituta relinquere debent, seu, ut id faciant tantam causam habent, tamque efficaciter impelluntur, ut id iam pro facto propemodum haberi debeat. Quandoquidem ideo salutis illorum causa mortem tam dīram adiit, ut jam omnes non sibi met ipsis, quales hactenus fuerant, seu prout consueverant, vivant, sed sibi mortui, totam cultus divini vitæque rationem componant ad nutum ac voluntatem illius, qui salutis illorum causa mortuus ad resurrectionem pervenit, & sic vere se illorum salutis causa mortuum esse, eamque religionem, quam ipsis præscripsit, verum esse salutis iter, atque adeo omnibus sequendum, demonstravit. Verbum enim *mortui sunt*, de eo, quid jure fieri debeat, aut de vi & efficacia, non de effectu ipso accipi potest. Quo pacto Rom. 6. 6, ut alibi monuimus, dicitur, *veterem nostrum hominem una crucifixum esse*, nempe cum Christo. Et cap. 7. 4, qui locus huic

nostro valde est similis, quamquam de iis, qui sub Lege vixerant, solis loquitur, sed ad quos in nostro quoque loco, ut ex seqq. Apostoli verbis apparet, inprimis respicitur. Ita vero ibi loquitur Apostolus: *mortificati estis legi per corpus Christi, ut fieretis vos alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructum feramus Deo.* Cui loco adungi ob similitudinem potest ille ad Galatas cap. 2, ubi in sua persona de omnibus sui similibus loquens ait: *ego per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam, cum Christo sum crucifixus: vivo autem non amplius ego, sed vivit in me Christus: quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii Dei, qui dilexit me, & dedit semetipsum pro me.* Vid. etiam Cor. 2. 20. iij. 3. Quamquam in his verbis, præsertim posterioribus, de ipso effectu sermo est. Neque vero insolens est in Sac. Litteris ea, quæ de effectu loqui videntur, de vi & efficacia tantum, aut de eo quod jure fieri debeat, loqui. Id enim ex parte docuit Grotius, cum de reconciliandi verbo ageret. Et ne longe abeamus, ejus rei exemplum habemus hoc ipso loco paulo post 17: *Vetera præterierunt, ecce omnia facta sunt nova.* Vid. etiam Rom. xi. 26. Hebr. 8. 11, ex Jer. 31. Quod vero particulam & in verbis illis, & *pro omnibus mortuus est*, accipimus pro quia vel enim, nemo eorum mirabitur, qui vel Hebraicæ linguæ aliquantulum est gnarus, vel ea, quæ interpretes Sac. Litterarum de hac particula notant, inspexerit. Videat, qui volet, ea, quæ annotavit Beza ad Johan. 2. 13. iij. 13. Rom. 1. 23. 1 Joh. 1. 2. iij. 4, 24.

Quod in sequentibus docet Grotius Partic. 8, etiamsi aperte dictum esset, Christum bono nostro mortuum, non tamen hoc ipso commutationem exclusum iri, id responsione non eget, cum nemo nostrum id velit.

Pergit Partic. 9: *Neque potest hic sensus rejici, quia alicubi Christi factum nobis in exemplum proponitur. Nam ad exemplum sufficit generalem quandam esse similitudinem, etsi differentia sit in modo speciali, cujus tamen mentio fit interdum rei certius denotande gratia. Quod manifesto liquet ex Petri admonitione 1 Petr. 2. 19 & seqq. Vult nos patientes esse in tolerandis afflictionibus, quas insontes patimur. Adfert Christi exemplum: qui inquit & ipse passus est. Satis hoc erat ad comparationem, sed addit, ἵνα ἡμῶν, quod ad comparationem non pertinet, sed rem ipsam, hoc est Christi passionem clare designat. Commune ergo est patientia: modus ille differt.*

Duplici ratione nobis hoc Christi factum in exemplum proponitur, vel quoad rem ipsam, hoc est, perpeffionem afflictionum; vel quoad modum, ut Grotius loquitur, aut potius finem, qui est quod pro nobis id fecerit. Prius fit in loco Petri, quem Grotius hic examinat, & alibi: posterius in loco Johannis 1 Epist. 3. 16: *in hoc cognovimus charitatem, quod ille pro nobis animam suam posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Ex priori locorum genere concludit Socinus, Christum vice nostra non esse passum. Nam si vice aut loco nostro fuisset passus, jam nos eadem mala, quæ ipse perpeffus est, non deberemus ferre. At si Christus ideo passus est, ut nobis relinqueret exemplum patientiæ, quod sequeremur, patet nos obstrictos esse ad eadem ferenda, ipsa

ipsa morte Christi nos monente. Hanc argumentationem non attingit Grotius: sed tamen docet, ibi non proponi nobis modum patientiæ imitandum, sed ipsam tantum patientiam; quasi istud quisquam urgeat. Quod ad locum Johannis attinet, in quo modus etiam ipse nobis proponitur imitandus, ex eo colligit Socinus, phrasin istam, *ponere animam pro aliquo*, non significare, pro altero satisfacere. Cum nos quoque pro fratribus animas ponere possimus, ad exemplum Christi, nec tamen pro illis satisfaciamus, aut satisfacere possimus. Nec hoc attingit Grotius, imo ita loquitur, ac si nuspiam modus facti Christi, qui continetur in verbis *pro nobis*, proponeretur imitandus, sed res tantum ipsa, quod etiam ratio, quam subjungit, indicat.

Subjicit enim Partic. 10: *Alioqui frustra Paulus quaereret, an Paulus pro fidelibus esset crucifixus* 1 Cor. 1. 13. *Poterat enim & ipse pro Ecclesia, hoc est, in usum Ecclesie crucifigi, sicut pati se dixit pro Ecclesia* Col. 1. 24, *& postea magno Ecclesia bono ipse gladio percussus est, Petrus, alique Apostoli crucifixi. Sed eo modo, quo Christus crucifigi, pœnas vice nostra ferendo, nec Paulus poterat, nec alius quisquam. Vox ergo illa pro peculiare hic aliquid denotat, quod Apostolis communicari non potest. Posset autem, si mortis Christi utilitas gradu tantum à morte Apostolorum, non etiam sine proprio segregaretur.*

Cum nos, ut jam vidimus, ad exemplum Christi pro fratribus animas ponere, atque adeo etiam reipsa, si res ferat, mori, ac crucifigi denique possimus; & tamen aliunde colligatur, neminem pro fidelibus crucifigi posse, quemadmodum Christus crucifixus est; necesse est, ut modus, quo nos pro aliis pati aut mori possumus, & quo Christus pro nobis passus ac mortuus est, partim conveniat, partim discrepet; & particula *pro* partim tale quid denotet, quod Christo & nobis omnibus commune esse possit, partim id, quod Christo sit peculiare. Commune est, quod passio ac mors etiam à nobis suscipi possit in aliorum utilitatem ac salutem; atque adeo, ut alter à passione ac morte liberetur: qua in re non tantum utilitas, sed etiam commutatio quædam cernitur, quam in loco 1 Joh. 3. 16, & similibus intelligi vult Grotius, nec nos diffitemur. Differentia rursus in eo est, quod nec primo summa ista utilitas, hoc est, salus nostra sempiterna atque à morte æterna liberatio, ex passione Apostolorum aliorumque piorum pendeat, sed ex passione ac morte Christi, fidei, vitæ ac salutis nostræ ducis; nec ita perfecte cum illa cohæreat atque cum hac. Qua de re, quod attinet ad confirmationem doctrinæ Christi, unde certa liberationis ac salutis spes, & ejus adipiscendæ jus proficiscitur, diximus fusc. cap. 1. partic. 30, quod discrimen indicavit Apostolus ipse, eo, quem Grotius hic citat, loco Col. 1. 24, ubi ait, se adimplere ea, quæ desint passionibus Christi, in carne sua, pro corpore ipsius, quod est Ecclesia, cujus ipse factus sit minister, &c. Christus, qui primus vitam immortalem patefecit per Euangelium, & viam ad eam ducentem promulgavit, primo pro Ecclesia universa fuit passus, cum doctrinæ suæ, Fœderisque Novi in ea comprehensi, confirmandi ac sancienti causa mortem subiit, eaque ratione viam salutis initiavit,

& omnibus ad supremam felicitatem aditum patefecit. Verum istis afflictionibus hac in parte, quod ad gentes attinet, per totum terrarum orbem dispersas, aliquid deerat. Christus enim non nisi ad perditas oves domus Israëlitiæ erat missus, & ad easdem tantum Apostolos suos, cum in terris versaretur, mittebat Matth. 15. 24. Rom. 15. 8. Matth. 10. 5. diserte prohibens, ne in gentium viam abirent; adeoque gentibus salutem ipsemet non offerebat, nec adeo aperte ea de re loquebatur, licet nos nunc, postquam res aliunde patuit, non pauca de ea ab ipso dicta deprehendamus: unde nec post ejus ascensionem statim Apostolis, Spiritu Sancto jam impletis, mysterium istud innotuit. Quare ex eo, quod Christus doctrinæ suæ confirmandæ causa passus est, non ita luculenter ac manifeste patuit, salutem ab ipso promulgatam etiam ad gentes pertinere, & Deum velle ut omnes homines, nulla generis aut status habita ratione, serventur, & ad cognitionem veritatis perveniant; & Christum pro omnibus sese dedisse ἀντίλογον, testimonium, divinæ nimirum erga omnes benevolentiae, temporibus propriis. Unde Apostolus eo, ad quem respicimus, loco 1 Tim. 2. 6, cum ista, quæ retulimus, dixisset, ne quis ea de re dubitaret, sua quodammodo auctoritate id totum confirmat, cum addit: *ad quod possumus sum ego præco & Apostolus (veritatem dico in Christo, non mentior) doctor gentium in fide & veritate.* Deerat ergo aliquid passionibus Christi, quod attinet ad confirmationem Euangelii, quatenus id ad omnes homines spectabat. Hunc defectum supplevit Paulus Rom. 1. 5. xi. 13. Gal. 2. 7, 8, 9. 2 Tim. 1. 11. Ephes. 3. 2, &c. gentium, ut vidimus, doctor atque Apostolus, cui primum munus illud datum fuit, Euangelii hoc mysterium, de amplitudine gratiæ divinæ, per Christum hominibus oblatae, gentibus publice atque aperte annunciandi: qui cum non tantum aliis modis Euangelium suum confirmaret, sed etiam variis afflictionibus, atque inprimis tunc, cum in principe urbe, & totius orbis, gentiumque adeo capite, ob mysterium Christi seu Euangelii vinctus esset, & in catena legatione pro eo fungeretur 2 Tim. 1. 12. ij. 9. Eph. 6. 20; adimplebat id, quod deerat afflictionibus Christi, in carne sua, pro Ecclesia, Ecclesia, inquam, gentium, quæ maxima Ecclesiæ Christi pars censi poterat. Quo pacto alibi etiam pro electis ista se pati scripsit 2 Tim. 2. 10, ut & ipsi salutem consequantur: sed ea proprie ad gentium utilitatem fuisse suscepta, totus Apostoli ad Col. locus, de quo agimus, indicat; & illa quæ præcesserant, verba: nunc gaudeo in afflictionibus meis pro vobis. Quod apertius exprimit ad Ephes. 3. 1, ubi ait: *ego Paulus vinctus Christi pro vobis gentibus.* Et inf. v. 13, *ne deficiatis in afflictionibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra.* Id autem propterea ab ipso dici, quia confirmandi ac defendendi Euangelii causa, ut est ad Phil. 1. 7, 17, cujus præco ad gentes esset constitutus, ista fuerit passus, tum ex iis, quæ hæcenus diximus, colligi potest, tum ex iis, quæ Apostolus in loco nostro ad Col. statim ea de re subjicit v. 25, usque ad finem capitis, & Ephes. 3. à v. 2, usque ad v. 13: ubi prolixa parenthesi declarat, cur se vocarit *vinctum Christi pro gentibus.* Ex quo apparet, in perpeffionibus Christi,

sti, quatenus pro Ecclesia susceptæ sunt, non satisfactionem aliquam aut veram subrogationem spectandam esse, sed imprimis confirmationem Evangelii, & salutis in eo hominibus oblata: siquidem eatenus Apostolus aliquid se adimplere dicit pro Ecclesia, quod desit afflictionibus Christi. Nisi enim eo afflictiones Christi pro nobis susceptæ spectassent, nulla fuisset causa defectum earum hac in re commemorandi. Hac autem in re quandam habuit Paulus præ cæteris Apostolis, quibus Evangelium circumcissionis, seu Judaico populo annunciandum, erat concreditum Gal. 2. 7 & seqq. cui id jam antea Christus ipse annunciarat ac confirmarat, prærogativam, in eaque ad Christum nemo accessit propius. Quantum autem eadem in re adhuc abfuerit à Christo, ex illis constare potest, quæ cap. 1. differuimus eo loco, quem paulo ante notavimus. Ex quibus constare potest, etiamsi passionibus Christi & Apostolorum ratione ultimi finis, qui verbis *ὑπὲρ ὑμῶν, pro nobis*, aut similibus in hoc negotio significatur, inter se conveniant, ratione tamen mediorum ad finem istum pertinentium, seu finium propiorum, multum discrepare. Quidam enim Apostolis plane non conveniunt, quidam imperfecte. Sed præter discrimen illud, quod in confirmatione N. Fœderis, & rebus ex ea pendentibus, atque ad salutem nostram spectantibus cernitur, illud etiam longe maximum est, quod Christus eum in finem fuit mortuus, ut supremam in omnia potestatem adeptus, ac fidelis noster ac misericors Pontifex effectus, peccata nostra in perpetuum expiaret, tentatis nobis ferret opem, divina supplicia à nobis averteret, ac denique ex mortis faucibus ereptos ad beatam immortalitatem nos transferret. Quare non tantum gradu, ut Grotius objicit Socino, sed etiam finibus propriis, nempe intermediis, segregatur mortis Christi utilitas à morte Apostolorum, nec propterea, ut discrimen inter hanc & illam queat constitui, necesse est statuere, Christum nostro loco ac vice mortuum esse.

Partic. 11. Quid ex loco Hebr. 2. 9, 10, colligi debeat, aut à Socino colligatur, ex iis constat, quæ de verbis Petri 1. Ephes. 2. 21, dicta sunt.

Partic. 12. Quid ex loco 1 Joh. 3. 16, colligat Socinus, paulo ante diximus. Patet autem ex eo, modum quoque seu intentionem finis passionis Christi, quatenus ea *pro nobis* suscepta dicitur, nobis imitandum proponi. Imitari autem possumus, etiamsi non prorsus idem præsternus, quod Christus; sufficit ut præsternus id, quod illi simile est. Etiamsi autem ibi non tam actus mortis, quam mortis periculum respiciatur, recte tamen exinde concludi potest, etiam re ipsa nos posse pro fratribus mori: cum facile contingere possit, ut is, qui pro fratre mortis periculum subit, etiam mortem re ipsa oppetat periculo illo oppressus. Et quemadmodum Paulus Col. 1. 24, Ephes. 3. 1 & 13, pro Ecclesia se pati, ac vinctum esse scribit, ita etiam pro eadem mortuus est. Eodem pacto, & alii Apostoli ac martyres. Quæ sit vis verborum *ponere animam*, jam satis luculenter docuerat Socinus ipse in explicatione loci Joh. 10. 11, 15.

Partic. 13. Etiamsi autem in illis locis, ubi charitas Christi morte ipsius ostensa nobis proponitur

imitanda, id quod nobis præscribitur, non solum utilitatem alienam, sed & commutationem quandam contineat; id tamen veram Christi pro nobis subrogationem non evincit, multo autem minus satisfactionem. De satisfactione, quia res est manifesta, nihil dico. De subrogatione patet inde: quia hæc subrogatio vera non est, cum alter ipso malo liberatur, alter ejus mali, aut etiam diversi, periculum tantum adit, interim diligenter curans, ut ipse quoque salvus evadat; ita ut si forte aliter contingat, id, quod ad consilium ejus attinet, per accidens fiat: quemadmodum etiam fieri potest, ut uterque idem malum perpetiatur, tum is, quem alter suo periculo liberare studet, tum is, qui liberare cupit: quod etiam nonnunquam ii, qui tale quid faciunt, non parum verentur. Addimus tamen, etiamsi haud inviti concedamus, in loco Johannis, in quo jubemur pro fratre animam ponere, commutationem quandam intelligi, id tamen non esse necesse: cum possit sola utilitas aliena phrasi illa significari. Patet id ex collatione trium locorum, quos Socinus in margine libri sui notat Joh. 13. 38, & Luc. 22. 33. Matth. 26. 35, quod enim Petrus apud Johannem dicit ad Christum: *Animam meam pro te ponam*: id apud Lucam ita effertur: *Domine tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire*. Et apud Matthæum: *etiamsi oporteat me tecum mori, non abnegabo te*. Quæ sane Lucæ & Matthæi verba nullam commutationem indicant, imo cum commutatione ac subrogatione satis aperte pugnant. Quomodo enim Petrus cum Domino Jesu commutatus, aut subrogatus ei fuisset, si una cum illo fuisset mortuus?

Partic. 14. Quod ad Cajaphæ dictum Johan. xi. 50 attinet, agnoscimus ibi commutationem veram, substitutionem autem non nisi improprie dictam, quam ab initio hujus capituli nos admittere diximus, quamque Socinus explicuit eo, quem Grotius oppugnat, loco, quemadmodum ex ipsius verbis, quæ sup. partic. 2, produximus, constat. Improprietas autem illam substitutionis Socinus eo docuit, quod diversus ibi sit interitus populi Judaici, & Christi, diversaque salus, five Cajaphæ mentem, five vaticinium, quod imprudenti excidit, respicias. Cui rationi adde, quod etiam Christo mortuo populus nihilominus perire potuerit, quemadmodum sane, generatim loquendo, perit. Hæc autem non est vera substitutio seu subrogatio. Quibus illud quoque adjiciendum est, quod Socinus itidem monuit, à Cajapha non consideratum ejusmodi interitum populi Judaici, cui is jam destinatus esset, sed qui tum demum populo foret metuendus, si Christus maneret superstes. Quod hoc loco non exigui est momenti. Nam cum adversarii dicunt, Christum nostro loco mortuum, hoc sibi volunt, Christum loco nostro, qui morti jam fuimus destinati, fuisse substitutum ad mortem ferendam. Qua sententia illis opus est, ad satisfactionem exinde adstruendam. At vero eo, quod jam diximus de sensu verborum Cajaphæ, concessio, id non sequitur; ac proinde nec satisfactio, quam hinc adstruere solent, ex eo recte concluditur. Quid si enim ideo quis moriatur, ne populus aliquis pereat, quia ipso vivente tale quippiam facturus

facturus esset, quo sibi interitum accerferet, cuius rei occasio morte illius hominis præcidi possit, & sic populus servari? an ex huiusmodi substitutione hominis istius pro populo, ulla satisfactio colligi posset? minime. Nondum enim populus ille tale quid admisisse ponitur, ob quod illi sit intereundum, nec quisquam adhuc statuitur, qui eum velit perdere, & cui morte istius hominis sit satisfaciendum, utpote causa nondum existente. Hoc vero ipsum in hoc nostro negotio intelligendum est. Nam si Cajaphæ mentem spectes, ille ita cum suis ratiocinabatur, quemadmodum omnes, ni fallor, agnoverunt: Si Christum vivere permittemus, omnes in eum credent, ut vers. 48. dicitur, h. e. eum pro Messia seu Rege suo, qui eos ex servitute liberaturus sit, agnoscent; quo audito Romani, tanquam adversus rebelles, qui rejecto Cæsare alium nobis regem constituerimus, insurgent, & locum hunc occupabunt, gentemque nostram perdent. Quare ne id fieret, Jesum occidendum putabat, atque ita tanti mali aniam præcidendam. Unde patet, Cajapham, contra quam hic scribit Grotius, primum effectum mortis Christi posuisse circa Judæos, quorum incolumitati consulebat, non circa Rectores Romanos, qui nondum irritati erant, sed irritari à populo, si Jesum pro Rege suo agnovissent, posse credebantur. Primum enim ex morte Christi hoc sequuturum putabat, ne populus in Dominum Jesum crederet, eumve pro Rege suo sibi divinitus promisso, & ad se liberandos misso haberet, imo potius tanquam seductorem quendam averfaretur. Unde alterum effectum circa Romanos putabat emerfurum, ne illi irritati, adversus populum insurgerent, eumque perditum irent. Si mentem Spiritus Sancti respicias, itidem rectissime statuitur, primum effectum mortis Christi futurum circa Judaicum populum, & filios Dei dispersos, nempe ut illi ab errore viæ suæ ad Deum ac Christum converterentur, atque ita fieret, ne perirent, aut à Deo punirentur, causa pœnæ sublata. Liquet hoc ex eo, quod Johannes vaticinium Cajaphæ verbis involutum evolvens, & *inirent* quandam subjiiciens, ita loquitur: quod Jesus moriturus esset pro populo: *Et non pro populo tantum, sed ut etiam filios Dei dispersos congregaret in unum.* Nam cum in posteriori horum verborum membro videretur subjiendum fuisse: *Sed etiam pro filiis Dei dispersis* (ita enim recte procedit hæc imparium comparatio: non pro populo tantum moriturus erat Jesus, sed etiam pro filiis Dei dispersis) Johannes reposuit: *Sed ut etiam filios Dei dispersos congregaret in unum*, h. e. ut Judæos per gentes varias dispersos, vel etiam gentes ipsas ad se suamque Ecclesiam aggregaret, fieretque unum ovile & unus pastor. Dicit enim possunt etiam homines ex gentibus Dei filii, quia eos Deus in filios adoptare decreverit, aut quia aliquo modo apti sint, ut filii Dei fiant, qua ratione alibi Christus eos oves suas alias vocat Johan. 10. 16, quas debeat adducere, ut ita ex Judæis & gentibus fiat unum ovile, seu una Ecclesia Deique populus. Maluit autem Johannes eo pacto, quo loquutus est, verba sua concipere, ut interim non obscure nobis explicaret, quo sensu dixisset, Christum pro populo moriturum: nempe eum ideo moriturum, ut illos

ab errore atque impietate ad se converteret, unde liberatio ab interitu esset consequutura. Id vero morte Christi effectum voluit Deus, & quantum in se erat, effecit. Atque huc pertinent illa apud eundem Evangelistam loca cap. 12. 24, 32, 33. & ille Petri 1 Epist. 2. 24, 25, ut alia prætermittam, quæ alibi sunt explicata. Quare non est quod Grotius hinc concludat, *mori pro populo*, incolumitatem ab altero, nempe Deo, impetrandam significare, adeoque actum hunc Christi prius circa Deum, quam circa homines versari. Imo contrarium satis aperte hoc loco indicatur. Quamquam si ad alios mortis Christi effectus ac fines respicias, ad quos tamen hic per se respici non videtur, nempe ut promissis divinis morte Christi confirmatis obligaretur Deus ad ea nobis præstanda, tum ut Christus hac conditione, quam Deus ipsi fixerat, præstita, potestatem ab ipso adipisceretur populum Judaicum cæterosque omnes Dei filios ab interitu reipsa vindicandi; effectus mortis Christi prius circa Deum, qui conditione præstita promissum aut decretum suum exsequi, & ad supremum imperium Christum evahere debuit, versari statuendum est, quam circa homines, qui per Christum supremam potestatem jam adeptum reipsa servari debuerunt: neque id negat Socinus, quod eum Grotius præfracte ait abnuere. Qua de re non semel dictum est. Nec illud recte à Grotio dicitur, *Socinum urgere, eam sumendam verborum Cajaphæ interpretationem, quæ simul & Spiritus Sancti & ipsius menti respondeat.* Nihil enim aliud Socinus dicit, quam Cajaphæ mentem à se explicatam optime per typum ad salutem nostram accommodari posse; eamque postea accommodat. At aliud est urgere, ita sumenda verba, aliud dicere, posse mentem hanc Cajaphæ per typum ad salutem nostram optime accommodari. Qui illud dicit, aliam interpretationem plane non admittit; qui hoc, potest admittere. Veruntamen cum nemo non videat, id, quod Cajaphas voluit, fuisse typum aliquem ejus rei, quam Spiritus Sanctus designavit; non est dubitandum, quin ea verborum interpretatio sit melior, quæ, quo ad ejus fieri potest, mentem Cajaphæ per typum ad id, quod Spiritus Sanctus voluit, accommodat.

An ea, quæ de Commutationis significatione in particula *pro* à Grotio hætenus dicta sunt Partic. 15, ex sacrificii expiatorii natura multum illustrentur, & num sanguis detur pro anima, eo præsertim sensu, quo vult Grotius, sequente cap. videbimus. Interim dicimus, etiam si Grotius veram Christi pro nobis subrogationem demonstrasset, eum tamen non protinus satisfactionem veram ac plenam, quam Socinus negat, & cuius causa de subrogatione disputat, obtenturum. Nam si infinitorum loco unus substituatur, qui id ferat, quod quilibet ex illis ferre debebat, an pro omnibus hac ratione satisfiet? An si quis pro centum hominibus, qui singuli centenos debebant aureos, centum tantummodo det aureos, pro omnibus satisfaciet? pro uno quidem satisfacere poterit, sed non pro centum. Quanto autem minus satisfaciet, si & infiniti sint homines, & infinitum singulorum debitum. Ipse vero id tantum solvat, quod unus debebat? Quod si ne tum quidem Christus vere pro

omnibus hominibus satisfecisset, si tantum pœnarum dedisset, quantum unusquisque nostrum debebat, hoc est mortem æternam subiisset, quam subire non poterat; quanto minus satisfecisse censeretur debuit, cum id tantum luit, quod ad debitum nostrum nullam proportionem habet? Vide quæ hac de re scripsit Socinus lib. 3. cap. 3. & 4.

RESPONSIO

Ad Cap. X. quod inscripsit Grotius:

De expiatione facta per mortem Christi.

Restat, inquit Grotius Partic. 1: *Classis ultima testimoniorum, quæ Christi mortem sacrum expiatorium esse significant: quæ, quia Socini artificio plurimis nebulis involuta sunt, postremo loco reservavimus, ut ex his quæ ante dicta sunt, aliquid lucis acciperem. Constat nobis & Socino de voce: Christi mortem fuisse sacrificium expiatorium sive victimam pro peccato, id ipsum clare testante divina ad Hebræos Epistola, in primis cap. 9. Sed de ejus vocis vi propria aliter Socinus, aliter sentit Christi Ecclesia.*

An testimonia ea, quæ Christi mortem Sacrum expiatorium esse significant, Socini artificio plurimis nebulis involuta sint, an contra nebulis, aliorum culpa, involuta, non parum lucis ejus opera acceperint, in progressu disputationis apparebit. Istud autem hic considerandum est, Grotium non usquequaque recte pro concessio sumere, & tanquam fundamentum eorum, quæ disputaturus est, ponere, sibi & Socino in eo convenire, quod mors Christi, nempe proprie, non metonymice pro iis, quæ eam sunt consequuta, sumpta, sit Sacrum expiatorium, id ipsum clare testante Epistola ad Hebræos: cum Socinus * clarissimis verbis, & satis fuisse docuerit in iis capp. quæ sibi oppugnanda sumpsit Grotius, Sacrificium Christi expiatorium perfectum, de quo auctor Epistolæ ad Hebræos, quamvis non sine morte fuerit peractum, (mors enim ejus quoddam fuit initium, & necessarius ad illud aditus) non tamen in ipsa morte revera fuisse peractum, sed in cælo demum, in quo, tanquam sanctuario suo, Christus se Deo obtulit. Quod si Socinus alicubi mortem Christi sacrificium vocat, siquidem de sacrificio expiatorio perfecto loquitur, de quo Auctor Epistolæ ad Hebræos, mortis vocem, Sacrarum Literarum consuetudinem sequutus, metonymice, vel saltem metonymice simul ac synecdochice accepit, & id potissimum intellexit, quod mortem ex Dei decreto necessario est consequutum, h. e. ejus in cælum ingressum & perpetuam coram Dei vultu apparitionem, & quam pro salute nostra suscipit, curam. Qua de re monuit Socinus expresse lib. 2. cap. 13. Dicimus autem, mortem Christi distincte sumptam non esse sacrifi-

cium Christi *expiatorium perfectum de quo Epist. ad Hebr.* quia alias sacrificium est, & dicitur; sed inter ea vel ad sacrificia expiatoria non respicitur, adeoque nec ipsa ut Sacrum expiatorium consideratur, ut Eph. 5. 2. sed ut sacrificium in honorem Dei oblatum ac voluntarium; quo in genere perfectum est; vel si alicubi consideratur ut Sacrum expiatorium, quod tamen vix usquam contingit in Sacris Literis, præsertim expresse, imperfectiori ratione ita dicitur. Potissima enim, peccata nostra expiandi vis, in iis, quæ mortem sunt consequuta, sita est: & liberatio perfecta à peccatorum pœna, quæ expiationis nomine potissimum intelligitur, ab iis immediate pendet, à morte vero mediate.

Quod vero Grotius de propria vocis sacrificii expiatorii vi aliter Christi Ecclesiam, aliter Socinum sentire ait, Christi Ecclesiam Socino, atque adeo iis omnibus, qui cum eo sentiunt, opponens, eosque non obscure à Christi Ecclesiæ societate excludens, in eo debuisset esse memor moniti Apostolici: *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit.* Quamdiu enim non ostenditur, Socinum, & eos, qui cum ipso sentiunt, in re ad salutem necessaria errare, quod nec ostensum est à quocquam, nec ostendi posse nobis est persuasissimum, injuria à Christi Ecclesia excluduntur, licet à parte Ecclesiæ numerosiori in non paucis dissentiant. Quid vero iniquis his aliorum de nobis sententiis opponamus, alibi fortasse dicemus.

Sed videamus, quomodo Grotius Partic. 3, diffusum inter Christi Ecclesiam, ut ait, & Socinum, de propria vi vocis sacrificii expiatorii explicet. *Dissensus, inquit, breviter ac perspicue sic explicabitur, si dicamus, juxta Socinum expiationis effectum primo ac proprie versari circa peccata futura; quia fidem ingenerando mors Christi nos à peccatis abstrahat: quoad peccata vero præterita non nisi secundario, & eatenus quoque omnem hanc actionem circa nos versari, non circa Deum, h. e. non Deum moveri ad remittendum, sed nos parari ad accipiendam remissionem, per vitæ scilicet emendationem: juxta sensum vero Ecclesiæ, qui Scripturis congruit, expiationis effectum proprie versari circa peccata præterita & actionem primam esse circa Deum, qui ad remittendum moveatur.*

Non satis recte Grotius, cum de voce ageret, Socini sententiam explicuit; sed adhuc pejor hic, cum de vi propria vocis loquitur. Quomodo ergo Socini sententiam recte refutaret? Sacrificii Christi vis, ad peccatorum nostrorum expiationem pertinens, duplex est, (quamquam altero partitionis membro iterum diviso, triplex constitui potest:) altera, eaque potior, & sacrificiorum magis propria, quam Grotius in Socini sententia explicanda omisit, est, qua peccatorum omnium, non tantum futurorum, h. e. eorum, quæ post agnitam veritatem à fidelibus per fragilitatem aut imprudentiam admittuntur, sed etiam præteritorum, qualiacunque & quantacunque sint, reatum ac pœnas tollit, idque partim declarando, & jus ad eam rem nobis concedendo, partim actu ipso divina supplicia tollendo. Altera ea est, quam Grotius attingit, quod fidem nobis ingenerat, & nos in futurum à peccatis arcet ac revocat. Quæ vis, licet non sit propria sacrificiorum, pertinet tamen

* Lib. 2. cap. 15. 21.

tamen ad proprium sacrificiorum finem obtinendum, ipsamque expiationem perficiendam; cum nemo, nisi resipuerit, & in Christum crediderit, à peccatorum suorum reatu ac pœna in perpetuum liberetur. Hanc vim si respicias, verum est quod Grotius ait, eam primo circa futura peccata versari, circa præterita consequenter: at si priorem sacrificii Christi vim, quam potiore esse diximus, consideres, ea primo ac proprie versatur circa peccata, præterita quidem omnia, futura autem ea, quæ per fragilitatem aut imprudentiam admissa, fidem in Christum veram non extinguunt: imo circa præterita maxime vis ea sacrificii Christi versatur, cum ea sint graviora, eorumque causa inprimis sacrificium Christi tanquam perfectius, in locum sacrificiorum legalium fuerit substitutum; cum per infirmitatem aut ignorantiam admissa peccata, etiam sub lege expiarentur. Ex quo gravissimus Grotii in explicanda Socini sententia error apparet, qui ait, expiationis effectum, ex ipsius mente non nisi secundario circa præterita peccata versari. Credidit nimirum Socinum statuere, eatenus tantum sacrificium Christi peccata nostra expiare, quatenus fidem nobis ingenerando nos à peccatis retrahit, unde postea ex promisso divino, nulla amplius sacrificii istius efficacia interveniente, consequatur peccatorum præteritorum remissio, quo nihil est à mente Socini alienius. Finge enim tandem, fidem ac resipiscentiam nostram non à sacrificio Christi, sed aliunde proficisci totam, nihilominus illud vim ad expianda peccata, postquam credimus ac resipimus, habebit, & eam ad nos à pœna in perpetuum liberandos exseret: imo quia sacrificium Christi hanc vim habet, ideo nobis fidem ac spem promissorum divinorum ingenerat, & à peccatis abstrahit. Si quis de hac Socini sententia dubitet, videat inter alia lib. 2. cap. 14. & seqq. Qua vero ratione dici possit, sacrificii Christi vim, si ex Grotii sententia illud mortem esse statuas, versari circa Deum, eoque etiam Deum ad remittendum moveri, superioribus capp. est explicatum. Sed tamen videamus quomodo sententiam suam probet Grotius.

Actionem primam, inquit Partic. 3, esse circa Deum, non circa homines, probatur ex natura sacerdotii. Sacerdos enim pro hominibus constituitur in illis qua ad Deum ὑπὲρ ἀνθρώπων ὑψίστου καὶ αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ, Hebr. 5. 1. Non autem pro Deo in iis qua ad hominem ὑπὲρ Θεοῦ καὶ αὐτοῦ τοῦ ἀνθρώπου, quod est Propheta. Cum autem sacrificium, præsertim expiatorium, sit actus sacerdotis, qua talis (statuitur enim in id Pontifex, ut offerat hostias pro peccatis ὑπολας ὑπὲρ ἀμάρτην Hebr. 5. 1: VIII. 3.) sequitur sacrificium esse eorum, qua fiunt pro homine apud Deum.

Postrema hæc verba ita sunt comparata, ut per se Socini sententiæ non repugnent, Grotium nil juvent. Fatetur enim Socinus quoque, & satis clare docet Auctor D. Hebr. 2. 17, actionem Christi, qua sacerdos est, & sic ejus sacrificium expiatorium, esse ex eorum numero, quæ pro homine fiunt apud Deum; ut alia hic deductione, cum de Christi sacrificio quærat, non fuerit opus. De sensu ergo quæritur, cum de verbis constet. Grotius ita verba ea proculdubio intelligit, ac si dictum esset, sacrifi-

ciis moveri Deum, ut hominibus beneficiat, & expiatoriis quidem, ut remissionem peccatorum iis concedere velit. Hoc si in eam sententiam accipia- tur, in quam alias Grotius hujusmodi verba in negotio nostro sumere solet, ut significet, Deum iratum ac pœnas expetentem, ita tamen ut non aversetur omnes iræ deponendæ rationes, sacrificiis placari, & ad ignoscendum flecti; non est id de omnibus sacrificiis expiatoriis, etiam proprie dictis, admittendum, imo de iis, quæ proprie ita appellantur, minus, quam de aliis ab homine profectis, precibus scilicet, pœnitentia, animi humilitate, seu cordis ac Spiritus contritione. Neque enim sub Lege eo pacto Deum movebant sacrificia ab ipso præscripta, præsertim semper: sed cum Deus jam antea decrevisset, se intervenientibus illis sacrificiis delicta & lapsus velle condonare, iis oblatis, vi decreti istius, effectus ille apud Deum consequabatur, etiam si is actu non irasceretur: imo ideo potius offerebantur sacrificia, ne, si ea forte negligenter, irasceretur, quam ut jam iratus placaretur. Quod si vocem movendi, & cæteras ei similes, eo modo hic accipias, quem nos alibi etiam explicuimus, ut significant, conditione præstita apud Deum efficere, ut vi decreti sui hominibus beneficiat, & reatum peccati deleat pœnamque avertat, sive per se, ut sub Lege, sive per alium, ut Novi Iæderis tempore; id, quod Grotius ait, tum de sacrificiis legalibus, tum etiam de morte Christi, quam sacrificium, & quidem expiatorium esse fate- mur, licet per se in hoc genere nondum perfectum, verum est. Sed si loquaris de sacrificio seu oblatione Christi expiatoria perfecta, quam in cœlis peragit, quamque D. Auctor ad Hebræos explicat, & Grotius, qui eam *offensionis* appellat, agnoscit; de ea aliquid amplius dici debet. Neque enim ea ad remissionem peccatorum intervenit, tanquam nuda quædam conditio, aut res ad alterum tantum qui remissionem reipsa præstet, aliqua ratione impellendum comparata: sed potissimum tanquam vera causa efficiens, quæ vi sua remissionem peccatorum nobis à Deo decretam præstat, & efficacia sua eorum vim, quam ad nos damnandos & divinis suppliciis obnoxios reddendos habent, extinguit ac delet. Itaque quemadmodum ablationis vox, ut infra clarius patebit, ad hanc Christi actionem ob similitudinem cum legalibus sacrificiis transfertur: ita & loquutio hæc, quod peragatur vel fiat *apud Deum* pro hominibus. Similitudo in eo est, quod, quemadmodum legalia sacrificia ideo Deo offerebantur & coram ipsius vultu perficiebantur, ut iis peractis, vi decreti ipsius homines, pro quibus offerebantur, remissionem peccatorum ab ipso obtinerent: ita interveniente Christi oblatione, seu apparitione coram Dei vultu, per sanguinis fusionem facta, & cum summo salutis nostræ perficiendæ desiderio conjuncta, homines à Deo, vi decreti ipsius, ipsiusque virtute, quam eum in finem Christo concessit, liberationem à pœnis obtinent. Indicare nempe hac loquutione divinus Spiritus voluit, remissionem peccatorum, quam Christus in cœlis apud Patrem degens nobis præstet, à Deo ejusque benignitate primo proficisci (de ejus enim jure ea in re agitur, ut cap. 2 vidimus) & quicquid ad eam in nobis reipsa perficiendam sit, id totum

totum ipsius virtute atque auctoritate, Christo, qui ut eam adipisceretur, & sic nos à peccatorum poenis reipsa liberare posset, sanguinem suum fuderat, eoque cum desiderio cœlum fuerat ingressus, data peragi. Itaque ut id exprimat, non modo Christi in cœlos ingressum, atque ad Deum accessum, per quem factum est ut ad dextram ipsius consideret, & plenam peccata nobis remittendi potestatem obtineret, sed & perpetuam apud ipsum permanſionem, cum salutis nostræ cura conjunctam ita considerat, ac si ea Deus aliqua ratione moveretur, ad remissionem peccatorum nobis vi decreti sui concedendam, & sic inter hanc & illam actus quidam ipsius Dei, propitium se nobis exhibentis, & nos à pœna liberantis interveniret: cum tamen ipse Christus, potestare sibi à Deo, & olim jam decreta, & in cœlum ingresso donata, id totum, quod ad nos à pœna liberandos pertinet, ejus nomine faciat. Quo pacto infra Auctor D. Hebr. 10. 12, 13 inquit: Christus una pro peccatis oblata hostia, in perpetuum conſedit in dextra Dei, *dereliquo expectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ipsius*; in qua subjectione hostium Christi, remissio peccatorum nostrorum plena atque perfecta consistit. Quibus in verbis D. Auctor aliquo modo sequitur verba Psalmi, in quibus Deus dicit: *sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*; quasi Deus ipse, postquam Christum ad dextram suam collocavit, id sit facturum, & Christus id ab ipso expectet: cum tamen Christus ipse potestate ac virtute sibi à Deo concessa id sit facturum, quod perspicue ostendit Paulus Philip. 3. sub finem, cum ait, Dominum Jesum Servatorem nostrum transformaturum corpus humilitatis nostræ, ut id fiat conforme corpori gloriæ ipsius, *secundum efficaciam (seu virtutem) qua potest ipse etiam subicere sibi ipsi omnia*. Quod idem dixerat 1 Corinth. 15. 25. dum inquit: *Oportet eum regnare* (id enim est *sedere ad dextram Dei*) *donec ponat omnes inimicos sub pedes suos*. Eodem modo de Davide, Christi hac in re typo, dicitur 1 Reg. 5. 3. Deum posuisse hostes ipsius sub plantis pedum ejus; cum tamen ipse David potentia atque virtute à Deo accepta id potissimum fecerit. Quare improprie dicitur Christus expectare, donec hostes ipsius ponantur, nempe à Deo, scabellum pedum ipsius. Unde apparet, id quod in expiatione peccatorum nostrorum ultimum est ac præcipuum, Deo ipsi adscribi, à quo Christus id veluti expectet; & quia ad id perficiendum Christum per sanguinis fusionem in cœlum ingredi, & perpetuo, hoc est usque ad diem redemptionis, ibi manere, salutemque nostram sollicitè curare fuit opus, hunc actum dici posse intervenire pro nobis apud Deum ad peccata nostra expianda. Interdum tamen D. ille scriptor de Christi sacerdotio & oblatione agens, & rem nudam ante oculos nobis volens ponere, neglecta aliquantum allusionis ac comparationis cum ritibus legalibus concinnitate, talem hac in parte Christi actionem esse aperte indicat, quæ circa nos primo versetur, non vero circa Deum. Docet id, ut supra vidimus, locus ipsius sub finem cap. 2. atque in primis vero ultimus ubi modum explicat, quo Christus, tanquam Pontifex in iis quæ apud Deum, peccata populi expiet. Modus vero

iste est: *in quo enim ipse passus est cum tentaretur, potest iis qui tentantur auxiliari*. Potest, inquit, h. e. ad id faciendum pronus est, aut id facere libenter solet. Idem docent verba cap. 4. itidem sub finem, quæ eandem cum illis cap. 2 sententiam continent. Ad ea vero confirmanda atque illustranda adhibentur à D. Auctore ea, quæ subjiciuntur initio cap. 5. ut indicat particula *enim*, quæ initium istud cap. 5. cum fine capitis præcedentis connectit. Quare ex illis constare potest, quid D. Auctor sibi velit iis verbis, quatenus ea ad Christum accommodari debent, quæ Grotius hic urget; eaque de causa totum locum adscribemus. Est autem hujusmodi: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, sed tentatum per omnia secundum similitudinem absque peccato. Accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut accipiamus misericordiam & gratiam ad opportunum auxilium* cap. 5. *Omnis enim Pontifex ex hominibus acceptus pro hominibus constituitur in iis quæ ad (vel apud) Deum, ut offerat dona & victimas pro peccatis, qui possit moderate condolare ignorantibus & errantibus, siquidem etiam ipse circumdatus est infirmitate, &c.* Ubi vides illis cap. 5 verbis, quod Pontifex constituatur in iis quæ ad Deum, ut offerat dona & victimas pro peccatis, nihil in præcedentibus respondere, præter illa, quod à Christo accepturi simus misericordiam & gratiam ad opportunum auxilium; quod fit cum nobis tentatis ac vehementer trepidantibus succurrit, & ne malorum pondere pressi tentationi succumbamus, ac peccatorum nostrorum pœnas luamus, efficit; aut tunc, cum impii suorum scelerum dant pœnas, ipse nos tuetur, & ne cum aliis una pernicie involvamus, potestate sua divina intercedit. Quod idem ut vidimus, cap. 2. indicatur in verbis illis, ubi expiationis, quam Christus apud Deum peragat, modus explicatur. At hujusmodi actio circa nos primo versatur, non vero circa Deum, nisi improprie loquamur. Animadvertendum autem est, in loco utroque, sed apertius in posteriori, ob allusionem ad sacerdotium legale, & similitudinem quandam, quæ Christo cum Pontificibus Aaronicis intercedat, ad Christum etiam accommodari infirmitatem, quæ in Pontificibus istis extiterit, quaque ii impelli debuerint, ad aliorum infirmitates tanto promptius expiandas: cum tamen in Christo quippiam alterius generis infirmitatibus illis, quæ nihil aliud erant quam lapsus & ignorantia, seu delicta ex infirmitate profecta, opponatur, nempe tentationes seu afflictiones ipsius, quarum memor, nobis tentatis atque afflictis succurrere tanto promptius solet. Ex quo apparet, peccatis etiam illorum, quos Pontifices Aaronici expiare debebant, tentationes atque afflictiones nostras his locis respondere, quarum vis, quam ad nos perdendos habent, dum tollitur, & ab iis nos auxilio Christi eripimur, peccata nostra expiari dicuntur. Itaque non mirum est, cætera quoque, quæ de Aaronicis sacerdotibus dicuntur, alio sensu ad Christum accommodari, & quædam de illis proprie, de Christo improprie, præstantiori tamen sensu accipi. Multa enim, quæ improprie dicuntur, longe præstantiora sunt iis, quæ proprie dicuntur talia. Istud adhuc, antequam hinc abeamus, notare libet, Paulum Rom. 15. 17. Licet de mu-

de munere suo Apostolico loquatur, cujus vis circa homines primo versabatur, & quod, ut cum Grotio loquamur, erat pro Deo aut Christo apud homines, tamen quia ad sacrificia sacerdotiumque alludit, dicere, *se habere gloriationem*, seu quod gloriatur, in Christo *Ἰησοῦ καὶ αὐτῷ θεῷ, in iis quæ ad Deum.*

Addit Grotius Partic. 4: *Accedat illud Hebr. 11. 24. ubi sanguis Christi purgatorius dicitur melius loqui, quam sanguis Abel. Sanguis Abel clamabat ad Deum pro vindicta. Sanguis Christi clamat ad Deum pro remissione.*

Rem ipsam fatemur: sed ad sacrificia hic alludi negamus. Nec recte Grotius, ut ad victimarum expiatoriarum sanguinem respici videretur, vocem *ἁρπασμὸς* seu *asperisionis*, quæ nomini sanguinis additur apud D. Auctorem, reddidit voce *purgatorius* h. e. expiatorius, quod etiam alibi fecit, qua de re monuimus cap. 1. Alludi autem diximus ad sanguinem fœderis antiqui, quo Moses illud sanciens populum consperxit. Quo autem pacto is ad Deum clamet pro remissione, eodem cap. 1. exposuimus Partic. 31.

Partic. 5. Ex dictis aliquo modo jam patet, quousque collatio sacrificii Christi cum sacrificiis legalibus, quod ad rem nostram attinet, extendenda sit; quam quia hoc loco instituit Grotius, ejus vestigia legamus, & quid recte aut secus dictum, videamus.

Legem dupliciter spectari, carnaliter & spiritualiter, concedimus. At cum ait, *Carnaliter spectari, qua instrumentum fuit πολιτείας Judaicæ*, vel *πολιτείας* nomen latius, quam vulgo fieri solet, extendit, vel explicatio est angustior. Nam non tantum Reipub. Judaicæ instrumentum fuit, sed multo etiam magis divini cultus, qui populo Judaico fuit præscriptus. Multæ enim erant ceremoniæ, quæ ad Remp. nihil pertinebant.

Explicaturus porro Grotius Partic. 6, quomodo sacrificia legis expiatoria sanctificarent ad carnis puritatem, ita scribit: *Lex Dei hanc habuit sanctionem: Exsecrabilis est quisquis non manserit in omnibus verbis legis*, Deuter. 27. 26. Galat. 3. 10. *Reus ergo pœne erat quisquis vel minimum à Lege deflexisset, ut ostendit Jacob. 2. 10. Pœna hæc juxta carnalem sensum erat mors violenta: quod ex contrario liquet, quia Legem implenti vita promittitur.* Et postquam de ratione, qua pœnas exigere solet Deus, disseruisset, subiicit: *Sed quia legislatori licet suam legem, præsertim pœnalem, nonnihil relaxare, Deus Rex Hebræorum, in quibusdam delictis victimas expiatorias admisit vice ipsius peccatoris, & per illas ac non aliter peccatorem à mortis pœna liberare voluit.*

At primum non omnis immunditia, à qua, victima mactata, homines expurgabantur, lege cavebatur, cum nonnunquam talis esset, quam effugere in hominum arbitrio non erat positum. Vide Levit. cap. 14. & 15. Deinde non docet Grotius, verba illa legis: *Exsecrabilis est*, &c, historico seu literali sensu etiam ad eos pertinuisse, qui eo modo in Legem aliquam peccassent, ut expiari sacrificiis constitutis possent. Nam si carnaliter, ut cum Grotio loquamur, hæc verba accipiantur, ea non nisi ad illos pertinent, qui elato brachio peccassent, seu quorum

delictum cum contumacia & contemptu divinæ Legis esset conjunctum. Talia autem omnia facinora enormia censebantur, quamquam non sola, eaque non nisi morte expiabantur. Si quis autem sine contumacia, per errorem tantum aut fragilitatem humanam peccasset, quia hæc transgressio auctoritatem Legis non convellebat, fulmine hoc legali non percutiebatur, sed expiationem habebat, quam si prorsus neglexisset sciens prudens, jam per contumaciam censebatur peccare, & execrationi reddebatur obnoxius. Patet id ex Numer. cap. 15. ut Socinus alibi ostendit. Nam vers. 23. ideo dicitur expiatum iri delictum populi Israëliti, *quia, error est.* Vide etiam vers. 27. sed vers. 28. & 29. dicitur: *Anima vero quæ aliquid fecerit in manu excelsa, &c. excindetur è medio populi sui: quia probrius affecit Dominum. Nam verbum Domini sprevit, & præceptum ejus irritum fecit: omnino ergo excindi debet hujusmodi anima &c.* Huc referri potest etiam illud Hebr. 10. v. 28: *qui spreverit vel irritam fecerit* (est enim in Græco vox *ἀδυσχέτως* *Legem Moysi, sine ulla miseratione in duobus vel tribus testibus moritur: quod licet de contemptu Legis universæ, seu de ἀνυστία proprie videatur accipiendum, potest tamen ad cujuslibet præcepti violationem, quæ contemptum quendam ejus arguat, & ejus auctoritatem convellet, accommodari. Neque vero Deus, ut æquus Legislator, omnes Leges sanguine scripsit, sed inæqualibus delictis, ut ex variis Legibus apparet, inæquales constituit pœnas, expiatione iis concessa, quæ Legis suæ, sui que adeo imperii majestatem ac reverentiam non everterent; qualia erant fragilitates & ignorantia: contumaciam autem, & contemptum Legis ac imperii sui, unde omnis ordo pendebat, extremo supplicio vindicandum statuit. Grotius autem ita accipit illam Legis comminationem, atque si ea separatim fuisset addita illis Dei præceptis, quæ aliquid facere jubent aut vetant, secluso expiationis beneficio, seu iis institutis, quæ expiationem concedunt ac præscribunt; cum tamen ea universæ Legis, in qua expiandi etiam ratio præscribitur, sit appendix, & ita accipienda, ac si dictum fuisset, eum Deo fore exsecrabilem, qui tale quippiam adversus Legem admisisset, quod ipsius Legis beneficio tolli non possit. Satis autem apparet ex iis, quæ præcedunt Deut. 27. ubi verba hæc continentur, de ea execratione sermonem esse, quæ Legis ipsius vi tolli non possit, qualis non est ea, cui Grotius putat obligatos fuisse etiam eos, qui expiari sacrificiis poterant. Neque sane est verisimile, Deum voluisse Legem generalem adjicere, qua omnes in universum peccantes ad mortem violentam obstringerentur, cum tot Leges expresse jam posuisset, quibus delicta per fragilitatem & ignorantiam expiarentur. Locus Jacobi 2. 10. quamquam, si scopum spectes, ad Novi Fœderis tempora videtur pertinere, & de habitibus peccatorum loqui, qui non fragilitati sed contumaciæ imputantur: adde, si placet, actus quosdam adeo graves, ut hominem vero Dei timore non esse præditum arguant: si tamen eum ad Legis tempora accommodes, itidem, ut legale dictum, *Exsecrabilis quisquis* &c, de peccatis elato brachio admittis erit accipiendus. Nam qui hac ratione in unum præ-*

ceptum peccat, is in totam legem peccare censendus est; cum contemnat ac spernat legem eam, quæ non minorem quam cæteræ auctoritatem habet, & quam ab eodem legislatore fixam, à quo cæteræ sunt latæ, is, qui peccat, probe novit. Quare eadem ratione cæteras omnes facile videtur spreturus, vel potius hoc facto suo sprevisse. Qui vero per ignorantiam aut fragilitatem peccat, & peccatum suum expiari ea ratione, quæ à legislatore constituta est, curat, is auctoritatem legis convellere non est censendus, imo pro eo habendus, qui eam inviolatam ac sacrosanctam esse velit.

Hinc jam concidit illud quod Grotius infert, victimas expiatorias admittas à Deo *vice peccatoris*; cum delicta pro quibus offerebantur, capitalia non essent, sed tum demum capitalia evaderent, si quis expiationem prorsus neglexisset: quamquam tum neglectus forte potius expiationis, quam ipsa legis alterius transgressio vindicabatur. In eum enim severe animadverti Deus voluit, ut vel ex ea constet lege, quæ extat Numer. 19. 20: *Vir (seu homo) qui immundus fuerit, & non purificaverit se, excidetur anima illa e medio congregationis, quia Sanctuarium Jehovah polluit.* Vid. etiam v. 13. & Levit. 23. 28, 29, 30. ubi de solenni illa expiatione anniversaria, qua omnia peccata, quæ vi legis expiari poterant, purgabantur. Quamquam præterea etiam si talis subrogatio admitteretur, indè tamen nulla prorsus sequeretur satisfactio seu compensatio vera: nec eadem protinus in nostro negotio esset ratio, ut infra dicitur.

Sed ait Partic. 7. *Temere jurans mortem merebatur ex Lege Exod. 20. 7. sed per victimam expiari poterat, Levit. 5. 5. Expiabit eum sacerdos, inquit Lex, & remittetur ei, Levit. 5. 6. 13. Sic qui fidem depositi aut Societatis fefellisset, aut alium dolo decepisset, aut furatus esset quippiam, reus erat inquit Lex Levit. 5. 23. Ex edicto nimirum, quod extat Exod. 20. 15. xvi. 17. Sed idem reus præter damni restitutionem, ad quam tenebatur læso, victima data expiatur, & remittebatur ei quod fecerat. Levit. 5. 26. Et passim conjunguntur ista, expiatio & remissio, Numeror. 15. 28. Levitic. 4. 20. Levitic. 5. 13, 18, 26.*

Atqui Exod. 20. 7. Nec mortis pœna est expressa, sed simpliciter tantum dicitur, Deum illum hominem, qui temere seu falso jurarit, non habiturum infontem, quod de variis pœnis intelligi potest, quæ hominem ejusmodi maneat, præter mortis supplicium: & etiam si pœna mortis esset expressa, statuendum tamen esset, per Legem specialem, quæ extat Levit. 5. generaliore illam esse limitatam, & casum expressum fuisse excipiendum; adeoque licet is verbis legis generalioris comprehenderetur, sententia tamen non amplius fuisse comprehensum, quod cum fit, relaxatione non est opus, sed, ut Grotius cap. 3 docuit, interpretatione *ἡγὺς ἀπὸ τῆς γενικῆς*, si quidem Lex generalior ac rigidior urgeatur. Locus fane Exod. 20. de perjurio deliberato animo videtur intelligendus: at iste Levit. 5. 4. de eo, quod quis juraverit, sed postea oblitus neglexerit. Idem de eo dici debet, qui fidem depositi aut Societatis fefellisset, alterum dolo decepisset, aut furatus esset. Idque tanto magis, quod ex alijs locis constat, pœ-

nam furti non fuisse mortem, sed restitutionem dupli, quadrupli, quintupli, Exod. 22 ab initio, de furto autem loquitur locus Exod. 20. 15. & ratio idem docet. Nam si pro oculo, quem quis alteri excussisset, oculus tantum eruebatur, cur ob alia bona longe viliora, quæ quis alteri abstulisset, vita eriperetur? Locus Exod. 16. 17. Nihil prorsus ad rem pertinet, si voluit Grotius notare cap. 21. 16. ejusdem libri, in eo de plagio agitur, non de simplici furto, de quo sermo est Levit. 6. Quod vero passim conjungantur ista, expiatio & remissio; id non probat, peccatis illis, quæ expiarentur, capitalem pœnam Lege fuisse constitutam. Cum remissio ad quamvis pœnam referri queat; & pœna infligi jure possit, etiam ubi expresse non est constituta.

Infert Grotius Partic. 8: *In quibusdam ergo delictis quod ad pœnam carnalem attinebat, admittebatur placamen, redemptio, satisfactio, compensatio denique mortis bestia cum morte hominis alioqui debita.*

At si hæc vocabula eo sensu accipiantur, quō vulgo de morte Christi sumuntur, nihil horum ex superioribus colligi potest. Quamquam quacunque ratione accipiantur, non est illud admittendum, quod de morte hominis debita, quæ compensanda esset, asserit, ut ex dictis constat. Sed quæ compensatio potest esse vera inter bestiam & hominem, præsertim inter unam aut alteram, & homines infinitos, omniaque ipsorum peccata, ut in sacrificio anniversario solenni?

Postquam docuisset Grotius Partic. 9: *Legem in universum pro delictis omnibus talem relaxationem non admisisse*, subjicit: *In expiatione mortem pecudis mortis hominis subrogari, manifestum quoque est ex eo, quod Deuter. 21. constituitur, ut homicida non reperto, populus expietur pecude casa: ubi & expiandi vox explicatur. Expia populum tuum Deus, & ne imputes sanguinem innocentem. Alioqui vero non poterat terra expiari à sanguine effuso, nisi per sanguinem effusoris, ut ait Lex Numer. 35. 34. Huic loco addatur alter Levitic. 17. 11. Anima cujusque carnis in sanguine, ego vero destinavi vobis eum in altari, ad expiationem faciendam pro animis vestris. Nam sanguis est qui pro anima expiationem facit. Item tertius Levit. 10. 17. Ubi victima dicitur reorum iniquitates portare, cujus phraseos vim alibi explicavimus.*

Sed qua ratione mors pecudis homicidæ morti subrogabatur? an ea ratione ipse homicida liberationem à mortis supplicio consequabatur, ita ut nec Deus eum morte plecteretur, nec Magistratus aut vindex sanguinis, etiam si eum postmodum deprehendisset? non arbitror id Grotium sentire, nec ex loco adducto id patet. Non enim homicida, sed populus ista victima expiatur. At populus mortis pœnam non erat meritis, in eo præsertim casu, cum auctor cœdis ignoraretur; neque tum temporis obstringebatur ea Lege, quæ extat Numer. 35. 34. quæ tum demum habebat locum, cum homicida esset deprehensus, ut res ipsa satis monet; neque tum licebat pecudem in ejus locum subrogare. Non ergo hic vera fuit subrogatio mortis pecudis in locum mortis homicidæ: sed tantum mors pecudis in eo casu idem præstabat ex divino instituto, respectu terræ aut populi Israëliti, quod præstitura fuisset mors homi-

cidæ;

cidæ, si fuisset deprehensus. Quod si subrogationem nominare velit Grotius, per nos licet; sed id non est, de quo inter nos est quæstio. Nam de ea subrogatione est quæstio, quæ ei ipsi, in cujus locum victima substituitur, à morte, idque sua vi, pariat liberationem. Explicationem vocis Expiandi nos libenter admittimus; imo contra veram satisfactionem urgemus. Nam non imputare, & satisfactionem veram seu plenam admittere, se mutuo evertunt. Quare etiam *Expiatio* veram satisfactionem tollet. Imo quia hoc loco *Expiandi* actio ipsi Deo tribuitur, patet, Expiare non esse placare, aut satisfacere; & de Christo recte dici posse, quod Expiet, etiam si neminem placet, nemini vere satisfaciatur. Satis est, quod nobis peccata non imputet, ac pœnas committas efficacia sua auferat. Quia in re partim cum Deo, partim cum Sacerdote conferendus est. Cum Deo; quatenus ipse, sua potestate pœnas aufert, non vero, ut ab alio auferantur, revera impetrat. Cum Sacerdote; quatenus à seipso remissionem hanc non confert, sed per sanguinis fusionem in cœlum ingressus, & coram Deo comparens, curamque salutis nostræ gerens, eam nobis apud Deum quodammodo comparat, eo nempe pacto, quo superius explicuimus Partic. 3.

Locus Levit. 17. 11. cui tantum ab iis, qui satisfactionem defendunt, tribui solet, quid roboris habet ad sententiam Grotii probandam? Nam si Hebræa verba consideres, nihil ibi aliud dici deprehendes, quam sanguinem, de quo dictum fuerat, quod in eo pecudum sit anima, Expiare super anima, aut in anima. At hoc non significat, sanguinem illum esse vice animæ humanæ: sed animas à labe ipsis aspersa sanguine expurgari, & à reatu liberari. Neque vero, quod alicui locum non insipienti, aut cum iis, quæ antecedunt, non conferenti possit videri, verba ista: *Anima carnis in sanguine est*, afferuntur ad ostendendum, unde sanguis vim expiandi animas humanas habeat: sed rationem exprimunt primam, cur nemo sanguinem debeat comedere, quod versiculo præcedente, cum quo hæc verba per particulam, *Nam* conjunguntur, dictum fuerat. Eadem ratio claris verbis repetitur vers. 14. & indicata etiam fuerat Gen. 9. 4. ubi præceptum istud de sanguine non comedendo primo proponitur. Huic rationi altera deinde eodem vers. adjungitur, quod Deus sanguinem animalium tam sancto usui, nempe animarum expiationi, destinavit super altari. Quare cum non debere vulgari illo usu profanari. Unde statim subjicitur vers. sequenti: *Idcirco dixi filiis Israël: Omnis anima ex vobis non comedet sanguinem*. Neque sane in Hebræo est: ego vero destinavi illum &c. Ut habet Grotius: sed, & ego dedi illum &c. ratio nempe altera rationi subjungitur. Similem rationem leges de adipe non comedendo cap. 3. hujus libri circa finem, & c. 7. 24. & seqq. quo utroque in loco adeps & sanguis hac in parte inter se connectuntur quemadmodum etiam vers. 33. ejusdem cap. Ad oblationem enim potissimum adhibebantur. Vide Ezech. 44. 7. 15. Similis ratio assertur de unguento Sacerdotali & suffimento Sacro non usurpando Exod. 30. 32, 33, 37, 38. Non fuisse autem sanguinem victimarum datum loco animæ humanæ, ex superioribus liquet.

In loco autem Levit. 10. 17. non parum erravit Grotius. Neque enim ibi (a) dicitur, *victima reorum iniquitates portare*; sed potius sacerdos; estque ibi *portare iniquitates*, eas auferre, vel ablatas declarare. Qua de re satis cap. 1. (b) dictum.

Subjicit Grotius: *Hanc subrogationem Socinus non vult agnoscere, neque fateri per victimas ullo modo Deum motum, ne peccata puniret. Idque ut probet, duo hac adfert: non potuisse errata hominum in bestiis puniri, quia nulla inter homines & bestias sit speciei communio. Neque Deo dari quicquam posse, qui est omnium Dominus.*

At Socinus nihil aliud istis rationibus voluit ostendere, quam *victimam legales nullam vim per se habuisse divinæ justitiæ satisfaciendi*, quæ sunt iptius verba, eo loco scripta, unde Grotius has rationes excerpfit, lib. 2. cap. 10: At hoc longe differt ab eo, quod Grotius eum probare voluisse affirmat. Potuisset enim aliquid, Deo ita volente, in locum peccatoris, mortis pœnam alioqui laturo, substitui, aut etiam Deum aliquo modo ad eum liberandum movere, quod tamen nullam per se vim haberet divinæ justitiæ satisfaciendi, seu delictum pretio suo compensandi. Neque nos ideo subrogationem istam victimarum in locum peccatoris, de qua Socinus nihil revera disputat, negavimus, quod ea satisfactionem veram stabiliat, sed quod veritati alias non sit consentanea. Quid enim? an mors bestię mortem hominis committam, aut etiam infinitorum hominum, qui eadem nonnunquam expiabantur victima, sua vi, suo ve pretio æquabat aut compensabat? Si dicat Grotius, subrogatione illa victimarum concessa hoc saltem se obtenturum, Christum quoque pro nobis subrogatum, ac proinde etiam pro nobis satisfecisse; respondemus primum, ne subrogationem quidem illam licet proprie dictam, ad satisfactionem veram, quam Socinus negat, stabiliendam satis fore, ut in fine superioris cap. ostendimus: deinde rem ipsam non pati, ut in subrogatione proprie dicta Christus statuatur victimis similis. Mors enim pecudis, & hominis, qui peccaverat, ejusdem fuisset generis, nempe violenta, nec infinita inter utramque fuisset distantia. At mors Christi, & ea, quam nos eramus meriti, diversi fuit generis, & infinita ipse utramque distantia. Præterea sub Lege sacrificio rite peracto statim consequebatur vi promissi divini remissio: at ex morte Christi non statim nos remissionem ac liberationem à morte consequimur. Non est ergo hic vera subrogatio, multo minus vera satisfactio. Quod si aliam quandam subrogationem improprie dictam urget, eandem nos cum Socino agnoscere superius docuimus. Illud quoque non satis recte dictum est à Grotio: Socinum nolle agnoscere, neque fateri, per victimas *ullo modo Deum motum* ne peccata puniret. Motum enim negat Deum Socinus, si vox *moverendi* proprie, quatenus quidem hic proprietas locum habet, accipiat, ut ex iis colligi potest, quæ cap. 8. (c) diximus. Quod si eo modo Deum sacrificiis motum dicas ne peccata puniret, quod non aliter nisi hac conditione præstita voluerit pœnas remittere, id libenter fatetur Socinus. Docet enim, victimarum oblationem, obedientiam quandam Deo præstandam, quanquam

(a) Partic. 33. (b) Partic. 10. (c) Partic. 3.

levem, continuisse, quam ex promisso Dei levium quorundam erratorum ac peccatorum venia conferretur. Sed videamustamen, quid contra Socini rationes afferat Grotius.

Prius, inquit Partic. 11, falsum est: nam quemadmodum differentia individualis (ut loquuntur) non impedit, quominus aliter possit luere pœnas peccati alieni, modo ipsa mali inflictio per se injusta non sit (ut supra ostensum est) ita nec speciei diversitas impedit, quominus bestia, quæ aliqui etiam jure poterat occidi, impendatur exemplo, ut in ipsius morte appareat quid homo sit commeritus. Neque conjunguntur homo & bestia solo genere animantis, verum ea quoque relatione, quæ est inter possessorem & rem possessam. Est enim bestia in universum sub humano domino: & specialiter expiandus de suo dare victimam jubebatur Levit. 5. 6. 7.

Hæc argumentatio potius quam exceptio Grotii, primum non probat id, quod Socinus negarat, nempe victimas legales vim per se habuisse divinæ justitiæ satisfaciendi. Deinde in ea tanquam paria sumuntur, quæ admodum sunt disparia. Etenim cum tanta requiratur inter eum, ob cuius delictum alter punitur, & cum, qui punitur, conjunctio, ut vel ob eam ipsam is, qui puniendus est, alieni delicti particeps esse videatur; hanc quidem conjunctionem facile admittit individualis differentia, non perinde ea, quæ est speciei ac naturæ; multo autem magis prohibet ea differentia satisfactionem divinæ justitiæ præstitam, de qua Socinus. Quomodo enim mors bestię, etiamsi ea tandem puniretur, compensaret pretio suo capitale hominis supplicium, & sic divinæ justitiæ satisfaceret? Præterea ad pœnam jure infligendam illud etiam requiri, ut is, qui puniri debet, culpæ sit affinis, nec sufficere, ut alieni delicti occasione affligi possit, cap. 4 ostendimus. *Exempli* voce Grotius sibi imposuit. Aliud enim est pœnam proprie dictam alieni delicti exigere, aliud in bestię morte ostendere, quid homo sit commeritus. Adumbratio hæc pœnæ est, non vero pœna. Neque nos cum Christum pro nobis punitum negamus, hujusmodi pœnam intelligimus, ut cap. 1 patuit. Quanquam etiam illud jam docuimus, victimas ad capitalia supplicia expianda non solitas adhiberi. Quare dum eæ fuerunt mactatæ, non ostensum fuit revera, quid homo esset commeritus. Quod vero ea quoque sit conjunctio inter hominem & bestiam, quæ est inter possessorem & rem possessam, id nec per se contra Socinum facit, qui id non negat; nec ostendit, bestiam hominis loco vere puniri, aut, quod amplius est, pro eo per se divinæ justitiæ satisfacere potuisse, id quod Socinus negat.

Quod Grotius Partic. 12, ad alteram Socini rationem respondet, id, quod ab eo asseritur, ad rem non pertinere; quia non sequatur, si Deo nihil accedat per sacrificia, ideo Deum sacrificio non moveri, id respondere non potuisset, nisi Socini conclusionem prius pervertisset. Hoc enim rectissime concluditur, divinæ justitiæ sacrificia per se non satisfecisse, quia earum oblatione nihil Deo detur, qui omnium sit Dominus Psal. 24. 1, & 50. 10 & seqq. Actione grata & placente solere satisfieri, si vocem satisfactionis

in eum sensum accipiat, in quem Socinus, cum negat, justitiæ divinæ sacrificiorum oblatione satisfieri; id non semper, imo rarius contingit; & respectu Dei quod ad peccata attinet, nunquam. Si satisfactionis vocem alia ratione accipiat, ut significet desiderium ejus, qui benignissime agit, & de jure suo liberaliter remittit, implere, nihil id adversus Socinum facit. Talem enim satisfactionem libenter admittit, ut cap. 6, partic. 4 1, est ostensum.

Ex dictis patet, ea quæ Grotius ex superioribus deducit Partic. 13, si in eum sensum accipiantur, quæ Socini sententiæ repugnat, nullo fundamento niti. Qua repositione contenti esse possemus: sed, ut veritas manifestior fiat, nonnulla hoc loco, antequam ulterius progrediamur, libet annotare, quæ à Grotio in hac sacrificiorum legalium & Christi compartione neglecta, eum in errorem induxerunt. Primum est, non omnia legalia sacrificia pro peccato esse conferenda cum Christi sacrificio, tanquam typos cum suo antitypo, seu figuras cum suo corpore, ut hic facit Grotius: sed tantum sacrificia illa, quæ publice, hoc est, pro universo populo, & statim quibusdam temporibus fiebant, præsertim vero illud, quod semel in anno summus sacerdos in sancta sanctorum ingrediens peragebat. Cætera enim spiritualibus Christianorum sacrificiis, sive omnium simul junctorum, sive singulorum, respondent. Qua de re agatur infra. Alterum est, cum sacrificiis seu oblationibus istis non tam mortem Christi, quod facit Grotius, quam ingressum ipsius in cœlos, morte interveniente factum, seu ipsius coram Dei vultu apparitionem, cum summa salutis nostræ cura conjunctam, conferri debere, & huic potissimam expiandi vim ob divinam, quæ ei adjuncta est, potestatem, essetribuendam. Quemadmodum etiam, si typos hujus sacrificii spectes, potissima expiandi vis, quam illa sacrificia ex Dei voluntate habebant, non in mactatione pecudis, sed in illatione sanguinis in sancta & asperzione coram Deo consistebat. Mors autem Christi cum mactatione victimæ conferenda est, quæ non fuit ipsa revera oblatio, sed ejus initium, & necessarius ad eam aditus: qua de re alibi jam quædam diximus, quædam dicentur infra. Ex his tertium consequitur: sacrificii Christi vim non in eo cerni, quod Deum ad remittendum moveat, ea præsertim ratione, qua ne morti quidem Christi id tribuit Socinus, aut Dei justitiæ satisfaciat, (quid enim tale præstat Christi in cœlum ingressus, & coram Dei vultu apparitio?) sed ratione longe præstantiore ac diviniore; nempe ipsam peccatorum remissionem præstando, seu pœnas ea, qua sub initio (a) diximus, ratione avertendo, & in nobis ea, quæ ad remissionem obtinendam sunt necessaria, efficiendo. Quare sacrificium Christi, ut itidem supra (b) monuimus, non mera est conditio obtinendæ à Deo remissionis, ut sacrificia legalia, sed vera potius causa efficiens, efficaciter eam nobis præstans, qua in re antitypus typum, corpus umbram ac imaginem longe superat, eique dissimile est. Ex quo pater Grotii error, qui in hac collatione sacrificii Christi & victimarum legalium hoc maxime urget, quod, quemadmodum hæc Deum ad remittendum

(a) Sup. partic. 2. (b) partic. 3.

moverint, moverint, inquam, propria aliqua ratione, ita & illud; atque hoc demum pacto reatum spirituales sustulerit. Qua in re dignitati sacrificii Christi multum detrahit; neque animadvertit Auctorem divinum, qui hanc comparisonem sacrificiorum diligentissime persequitur, nusquam id asserere. Quod vel ex eo patet, quod Grotius hoc loco fat fuisse collationem illam ex auctore divino repetens, & suam sententiam confirmare laborans, ne verbum quidem, quod id auctor divinus explicarit, proferre potuit. Commemorat quidem Grotius *impetrationem remissionis peccatorum*, tanquam Auctoris verbis comprehensam, & ad comparisonem illam vere pertinentem, *impetrandi* voce motionem illam, ut ita loquar, Dei ad remittendum intelligens: sed Div. Auctor in *yl. 22. cap. 9.* in quo istam remissionis impetrationem contineri vult Grotius, nihil dicit aliud, quam sine sanguinis fusione non fieri remissionem, nempe secundum legem, ut ex verbis proxime antecedentibus intelligitur; quod sua vi non significat, Deum fusione ista sanguinis ad remittendum moveri, ea præsertim ratione, qua Socinus verbum movendi solet accipere: sed tantum, eam fuisse causam mediam, vel causam sine qua non, ut vocant, remissionis. Præterea sanguinis fusio non respondet sacrificio Christi perfecto, sed, ut per se patet, fusioni sanguinis Christi, seu morti ipsius cruentæ. Fatemur autem eatenus dici posse, Christum morte cruenta nobis remissionem peccatorum à Deo impetrasse, quatenus conditio fuit ipsi à Deo imposita, qua interveniente in cælum ingredi, & divinam illam potestatem, unde peccatorum nostrorum remissio pendet, adipisci debuit, atque adeo adeptus est.

Cætera, quæ hoc loco subjicit Grotius Partic. 14, ad comparisonem illam sacrificiorum pertinentia, sunt extra controversiam, licet non omnia divini auctoris verba recte ad suum institutum accommodet aut explicet. Est quidem commune sacrificio expiatorio legali & sacrificio Christi, quod sine sanguinis fusione non fit remissio: sed verba Hebr. 9. 22, de iis tantum, quæ sub lege fiebant, loqui, non semel monuimus. *yl. 23 & 24.* non expiatio legalis dicitur *ἡ ἁγία*, & *ἡ ἁγία* illius cœlestis sive spiritualis, sed ea, quæ olim ad cultum divinum adhibebantur, atque à Mose aspersa fuerant sanguine, ut dictum fuit *yl. 21.* appellantur *ἁγία* eorum, quæ in cœlis; & sancti manufacta dicuntur *ἁγία* sanctorum verorum, hoc est, ipsius cœli, ut Auctoris verba manifeste docent, quamquam alias & istud, si recte intelligatur, concedi potest, ut inferius intelligetur. Cum dicitur *yl. 9.* victimas legales non potuisse secundum conscientiam perficere cultorem, quod tamen præstat sacrificium Christi *yl. 14.* non hoc tantum, imo non hoc revera intelligitur, licet alias verissimum sit, victimas legales non potuisse auferre mortem æternam, Christi sacrificium posse: sed, illas non potuisse auferre reatum peccatorum ad conscientiam hominum proprie spectantium, quem in levioribus quibusdam, & ad carnem potius quam hominis conscientiam pertinentibus auferbant; nec vim habuisse homines ab ipsis peccatis liberandi, & sic efficiendi, ne in posterum conscientiam

suam peccatis polluerent: quod utrumque sacrificium Christi præstare *yl. 14.* dicitur.

Ad ea loca, in quibus Christus agens dicitur, quæ Grotius eodem dicit respicere, quo respiciunt ea, quæ de sacrificio Christi loquuntur, per ea, quæ diximus, satis est responsum. Quædam tamen de iis mox dicemus explicatius.

Quod addit Grotius Partic. 15: *neque multum ad rem faceret, etiamsi non soliti essent in lege agni pro peccato immolari*, in eo respicit ad verba Socini cap. 9. lib. 2, quem locum paulo post annotat Grotius, ubi Socinus asserit, *nec Johannem Baptistam nec alium quemquam sub Novo Fœdere, qui Christum agnum appellaverit, ad figuratam in Vetere Fœdere expiationem peccatorum vere respicere potuisse: sed ad sacrificia in universum, quibus non solum apud Hebræos, sed etiam apud gentes peccata expiari credebantur; quia in Vetere Fœdere, pro peccato nullus agnus immolaretur &c. exceptis quibusdam paucissimis sacrificiis, in quibus non quidem pro peccato sed pro delicto agnus mactabatur; & videre jubet Levit. 14. 12, & Num. 6. 12.* Quibus verbis non negat Socinus, iis in locis, ubi Christus agnus dicitur, respici ad sacrificia legalia, imo id aperte affirmat: sed non ad figuram seu typum legalem, qui ad Christum nominatim adumbrandum ex Dei voluntate esset destinatus, vere respici. Nam alludi potest etiam ad id, quod alterius rei typus verus non est, modo inter id, & rem, de qua agitur, similitudo aliqua sit & convenientia, qualis est etiam inter Christi & Gentium sacrificia, quæ tamen illius typum fuisse nemo dixerit; itemque inter Christi regnum & terrenorum Principum imperia generatim considerata, ad quæ, cum de illo agitur, non semel alluditur; inter conjugium seu matrimonium, & nostram spirituales cum Christo conjunctionem; inter epulas, & cœlestia nostra gaudia; ut alia innumera comparisonum exempla in Sac. Literis extantia omittam. Comparisonem ergo inter Christum & sacrificia, præsertim expiatoria, generatim considerata, iis in locis, ubi Christus agnus dicitur, non negat Socinus, idque vel ob similitudinem potissimum effectus, hoc est, expiationem seu ablationem peccatorum, ut in Baptistæ verbis, etiamsi in illis mactationis aut oblationis nominatim non habeatur ratio; vel simul etiam ob mactationem ac sanguinis fusionem, ut in aliis quibusdam Sac. Scripturæ locis. Agnum autem pro pecude in universum, quæ in sacrificiis mactari solet, poni, & hanc potius quam aliam, ad innocentiam, puritatem ac mansuetudinem Christi designandam nominari asserit.

Istud mirandum est, quod addat Grotius Partic. 16: *Verum insuper liquet agnum in contaminationibus expiandis fuisse usurpatum Levit. 14. 12, & Num. 6. 14, quæ quidem contaminationes in Lege Veteri peccato eoque aquabantur, ut & peccati nomen acciperent. Unde & agnus ille in reatum sive delictum offerri utrobique dicitur: & altero loco diserte additur, quia peccavit circa cadaver &c. & ad marginem adscribat: Contra Socini lib. 2. cap. 9, quasi hoc ipsum Socinus non agnovisset, aut contrarium scripisset; cum tamen hoc & scripserit, & locis iisdem, quibus Grotius, comprobarit, in iis verbis, quæ Grotius re-*

futare se ostendit. Ostendendum erat Grotio, ad ista tanquam ad typum quendam vere ac nominatim respici, cum Christus agnus à Johanne dicitur, qui peccata mundi tollat. Etiam si autem nonnunquam contaminationes istæ, quas Socinus *Delicti* nomine intelligit, Peccati nomen accipiant, id tamen adversus Socinum nihil facit. Apertissimum enim est ex ejus verbis, ipsum, Sacras Literas hac in parte sequutum, Peccati nomen stricte accepisse, quatenus à Delicto seu Contaminatione distinguitur, & ejusmodi labem intellexisse, cui Peccati aut Transgressionis nomen magis proprie convenit. At cum Peccati vox etiam ad Contaminationes transfertur, laxior aut minus propria est ejus significatio.

Quod de víctima paschali, quæ in prima institutione aliquid habuerit expiatorii, addit Partic. 17, id nihil ad rem facit, cum Socinus una cum Coveto de sacrificiis expiatoriis sub ipsa Lege loquatur. Neque Exod. 12. 5, dicitur, eam plerumque fuisse agnum, sed sine discrimine vel agnum vel hœdum. Si nihilominus plerumque agnus fuit, id ex eventu est, non ex instituentis præcepto. Quamquam ex verbis Moïsi, rationem hujus ceremoniæ diligentissime explicantis, non constat, Deum voluisse eo sanguine præterita Israëlitarum peccata, quibus se imitatione Ægyptiorum contaminassent, expiari, sed tantum eum voluisse hac veluti nota distingui domos Israëlitarum & Ægyptiorum, quo præcepto neglecto easdem cum Ægyptiis pœnas fuissent incurfuri. Vid. yf. 13, 23. Quare non est verisimile, Johannem cum Christum vocaret agnum, qui peccata mundi tollat, istuc respexisse.

De Agna vero cur testimonium affert Grotius Partic. 18, cum de Agno expresse loquatur Socinus, &, ne quis hic errare possit, Agnum ab Agna satis aperte distinguat, dum Agnam sive capellam pro peccato privati immolari solitam scribit, notatis in margine locis Levit. 4. 28, 32, & cap. 5. 6, quem posteriore hic citat Grotius.

Addit Grotius Partic. 19: *Agnus autem cum dicitur Christus, sacrificium notari, & quidem pro peccato.* Si hoc tantum vult, ad sacrificia pro peccato respici, & ad ea alludi, nihil id adversus Socinum. Si vero id vult, omnibus in locis, in quibus Christus agnus dicitur, eum considerari ut sacrificium, hoc est eatenus revera spectari, quatenus ad reatum peccatorum tollendum immolatus ac Deo oblatus est; id nequaquam probant loci à Grotio citati 1 Petr. 1. 18. Apoc. 5. 6, 9, 12. xij. 8. Neque enim primum, quod in his fit, id in omnibus locis, ubi Christus agnus dicitur, præsertim ubi nulla mactationis aut sanguinis fit mentio, qualis est in locis citatis, fieri est necesse; cum mansuetudinis aut puritatis singularis, aut ablationis peccatorum simpliciter in ejusmodi appellatione haberi possit ratio, licet ad sacrificia interea aliqua ratione alludatur. Verum neque in his ipsis locis, licet mactationis aut sanguinis fiat mentio, & ad sacrificia expiatoria alludatur, Christus eatenus consideratur, quatenus Deo fuit oblatus; neque ablatio reatus aut pœnarum ei tribuitur, sed in loco Petri & Apoc. 5, id ei tantum adscribitur, quod nos ipsius sanguine fuerimus redempti à vana conversatione, hoc est, ab impia vita liberati & ab-

stracati; quod nos sanguine suo emerit Deo, hoc est morte cruenta effecerit, ut nos Dei servi ac mancipia fieremus. Eodem sensu etiam cap. 7. 14, dicitur, homines sanctos stolas suas in sanguine Agni lavisse, hoc est vitam suam ab omni scelerum labe vi mortis Christi cruentæ repurgasse, spe immortalis vitæ certissima inde concepta.

Ex his liquet, quid respondendum sit ad sequentia Grotii verba, dum ait Partic. 20: *Unde plusquam manifestum est, cum dixit Baptista Christum esse Agnum, qui auferret Mundi peccata Joh. 1. 29, de peccatis ibi præteritis agi, non de futuris, & de auferendo per remissionis impetrationem apud Deum, non autem per fidei ingenerationem.* In verbis Baptistæ agi de peccatis præteritis, & de reatu auferendo, etiam Socinus scripsit, nec de eo quæstio est; sed id quæritur, an de præteritis peccatis tantum, & de solo reatu auferendo in iis sit sermo. Nos nihil arbitramur obstare, quominus in iis agatur etiam de expiatione peccatorum futurorum, hoc est eorum, quæ post agnitam veritatem per fragilitatem admittuntur, & de ablatione ipsorum peccatorum seu liberatione nostri ab impia vita; cum videamus alibi sanguini Agni id ipsum aperte tribui. Quod de futurorum peccatorum expiatione hoc est reatus ablatione diximus, id ipsum facile concedet Grotius; qui fortasse futura peccata aliter quam Socinus accepit, & sic ea in parte ipsum reprehendit. An enim illa Christi sacrificio non expiantur? quid ergo impedit, quominus eorum quoque expiatio Christo tum adscribatur, cum Dei Agnus dicitur, & ablatio peccatorum mundi eidem tribuitur? Neque obstat quod ad sacrificia Veterum alludatur, quæ nihil aliud, quam præteritorum peccatorum reatum auferebant, aut auferre credebantur. Comparatio enim sita est in ablatione peccatorum simpliciter, non in modo aut perfectione. Illa quæ sub Lege offerebantur, peccata auferebant imperfecte, Christus Dei agnus perfecte. Illa enim præterita peccata tantum, & quidem non omnia, sed solum leviora debebant: Christus præterita omnia, quotcumque aut quantacumque tandem sint, & futura: illa reatum solum, eumque temporarium, tollebant, ab ipsis peccatis homines non abstrahabant: Christus non modo reatum ac pœnam, maxime æternam, aufert, sed ab omnibus peccatis, quæcunque perpetuæ remissioni obstant, avocat & liberat. Qua de re infra nobis iterum erit dicendum, ubi ostendemus, Auctorem Epist. ad Hebr. sacrificio Christi ablationem non tantum reatus, sed ipsorum etiam peccatorum, in quibus antea hæseramus, tribuere. De impetratione remissionis apud Deum nihil est in verbis Johannis, præsertim si in eum sensum accipiat, qui Socini sententiæ repugnat. Grotius, qui in ea re sententiam suam figit, non debuit eam sine probatione sumere.

Pergit Grotius Partic. 21: *Neque verum est, quod dicit Socinus, solum sacerdotem summum, Christi, solumque anniversariam expiationem, sacrificii ipsius figuram gessisse.* Quamquam enim in summo sacerdote, & illo solenni sacro figura quadam fuit excellentior, quam propterea singulari cura Spiritus sanctus in epistola ad

* In posteriori editione additur aut certe sola quæ pro populo fierent sacra. Addendum adhuc erat, stata.

Hebraeos persequitur, negari tamen non potest, quia & sacerdotes alii, & sacra alia expiatoria obscurius eodem respexerint. Monstrat hoc eadem illa Epistola cap. 9. 13, ubi omnis carnalis per victimas purificatio cum spirituali per Christum purgatione confertur, multoque magis vers. 21 & seqq. ubi cum dictum esset universaliter, omnia ferme in lege sanguine purgari, neque aliter quam fuso sanguine contingere peccatorum remissionem, subiungitur deinde, ἀνέκων &c. id est necesse igitur est exemplaria quidem eorum quae in caelis his expurgari. in margine notat: contra cap. 9. lib. 2.

Recte animadvertit Grotius, Socinum non dicere, solam anniversariam expiationem sacrificii Christi figuram gessisse, sed hanc potissimum. Ita enim scribit eo, quem Grotius citavit, loco: *Figura mortis Christi erant tantummodo sacrificia illa, quae publice, hoc est pro universo populo, ipso etiam aliquando summo sacerdote non excluso, & statis temporibus fiebant; praesertim vero illud, quod semel in anno summus sacerdos, in sancta sanctorum ingrediens peragebat.* Et paulo post: *In hoc igitur sacrificio (anniversario) ut dictum est, potissimum mors Christi, adeoque ipse Christus, quatenus Deo pro nobis sacrificavit, adumbratus fuit.* Fuisse autem praeter istud anniversarium sacrificium alia quaedam sacrificia expiatoria stata & publica, patet ex Num. 28. 15, 22, 30. & xxix. 5, 11, 16, 19, 22 &c. Vult ergo Socinus, publica & stata sacrificia atque in primis anniversarium, figuram fuisse sacrificii Christi: cetera vero, sacrificiorum nostrorum spiritualium. Nam & nos istiusmodi sacrificia, quibus intervenientibus peccata expiantur Psal. 50. 18. Prov. 16. 6. Act. 3. 19. 1 Petr. 2. 5, seu remissio peccatorum ex Dei benignitate obinetur, offerimus: quod satis luculenter ibi demonstravit Socinus, cuius rationes Grotius non artigit. Sacerdotem etiam summum esse verum Christi summi sacerdotis typum ibi. & 9. Apoc. 1. 10. v. 10; ceteros vulgares sacerdotes nobis, qui etiam sacerdotes sumus, censet respondere, qua de re mirum est, si quisquam dubitet. Hoc enim pacto, quemadmodum universum Foedus antiquum imago quaedam est novi, ita illius partes, huius etiam partibus, aut rebus, ad id pertinentibus, apte respondebunt. Rationes Grotii contrarium non evincunt. Nam primum non docetur à Grotio Hebr. 9. 13, sermonem esse de omnibus prorsus sacrificiis legalibus; cum tantum mentio fiat sanguinis taurorum & hircorum, & cineris juvencae aspergentis eos, qui essent polluti. Ubi per sanguinem taurorum & hircorum intelligi potest sanguis victimarum, quae in anniversario sacrificio mactari solebant, cuius fusione interveniente Pontifex summus in sancta ingrediebatur, cuius mentionem fecerat divinus auctor vers. praeced. ubi eum sanguinem hircorum & vitulorum appellat. Infra cap. 10. 4, denuo sanguinem taurorum & hircorum appellat. Manifestum enim est ex praecedentibus, auctorem divinum de anniversario sacrificio ibi loqui. Quod ad cinerem juvencae attinet, ille sacrificium revera non erat, sed quippiam ex sacrificio relictum, quod ratione purgationis cum Christi sanguine eleganter potest conferri, praesertim cum ejus vis non ad unum aut alterum tantum,

sed ad omnes, qui polluebantur, pertingeret, licet aspersio ipsa variis temporibus fieret à variis, & sic diversis temporibus ejus vis ad singulos perveniret; quemadmodum etiam variis temporibus ad varios vis sanguinis Christi pervenit, eosque expurgat, licet semel tantum sit fusus. Adde quod hoc institutum esset perpetuum, nec juvencae illius immolatio ac combustio ex populi voluntate penderet, sed ex Dei praescripto ab ipso sacerdote perageretur, adeo ut sacrificium hoc recte possit accenseri iis, quae Socinus sacrificii Christi typos constituit. Sed praeterea si Grotii verba spectemus, non multum ea contra Socinum faciunt. Grotius enim purificationem carnalem cum spirituali conferri ait, per purificationem proculdubio cum Divino Auctore effectum victimarum intelligens. At Socinus de ipsis victimis loquitur, non de earum effectu. Posset autem ideo omnis illa carnalis per victimas legales purificatio cum purgatione nostra spirituali per Christi sanguinem conferri, quia illa per se considerata huius quaedam esset figura, nulla interim habita ratione ejus, quod omnia prorsus sacrificia, unde illa proficisceretur, sacrificii Christi revera essent typi; praesertim cum purificatio illa, quae ex nostris sacrificiis proficiscitur, eadem ex sacrificio Christi proficiscatur, imo nostra sacrificia non nisi efficacia illius interveniente expurgent. Sed nec ex ipsius Auctoris verbis, nisi id aliunde constaret, consequitur, illam purificationem huius typum esse; cum ad Auctoris divini argumentationem ab imparibus ductam satis sit, purificationem nostram spiritualem ex sacrificio Christi certius proficisci, quam carnalem illam ex legalibus. Hoc autem verum est, etiam si non constet, unam alterius figuram esse, tantum ob eam causam, quod legales victimae ad illam purgationem ex se nullam vim haberent, Christi autem sacrificium ad conscientiae nostrae purgationem vim ex se habeat maximam. Simile argumentationis genus, inter alia habes 2 Cor. 3. 7 & seqq. ad cuius robur haudquaquam requiritur, ut eorum, quae inter se comparantur, alterum alterius typus esse statuatur.

Verba vs. 21, 22, collata cum verbis vs. 23, item sententiam Grotii non confirmant. Neque enim dicitur vs. 23, sacrificia legalia, praesertim omnia, esse exemplaria aut typos sacrificii Christi: sed ea, quae sub Vet. Foedere sanguine purificata in praecedentibus dixerat, fuisse exemplaria eorum, quae in caelis. De victimis ipsis, quod ad ipsarum inter se comparisonem attinet, nihil dicitur aliud, quam quod coelestia praestantioribus sacrificiis expiari debuerint, quam ipsorum exemplaria. Sed praeterea vel hic respicitur ad asperisionem tabernaculi & vasorum ministerii per Moysen factam, de qua vs. 21, qua res istae fuerunt consecratae, à vulgaribus ac profanis secretae, & divino cultui penitus dedicatae; quod per similitudinem quandam ad coelestie tabernaculum, licet alias haudquaquam profanum, ea ratione potest accommodari, quod id, victima Christi eo illata, huic usui fuit consecratum, ut ibi oblatio perfecta, & expiatio peccatorum nostrorum à Christo Pontifice nostro magno perageretur, quod antea factum non fuerat: quod si admittatur, verba vs. 23,

potissimum apta erunt ex vers. 21. & intermedia tantum ad amplificationem eorum, quæ de sanguinis usu dicta fuerant, pertinere censebuntur; & sic locus ad controversiam nostram nihil pertinebit; cum Socinus de iis victimis loquatur, quibus hominum delicta solerent expiari, quæque sub Lege iterarentur: vel, si per expiationem exemplarium, eorum quæ in cœlis, & ipsorum cœlestium, intelligitur expiatio peccatorum eorum hominum, qui vel ad cœleste, vel ad terrenum sacrarium pertineant, h. e. Judæorum & Christianorum; respicietur ad sacrificium anniversarium, quod nos verum sacrificii Christi typum esse contendimus, & ad quod ab auctore divino respici sequentia ipsius verba vers. 24. & 25 aperte demonstrant. Nam de expiatione ista solenni ita legimus Levit. 16. 16. quod Pontifex sanguinem hirci, qui pro peccato populi offerebatur, intra velum debuerit inferre atque ibi versus propitiatorium spargere; & additur vs. 16: *et emundabit sanctuarium ab immunditiis filiorum Israël, et à pravaricationibus eorum, cunctisque peccatis eorum: et sic faciet tabernaculo conventus, quod commoratur cum eis in medio immunditiarum eorum*, quâ scilicet ipsum sanctuarium & tabernaculum immunditiis seu peccatis Israëlitarum pollueretur ac profanaretur, eoque expurgato, expiarentur ipsius populi peccata. Populus autem divinus sub Novo Fœdere ad cœlestia sancta pertinet, ad quæ illis per sanguinem Christi patefactus est aditus Hebr. 10. 9 & c. 6. 19, 20. 9. 8. quæ dum Christo eo per sanguinis effusionem ingresso (ut cum divino auctore loquamur) expurgantur, peccata nostra expiantur. Quare hic locus non tantum sententiam Socini non convellet, sed cum ea pulchre consentiet.

Pergit Grotius Partic. 22: *Sic et cap. 10. 11. quotidiana sacrificia cum Christi sacrificio comparantur: cujus loci sententiam evertit Socinus, quotidie exponens quotannis, nullo exemplo. Nam quod locum Hebr. 7. 27. adfert huic interpretationi firmandæ, frustra est, cum falso sumat, sacerdotem in solo anniversario sacrificio pro se offerre debuisse. Contra enim offerre pro se debuit, quoties peccati sibi esset conscius, Levit. 4. 3. Paschale quoque sacrificium sacrificii à Christo peracti figuram fuisse, ostendit Johan. 19. 36. et Paulus 1 Corinth. 5. 7.*

In loco citato cap. 10. de sacrificio anniversario sermonem esse, satis docere possunt ea, quæ ab ipso capitis initio leguntur, unde cætera, quæ hoc loco dicuntur, pendere, præter rem ipsam, Beza in sua versione ostendit. Institutam enim esse à Divino auctore collationem inter solenne sacrificium expiatorium, & sacrificium Christi, vs. 1. & 3. aperte comprobant. Particulam illam *καὶ ἡμῶν* non simpliciter explicat Socinus per vocem *quotannis*, sed certo quodam tempore perpetuo, ut eo loco, quem Grotius citavit, videre est, h. e. certo quodam die quotannis. Hoc vero nec sine exemplo fecit Socinus, nec, si exemplum deesset, protinus repudiari deberet, cum rationem hujus suæ interpretationis attulerit, quod de anniversario sacrificio hucusque institutus esset sermo, quod veram oblationis Christi umbram fuisse antea docuerat. Quod ad locum cap. 7. 27. attinet, in quo exemplum ejus significationis extare Socinus

statuit, non dicit Socinus, summum Sacerdotem in solo anniversario sacrificio pro se offerre debuisse; sed ita scribit: *Nusquam legitur, summum Sacerdotem in sacrificiis, quæ pro populo fiebant, pro se etiam offerre debuisse, nisi in sacrificio illo anniversario.* In sacrificiis igitur quæ pro populo fiebant, debuisse pro se etiam offerre summum sacerdotem, nisi in illo anniversario, nusquam legi scribit Socinus: non vero, eum pro se separatim offerre non debuisse, cum sibi delicti alicujus esset conscius. Id autem rectissime urget Socinus, quia Auctor D. loco d. cap. 7. manifeste facit mentionem sacrificii, quod pro populo fieret, in quo sacerdos prius pro se, tum demum pro populo offerre debuerit. Ita enim ait: *qui (Pontifex noster Christus) non habet quotidie necesse, quemadmodum illi Pontifices, prius pro propriis peccatis victimas afferre, deinde (pro peccatis) populi. Hoc enim fecit semel cum se ipsum obtulit.* Adde quod ne sic quidem, si Grotium sequamur, sacerdos quotidie offerre debuerit, non magis quam alius quivis è populo. Neque enim quotidie peccati alicujus sibi erat conscius, pro quo offerre deberet, alias idem de quolibet Israëlita dicendum esset. Quapropter rectissime statuit Socinus de anniversario sacrificio ibi esse sermonem, ac proinde vocem *quotidie* ita interpretandam esse, ac si dictum esset, certo quodam die quotannis.

Quorsum de Paschali victima testimonia Grotius afferat, causam non video: cum Socinus de sacrificiis expiatoriis in Lege constitutis loquatur. In eorum autem numero non fuit victima Paschalis sub Lege, quæ nec Deo fuit oblata, nec expiandi vim, eo præsertim tempore, habuisse uspiam legitur. Alias eam victimam Christi typum fuisse non negamus.

Quæ de sacrificiis Gentium, earumque super hoc negotio sententia fuscè subjicit Grotius Partic. 23, ea figillatim examinare nihil est opus, postquam vidimus, quid de vi sacrificiorum ab ipso Deo institutorum, & quidem eorum, quæ sacrificii Christi figuræ fuerunt, ex divinis literis sit sentiendum, & quid ex iis, quod ad nostram controversiam pertineat, concludi debeat. Nonnulla tamen, quæ ad rem nostram magis pertinent, attingemus.

De voce *ἱλασμεν* actum est cap. 7. Partic. 9. & seqq. Voces *ἀγίζειν, καθαίρειν*, nil juvant Grotium; nec illud, quod pro eodem ponantur *λύσις & καθαίρεσις ἀδικημάτων*. Ideo enim id fit, quod sacrificiorum interventu homines censerentur solvi scelere & reatu. *Ἀποτρόπαια* etiam recte possunt dici sacrificia expiatoria, quod avertant pœnam, vel etiam iram divinam, unde pœna proficisci solet. Ostendimus autem c. 7. qua ratione de Christo quoque dici possit, eum iram divinam à nobis avertere. Quod Conciliari sit idem quod Placari, id nihil ad rem facere eodem loco docuimus, quia Sacræ Literæ nuspiam dicunt, quemadmodum in Poëtæ dicto, quod Grotius citat, *homini Deum conciliari*; sed, *homines conciliari Deo*. Lustrale Sacrum esse quod sanguine emit, id ea, quæ de redemptione disputavit Grotius, non comprobant; nisi doceat, vocem *emendi* propriè accipiendam, & idem prorsus de Sacro nostro expiatorio, & redemptione per Christum peracta intelligendum esse. Quod

ait, imprimis notandum, sæpiissime, cum de Sacris expiatoriis agitur, sanguinis fieri mentionem, quia ex vetustissima Dei lege Noacho data Genes. 9. 4. atque inde ad populos omnes propagata, sanguis sit vice anima, ac propterea anima nomine appelletur, in eo fallitur. In illa enim Dei Lege non dicitur, sanguinem esse vice anima, five per Animam intelligas animam humanam, cujus vice ac loco sanguis bestiarum in Sacris expiatoriis detur, quemadmodum intelligere videtur Grotius; five animam bestiarum, quam Deus isto loco designat. Prohibens enim esum sanguinis bestiarum, animam carnis, sanguinem per appositionem vocat; quia anima sit in sanguine, ut loquitur hac eadem de re Deus in loco supra examinato Levit. 17. 11. & 14. h. e. quia sanguis sit vehiculum quoddam animæ, ut viri docti notant, seu vehiculum vitalis istius Spiritus, qui una cum sanguine ad totum corpus animandum, vitamque animalis conservandam diffunditur, nec vehiculum tantum, sed & quoddam nutrimentum. Ex sanguine enim purissimo in corde vitales Spiritus gigni docent Philosophi, per quos animæ vis toti corpori dispensatur. Atque hanc ob causam à Poëtis etiam anima pro sanguine videtur usurpari. Piare, etiam si nonnunquam de pœnis dicatur, per se tamen ejus significatio latius patet, & idem est quod ἀγνίζειν & καθάρζειν h. e. purificare, seu purgare ac remove scelus, ejusve reatum. Vidimus enim alibi, lustrationem, quæ eadem expiatio dicitur, ut vel ex Grotii dictis constat, apud veteres iis sæpe rebus peragi solitam, quæ cum pœna nihil haberent commune. Piandi autem vox ideo de pœnis usurpari potuit, quia pœnis etiam scelera expurgantur, & reatus tollitur, aut quia insignior præ aliis expiandi modus olim esset per victimas, quæ peccati alieni causa mactabantur, & sic figurate pœnas luere dici poterant. Quare illud negamus, quod Grotius contra Socinum concludit, in sacrificiis piare, esse luere per successionem rei alterius in locum pœna debitæ, præsertim si luere sumatur pro pœnam proprie dictam persolvere, aut vere satisfacere: alias id adversus Socinum revera non facit. Quanquam Socinus cum de Expiatione loquitur, non ad vim propriam vocis Latinæ, sed ad significationem vocum Græcarum & Hebræarum, quæ Expiandi verbo ab interpretibus reddi solent, respicit. Non esse autem eam vim verborum Hebræorum aut Græcorum, partim ex iis, quæ alibi disputavimus, patet, partim ex iis apparebit, quæ infra dicenda erunt. Argumento autem est illud, quod etiam sancta, & aradicatur sacrificiis Expiari, vide Exod. 29. 37. 30. 29. Ezech. 43. 20, 22. 45. 18. 20. De voce Pro cap. 9. satis diximus.

Scribit denique Grotius Partic. 24, ad calcem hujus de Sacris gentium narrationis: *Mos ille Gentium in expiandis peccatis, hominum aut pecudum mactatione, non parum affert lucis ad intelligendam ipsam sacrificii expiatorii naturam, & vocabula propria ejus argumenti. Eoque minus sperni potest hic labor, quod dicat Socinus, Baptistam, cum Christum agnum Dei appellavit, ad sacrificia in universum respexisse, quibus non solum apud Hebræos, sed & apud Gentes peccata expiari credebantur. Neque vero dubitandum est, cum in hoc ipso sacrificii expiatorii argumento voces Græcas καθα-*

αίρειν & ἀγνίζειν sæpiissime usurpat divinus scriptor ad Hebræos, quin eo sensu usurpaverit, quem Græca lingua receperat.

Quicquid ex Gentium institutis de sacrificiorum natura, aut vocum ejus materiæ propriarum vi in Sacris Literis colligi potest ac debet, id ejusmodi est, ut ex ipsismet Sacris Literis, absque ista narratione intelligi potuerit. Et sane quicquid in hac materia ex ipsis Sacris Literis intelligi non potest, id, licet Gentium consensu comprobatum videremus, merito tamen, cum de divinorum institutorum vi ac natura quæritur, nobis suspectum esse deberet: cum videamus Gentes, etiam eas, quæ humaniores cæteris fuerunt, eo erroris progressas, ut humanis victimis numen placari posse crederent, quemadmodum fuisse docuit Grotius. Plutarchus, cum in lib. de Superstitione sacrificia Gentium partim ridicula, partim impia & crudelia, quales humanæ victimæ, graviter reprehendisset, subjicit: *Nullus est animi morbus tam multis erroribus ac perturbationibus scatens, ac tam inter se dissidentibus ac pugnantibus opinionibus refertus, atque superstitio.* Quid vero mirum, si dæmones, quibus, ut alibi monuimus, sacrificabant Gentes 1 Cor. 10. 20, & qui in istis tenebris imperium quodammodo in mundo habebant, effecerunt, ut tum reliqua cultus divini, tum sacrificiorum ratio perverteretur, ac plus rebus istis externis tribueretur, quam Deus vel ante Legem vel sub Lege iis tribui voluit? Deinde victimæ istæ Gentium non à numine ipso hominibus suppeditari solebant, aut ex ejus in homines amore singulari proficisci credebantur, sed ab hominibus ipsis numini irato offerri, ad ejus iram placandam & favorem emerendum solebant. At victima hæc nostra, de qua agimus, ab ipso Deo in sempiternam hominum felicitatem, ipsis nihil tale cogitantibus fuit suppeditata, & ex ingenti ejus erga nos amore profecta, & sola ipsius & Christi (ut sic dicam) voluntate peracta fuit. Quare etiam si illæ vim placandi numinis habuisse crederentur, non tamen idem de Christi victima statuendum est; cum antequam illa mactaretur atque offerretur, Deum nobis placatum fuisse necesse sit; quemadmodum cap. 7 abunde docuimus. Præterea illa Gentium, ut & Judæorum sub Lege sacrificia, proprie fuerunt talia: Christi sacrificium improprie, seu per analogiam ac similitudinem ita dicitur, licet illis sit longe divinius. Quare cum improprietas diversitatem parit, id, quod sacrificiis proprie dictis tribuitur, ad Christi sacrificium non eodem plane modo referendum est, sed per analogiam accommodandum, & divinius aliquid intelligendum. Observandum & illud est, etiam si ex eo, quod sacrificiis proprie dictis convenit, jure colligi queat, vel idem, vel aliquid analogum sacrificio Christi convenire: non tamen contra, si quid illis non conveniat, nec Christi sacrificio convenire, concludendum est: cum hoc sit longe perfectius, & vim quandam habeat, quam ne legalia quidem habuerunt. Qua de causa etiam hæc illi cedere oportuit, ut postea intelligetur. Itaque quod ad voces Græcas καθααίρειν & ἀγνίζειν, h. e. purgare & sanctificare, attinet, quibus in hoc argumento non semel utitur D. scriptor ad Hebræos eæ ad Christi sacrificium & sacerdotii functionem re-

latæ, eo etiam sensu usurpantur, quem Græca lingua receperat, h. e. de expurgatione reatus, & aversione iræ numinis aut pœnæ: licet in modo, quo ea fiat, quam voces ipsæ vi sua non exprimunt, sit diversitas, talis tamen, quæ analogiam & similitudinem penitus non excludat. Interdum etiam id significant, aut una cum eo, quod modo diximus, comprehendunt, quod ad alia quidem sacrificia relatæ significare non solent, sua autem natura non minus significare possunt, quam ablationem reatus ac pœnæ. Denotant enim interdum etiam purgationem ab ipsorum peccatorum sordibus, quæ ἀγιασμός seu sanctificationis nomine etiam magis proprie designatur. Quæ de re diximus non nihil initio c. 8.* Interdum denique Hebraicam consuetudinem magis sequuntur, & declarationem significant liberationis à reatu ac pœna, ut postea videbimus. Notum enim est N. Testamenti scriptores Græca vocabula ad Hebraicam consuetudinem solere deflectere: id quod in verbo ἱλασμός, quod itidem hujus argumenti ac materiæ verbum est, accidere cap. 7 vidimus, & Grotius, quod ad constructionis rationem attinet, in loco Hebr. 2. 17 falsus est. Quod Socinus dixit, Baptistam ad sacrificia in universum respexisse, &c. Id nihil Grotium juvat. Neque enim Socinus ait, Baptistam respexisse ad modum, quo sacrificia vel apud Hebræos vel apud Gentes peccata expiare crederentur, sed ad ipsam expiationem vel ablationem peccatorum simpliciter, quæ ex sacrificiis proficisci credebatur. At hic non simpliciter de ablatione peccatorum & reatus expurgatione est controversia, (de hac enim utrinque constat) sed de modo speciali. Hunc vero ex Gentium institutis ac sententiis recte colligi, non est concedendum, cum nec ex legalium victimarum natura modus, quo sacrificium Christi peccata expiat, revera aut plene cognosci possit.

Pergit Grotius Partic. 25: *Unde jam promptum est intelligere, quid illud significet, quod Christus sacrificium pro peccato sive expiatorium dicitur. Nam cum tres interpretationes afferat Socinus: primam, quod Christi mors fidem nobis ingenerando nos à peccatis in posterum retrahat: alteram, quod mors ipsa antecedens sit quiddam ad peccatorum remissionem consequendam: tertiam, quod ipsi remissioni aut decreto de ea facto testimonium quasi præbeat: ex his tribus sola secunda huc pertinet: non quod non alia quoque illa Christus fecerit, & quidem multo quam Socinus opinatur efficacius, sed quia ista ad sacrificium pro peccato non pertinent.*

Hic primum animadvertendum est, ex ipsius etiam Socini mente, mediam significationem, vel potius vim sacrificii Christi expiatorii, esse potissimam, & ob eam in primis id expiatorium dici. Deinde significatio secunda non est à Grotio recte distincta à prima. Nam sacrificium Christi etiam eatenus est quippiam antecedens ad remissionem consequendam, quatenus fidem ingenerando nos à peccatis in posterum retrahit. Fides enim nostra & resipiscentia est conditio ad remissionem consequendam necessaria, eamque antecedit. Multo ergo magis id antecedit, quod eam conditionem in nobis efficit. Distinctio igitur in eo potius consistit, quod sacrificium Christi, qua fidem nobis ingenerat, sit antecedens

remotius, ex quo, natura rei inspecta, nisi quid accederet aliud, remissio peccatorum non consequeretur; quæ vero peccatorum remissionem actu ipso confert, quæ est altera illa significatio, quam nos potissimam esse dicimus, antecedens est proximum. Quod ad tertiam significationem attinet, licet Socinus lib. 2. cap. 20. quem locum hic Grotius notat, doceat, Christum eatenus etiam dici peccata expiassè, quatenus ea expiata declaravit, non tamen ibi asserit, Christum ea de causa sacrificium expiatorium dici. Considerat enim eo loco Christum non ut sacrificium, sed ut Sacerdotem, eumque non cum sacrificiis legalibus, sed cum ipso Sacerdote peccata expiante confert. Et si autem Christus idem sit Sacerdos & sacrificium, ratione tamen ea differunt, & alia Christo qua sacrificium est, alia qua Sacerdos conveniunt. Non diffitemur tamen, ex iis, quæ Socinus disputat, colligi posse, Expiatorii nomen sacrificio Christi etiam eatenus tribui posse, quatenus expiationis, quam nobis per ipsum Deus præstat aut præstiturus est, plenissimam fidem facit. Siquidem Expiare, docente Socino, significat etiam Mundum declarare: declaratio autem illa etiam sacrificio Christi tribuitur. Quod vero ait Grotius: *Ista duo ad sacrificium pro peccato non pertinere*, si hoc tantum vult, ea ad essentiam ac naturam sacrificii expiatorii generatim considerati non pertinere, seu sacrificium aliquod expiatorium esse posse, quod ea vi careat; id quidem verum est, sed hinc non consequitur, ista ad sacrificium Christi expiatorium, de quo nos agimus, non pertinere, aut ob illas etiam causas id expiatorium dici non posse. Si vero vult, ea nulla ratione ad sacrificium expiatorium pertinere, & per accidens tantum cum expiandi virtute coherere; dictum negamus. Nam quatenus sacrificium fidem ingenerat, & à peccatis avocatur, eatenus multum confert ad effectum & finem proprium, ob quem offertur, h. e. ad plenam ac perpetuam peccatorum remissionem; cum nemo eam à Deo consequi possit sine fide ac resipiscentia, contra vero, quicumque his rebus instructus est, illam Dei beneficio consequatur. Eodem modo, inscribere leges & conditiones fœderis ab altero propositas, animo illius, cum quo fœdus pangitur, non pertinet quidem ad naturam & essentiam fœderis, & tamen Fœderi Novo apud Hieremiam Hierem. 31. & Scriptorem Divinum ad Hebræos Hebr. 8. 7. & seqq. 10. 16 tribuitur, & quia Antiquum fœdus ea vi caruerit, vitio non earuisse asseritur. Nempe quia id ad finem, ob quem fœdera constituuntur, plurimum confert. Quod ad testificationem remissionis attinet, nec ea sacrificio expiatorio, qua tale, prorsus est accidentaria: cum propter hoc ipsum Expiare quis dici possit, quod peccatorem declarat mundum aut expiatum: siquidem hæc etiam est illius vocis significatio. Adde quod testificatio de remissione nobis à Deo decreta sit expiationis, quæ re ipsa nobis vi sacrificii Christi contingere debeat, causa. Inde enim partim jus ad ipsam liberationem à pœna adipiscimur, & à supplicio securi reddimur; partim fides ac pœnitentia in nobis excitatur, qua interveniente re ipsa Christi sacrificio expiamur. Nec denique ipsa legalia sacrificia hac vi, ex divino instituto ac decreto

prorsus caruerunt. Sacrificio enim oblato ac rite peracto, reus à peccato suo immunis declarabatur, deque remissione peccatorum certus reddebatur, cum id Deus promississet. Quod ait Grotius, ista duo, quæ Socinus Christi sacrificio tribuit, Christum multo efficacius præstitisse quam Socinus opinetur, id facilius fuit dicere, quam demonstrare.

Ex iis, quæ diximus, colligi potest responsio ad sequentia Grotii verba Partic. 26, ubi ex eo, quod sacrificia legalia, & sacrificia Gentium ex earum opinione considerata, vi illa duplici, de qua controversia est, caruerint, concludit, nec ad Christi sacrificium Expiatorium eandem pertinere; siquidem comparatio sacrificii Christi cum sacrificiis legalibus & Gentium victimis expiatoriis, fatente Socino consistat in ipsa expiatione. Nam primum ad comparationem illam ratione Expiationis satis est, si illa expiandi vis, quam habebant sacrificia legalia, & habere credebantur sacra Gentium, etiam Christi sacrificio conveniat, etiam si quippiam amplius ad Expiationem pertinens sacrificium Christi præstet; cum legalia (nam de Ethnicorum Sacris nil attinet amplius dicere) imperfecta fuerint, hoc perfectissimum; illorum præstantissima, typi & umbræ hujus, hoc corpus & antitypus. Non est autem necesse, ut id universum, quod corpori tribuitur, tribuatur etiam umbræ; imo necesse est, ut id minime fiat. Adde quod prior illa vis sacrificii Christi, de qua controversia est, non tam ad Expiationis simpliciter sumptæ naturam & essentiam, quam ad ejus modum aut perfectionem pertineat. Comparatio autem in re ipsa potius, quam in modo aut perfectione consistit. Veruntamen non est illud concedendum, quod sumit Grotius, sacrificia legalia remissioni vel peractæ, vel certo decretæ testimonium non præbuisse, qua de re paulo ante diximus, & Socinus scripserat lib. 2. cap. 13. Verba illa legis: *Expiabit & remittetur*, ostendunt quidem, sacrificia illa legalia, fuisse aliquod antecedens requisitum ad remissionem, sed interim non ostendunt, ea non præbuisse testimonium remissioni, vel jam peractæ, vel certo decretæ. Quid? quod viri doctissimi in illis ipsis verbis vocem Expiandi pro *emundatum declarare* poni scribunt, de certo emundationis futuræ seu remissionis decreto loquentes. Eadem verba haudquam excludunt alteram illam vim ad Expiationem peccatorum nostrorum pertinentem, quam Christi sacrificio Socinus tribuit, quod nimirum à peccatis nos avocet. Nam hoc ipsum etiam esse quoddam requisitum remissionem antecedens, antea diximus. Verum quidem est, illa verba sacrificiis legalibus accommodata istam vim non complecti: sed nec excludunt, & per se considerata eam complecti possunt. Quatenus Expiatio sacrificiis legalibus & Christo applicata idem significet, jam dictum est. Ut prorsus idem significet non est necesse. Plus significat in corpore quam in umbra. Nec contrarium evincunt verba illa Hebr. 9. 22. sine sanguinis fusione non fit remissio: nec admittendum est, Auctorem divinum ex eodem illo decreto deducere utramque expiationem, puta sacrificiorum legalium, & Christi: cum de eo tantum, quod sub Lege fiebat, loquatur; ut propter Grotium toties

hæc verba iterantem, jam sæpe monuimus. At ratio antitypi non ex typo pendet, sed contra. Quamquam etiam si id Grotio concedatur, ipsius causam non juvabit, nec Socini refellet.

Pergit Grotius Partic. 27: *Non obstat, quod dicitur ad Hebr. 10. 4. fieri non posse ut sanguis taurorum & hircorum tollat peccata. Repetendum enim est ex superiori *κατὰ τὸν οὐρανόν*, ut manifesto apparet, si cum hoc loco similes conseras cap. 9. 9 & 14. Sanguis pecudum tollebat peccata, id est reatum temporalem, non autem tollebat reatum spirituale, ut supra ostensum est.*

Ita obscure argumentum Socini, quo is sententiam suam defendit, proposuit Grotius, ut Lector, quorsum id pertineat, haud facile possit animadvertere. Probatum autem isto loco Hebr. 10. 4. Auctorem divinum imperfectionem sacrificiorum legalium ex eo arguere, quod peccata auferre, h. e. homines ab ipsis peccatis avocare & abstrahere non potuerint; quæ causa fuerit, cur ea sæpius repetere fuerit necesse, ac tandem sacrificio Christi, quod eam vim habeat, tolli & aboleri. Ex quo apparet, ad sacrificium Christi expiatorium, ejusque perfectionem pertinere, ut à peccatis homines revocet & abstrahat. Auferre autem peccata hoc loco significare, à peccatis homines avocare, & efficere ne amplius peccent, non vero, ut Grotius putat, reatum spirituale seu pœnam æternam peccatorum auferre, inde patet, quod Auctor divinus rationem hic reddit, cur quotannis, nempe cum solenne illud sacrificium à Summo Pontifice perageretur, fieret commemoratio peccatorum. Huc autem nihil facit, quod sacrificia legalia reatum spirituale seu pœnam æternam non auferrent, (neque enim eam ob causam quotannis peccatorum instituebatur commemoratio) sed quod homines, licet semel sacrificiis illis expiati, à peccando tamen eapropter non cessarent, verum in eadem peccata denuo relaberentur, unde necesse erat, eadem sacrificia quotannis ad illa peccata expianda repeti, & eorum confessionem ac commemorationem institui. At cum sacrificio Christi homines ab omnibus peccatis, quæ remissioni peccatorum perpetuæ obstant, avocentur, non est necesse illud iterari. Hunc sensum quivis Auctoris verba ab initio capitis perlegens, præsertim jam admonitus, facile animadvertet. Hoc idem, nempe à peccatis homines avocare, & eosdem inculpato reddere, vocat Auctor divinus *perficere* seu *consummatum reddere* vers. 1. hujus effectus est, *nullam habere amplius conscientiam peccatorum*, vers. 2. His opponitur: *commemorationem peccatorum in sacrificiis fieri quotannis* vers. 3. & *non posse auferre peccata* vers. 4, & 11. Quapropter non est opus in vers. 4. subaudire quicquam, quod ad sententiam Auctoris complendam pertineat. Quod si tamen subaudienda esset particula illa *κατὰ τὸν οὐρανόν*, non protinus is esset sensus, quem vult Grotius, nempe sacrificia legalia non potuisse auferre reatum spirituale seu æternum; sed, ea non potuisse auferre reatum, ne carnalem quidem, eorum peccatorum, quæ ad conscientiam & interiorem hominem proprie spectant. Nam si illa verba subaudienda essent, tum peccata ea, quæ sacrificiis istis auferri non possent, distinguerentur ab illis, quæ pote-

rant auferri, non vero pœnæ à pœnis. Hunc sensum esse docuimus supra verborum cap. 9. 9. quem locum cum hoc conferri vult Grotius; quamquam nihil cogit, eandem prorsus hujus & illius esse sententiam. Quod si eadem utriusque agnoscenda esset sententia, tum verba illa cap. 9. 9, eo modo accipienda forent, quo nos verba cap. 10. 4. & 11. accipimus, ita ut ideo dicantur sacrificia non potuisse secundum conscientiam perfectum reddere cultorem, quia nullam habuerint facultatem homines ab ipsis peccatis retrahendi, & conscientiam à vera labe repurgandi. Et sane utrumque hoc, quod diximus, divinus Auctor illis verbis videtur significare voluisse; quemadmodum contrarium utriusque tribuit sanguini Christi vers. 14. quem etiam cum loco cap. 10. conferri vult Grotius. Ait enim ibi: sanguinem Christi emundaturum conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi. Emundat autem conscientiam nostram à mortiferis illis operibus, dum & reatum gravissimorum scelerum, quæ sub Lege mortem omnino afferebant, nec expiari sacrificiis poterant, tollit, & ut ab iis in posterum abstineamus, nec conscientiam nostram illis polluamus ac gravemus, efficit, atque ita nos impellit ut Deo viventi serviamus, quo fit, ut expiatio illa in æternum duret, nec repetitione sit opus. Quare si hi loci cum illo cap. 10. conferendi sunt, eique censendi similes, confirmabitur nostra illius loci interpretatio.

Subjicit Grotius Partic. 28: *Neque in Apocalypsi illud: qui lavit nos à peccatis nostris cap. 1. 5. sine insigni detorsione interpreteris, qui lotos nos declaravit, aut 1 Joh. 1. 7. ubi est, Sanguis Christi mundat nos ab omni peccato, exponere licet, mundos nos esse declarat. Repugnat enim manifeste & verborum proprietas, & perpetuus Scripturæ usus in hoc argumento. Immunditie nomine significari passim reatum, fatetur Socinus. Hinc καθαίρειν & ἀγαθύνειν, est eum reatum tollere, sive efficere remissionem, ut ipse scriptor ad Hebræos exponit vocem καθαίρειν, cap. 9. 22. Christus per seipsum fecit hunc καθαίρισμόν, Hebr. 1. 3. Christus καθαίρειν conscientiam ab operibus mortuis Hebr. 9. 14. hoc est, ipso Socino interprete, à reatu & pœna, pœnaque timore conscientiam liberat.*

At Socinus in eo, quem Grotius in margine notavit loco, lib. 2. cap. 17. locum Apocal. 1. 5. de mundatione à reatu & pœna peccatorum interpretatur. Quod si forte notare voluit cap. 20. lib. 2. primum ibi quoque eandem sententiam agnoscit, licet ea verba etiam de declaratione mundationis à reatu ac pœna accipi posse dicat. Quæ vero hic est detorsio? an non enim voces Expiare & Mundare, quibus æquipollet verbum Abluere, sumi solent in Sacris Literis pro Mundum declarare? De voce Expiandi notatum id habes in Bibliis Magnis Roberti Stephani Levit. 5. 10. & 16. quo posteriori versiculo idem notatur in Bibliis quæ Vatabli dicuntur, & cap. 6. 6. (vel 7.) cap. 15. 15. ubi itidem Vatablus, quem vide etiam vers. 29. (vel 30.) & cap. 16. 30. Atque hoc tum alibi, tum in primis cap. 4. ejusdem libri fieri posse Socinus docuit. De voce Mundandi vide cap. 12. 7. & cap. 13. ac 14. ubi de leproso vel mundo vel immundo declarando agitur. Ibi enim perpetuo,

ubi in Latinis editionibus est *Mundum judicabit*, aut quippiam simile, in Hebræo est, *emundabit*; & pro eo, quod in Latinis versionibus est, *immundum judicabit*, in Hebræo est, *contaminabit vel polluet*. Quæ prope omnia Socinus jam scripserat, ad quæ Grotius connivet, satis habens, detorsionem verborum Scripturæ ei objicere. Non repugnat ergo perpetuus Scripturæ in hoc argumento usus Socini explanationi, ut affirmat Grotius. Adde quod tunc verba illa, quæ rem ipsam seu rei exhibitionem proprie significant, de declaratione illius commode queant accipi, cum rei ipsius exhibitionem vi declarationis istius consequi necesse est. Id autem tunc contingit, cum declaratio fit rei ab altero decretæ, idque illius ipsius, qui decrevit, jussu ac nomine. Hac enim testificatione jus ei, cui res decreta est, datur ad eam repetendam. Quo pacto cap. 1. vidimus, Apostolis etiam tribui actionem remittendi peccata. Talis autem in primis est declaratio ablutionis seu liberationis à reatu ac pœna, quam in certis Sacræ Scripturæ locis, ubi ablutio aut purgatio à peccatis sanguini Christi ascribitur, Socinus intelligit, quemadmodum eodem cap. 1. diximus. Quare possis sententia ipsius, quod ad rem ipsam attinet, nihil mutata, ita verba ejus accipere ac si dixisset, Christum nos sanguine suo à reatu peccatorum liberasse aut liberare declarando, seu testificando nobis beneficam ea de re Dei voluntatem ac decretum. Verba καθαίρειν & ἀγαθύνειν, significare quidem solent liberationem à reatu ac pœna, possunt tamen, ut ex dictis constare potest, declarationem etiam illius liberationis à Deo nobis decretæ, eam præsertim, cujus vi effectum ipsum consequi necesse est, significare: interdum etiam significant liberationem seu repurgationem à peccatis ipsis, seu à male agendi consuetudine, ut alibi * docuimus. Verba Hebr. 1. 3. non tantum de ipsa reatus ablatione, sed etiam de declaratione ac testificatione remissionis accipi possunt. Verba cap. 9. 14. & de ablatione à reatu ac timore pœnæ, & de ablatione ipsorum peccatorum loqui, docuit Socinus lib. 2. cap. 2. & 16. quod posterius caput non minus quam prius, quod solum notavit Grotius, illi erat considerandum. Hebr. 10. vers. 22. quem locum in sequentibus citat Grotius, *aspergere à conscientia mala*, est animum ab ipsis peccatis liberare ac purgare, quemadmodum ibidem vers. 23. *ablutum esse corpore aqua pura*, est ab omnibus peccatis externis, quæ corpore perfici solent, esse mundum.

Sed ait Grotius Partic. 29: *Cur ab hoc sensu discedatur duobus illis locis Apostoli Johannis, ratio plane nulla est. Non enim si Jesus testis fidelis dicitur Apoc. 1. 5. ideo lavare illud ad testimonium referri debet. Non enim coherent ἀπὸ τοῦ illud ῥογῆτος ὁ πῖς, & ἡ λῶσις, sed intercedit mentio primogenitura mortuorum, regni, deinde charitatis: ut vel cæco appareat, multa officia ac beneficia Christi ad ipsius dignitatem una conjungi.*

At cum Socinus docuerit, usum Sacrarum Literarum in hoc argumento ferre eum verborum *mundandi & lavandi* sensum, quem Grotius repudiat, ac præterea sensum etiam illum, quem Grotius hic urget, admittat; non est necesse, ut rationem afferat, qua probet, ab eo esse discedendum, (hoc enim

* Cap. 8. Partic. 2.

Grotius velle videtur:) sed: cum respondentis fungatur muncre, satis est ostendere, locorum circumstantias alium quoque sensum admittere, aut etiam ei, præsertim quod attinet ad verba 1 Joh. 1. 7, favere: quod totum Socinus abunde præstitit. Eum autem in verbis 1 Joh. 1. 7, (de loco enim Apocalypses id jam docuimus) illum etiam sensum admittere, quem urget Grotius, patet ex lib. 2. cap. 19. Loco Apocal. 1, congruere ut *abluere* significet ablu-tionem nobis à Deo sub conditione decretam testari; docuerat Socinus eo, quod paulo ante eodem in loco Christus dictus esset testis fidelis ideo, quia de divina erga nos voluntate ac benevolentia N. Fœdere comprehensa, etiam sanguine fuso testatus fuerit. Ex quo consequitur, eum de peccatorum nostrorum emundatione, quam nobis Dei nomine obtulerat, testificatum esse, & nos ab iis decreto divino liberatos declarasse; pro quo beneficio, ex singulari ipsius amore profecto, ei singulares debentur gratiæ. Et hoc est, quod Socinus ea ratione sibi voluit, non vero, ut Grotius videtur credidisse, hunc omnino sensum, non vero alium hujus loci esse ad-mittendum. Quod si urgere velit Grotius, absurdum esse, eum posteriorum verborum statuere sensum, qui in primis verbis quodammodo comprehendatur, aut ex iis fluat; id ei ratione fuerit comprobandum. Poterat enim id, quod in descriptione præstantiæ Domini Jesu tacite dictum fuerat, vel potius ex ea concludi poterat, quia longe maximum ipsius in nos beneficium complecteretur, maximumque esset ipsius erga nos charitatis argumentum, & opus ipsius magis proprium, aperte exprimi, tanquam potiùs causa, ob quam illi laudes essent tribuen-dæ.

De loco 1 Joh. 1. 7, ita scribit Partic. 30: *omnino absurdum est ῥαβασίζεν de declaratione mundationis, non de ipsa mundatione accipere, cum paulo post jungan-tur ἀφίσιν & ῥαβασίζεν. Argumentatur Apostolus à conjunctis: Si in luce ambuletis, habetis mundatio-nem, hoc est, remissionem per sanguinem Christi: quia nemini in luce ambulanti peccata imputantur.*

At cum vox ἀφίσιν & ῥαβασίζεν conjunguntur, de Deo ipso enunciantur: hoc autem versiculo. 7, de quo agimus, vox ῥαβασίζεν de Christi sanguine effertur. Nihil autem mirum, si ea aliter de Deo, aliter de sanguine Christi accipiat. Cum de Deo dici-tur, quod nos *emundet ab omni iniquitate*, id signi-ficat, Deum nobis *remittere peccata nostra*, ut ibi-dem dictum fuerat: (sunt enim posteriora verba priorum expositio:) at de sanguine Christi non recte dixeris, eum nobis peccata remittere, vel saltem non eo plane sensu, quo de Deo dicitur. Grotius sane cum purgatio à peccatis sanguini Christi tribuitur, putat eo significari vim placatricem, qua sanguis il-le Deum ad remittendum moverit: quod idem de Deo dici nequit. Quid quod eadem phrasis, *remit-tere peccata*, & huic contraria, *tendere peccata*, vel *solvere & ligare*, aliter atque aliter iisdem in locis ac-cipitur, cum ad diversos refertur; de testificatione quidem ac declaratione, cum refertur ad Apostolos & Ecclesiam, de effectu ipso, cum ad Deum ac Christum Joh. 20. 23. Matth. 16. 19. xviii. 18. Ex collatione autem vers. 7 & 9, verisimilius colligit So-

cinus, verbum ῥαβασίζεν seu *emundare & purgare*, de testificatione remissionis peccatorum accipien-dum, seu de emundatione, quatenus à declaratione ejus rei nobis à Deo decretæ proficiat. Cum e-nim verba vers. 9, in quibus emundatio nostri ab ini-quitate Deo ipsi, qui fidelis sit ac justus, hoc est in servandis promissis verax & constans, adscribitur, omnino videantur respicere ad verba, quæ præcesse-rant vers. 7, in quibus sanguini Christi expurgatio illa tribuitur; eatenus ea sanguini Christi adscribi videtur, quatenus is promissionis divinæ de remissio-ne peccatorum nostrorum testimonium atque argu-mentum fuit. Hinc enim egregiam habuit occasio-nem Deum fidelem ac justum appellandi, & exinde concludendi, eum nobis in luce ambulantibus certo peccata remissurum. Si enim sanguis Jesu Christi fi-lii Dei tam apertum nobis præbet testimonium re-missionis peccatorum, omnibus in luce ambulantibus à Deo decretæ ac promissæ, certe cum Deus il-le, qui promissit, fidelis sit ac justus, seu in pro-missis servandis verax ac constans, omnino nobis, si in luce ambulaverimus, & peccata nostra confessi fuerimus, ea remittet. Etiam si autem eatenus etiam Deum fidelem constantemque in servandis promissis dicere potuerit Apostolus, idque habita ratione mor-tis Christi & remissionis peccatorum, quæ inde pen-deat, quatenus promiserat, se per ipsum Christum suprema potestate donatum peccata nobis remissu-rum; si mortem nostra causa oppeteret; tamen, ut alia quædam hic mittam, verisimile est, Johannem, si habita ratione promissionis alicujus à Deo factæ sanguini Christi purgationem à peccatis adscripsit, quemadmodum consentaneum esse docuimus, ha-buisse potius rationem rei ejusmodi, ex qua promis-sio illa divina pateat, eique fides fiat, quam quæ tantum conditio sit ad promissionis illius effectum obtinendum necessaria, cujus non nisi per accidens est testari de promissione; cum possit conditio cum promissione natura sua nihil habere conjunctum, & nisi de hac aliunde constet, de ea nihil testari. Vide-tur enim Johannes, dum sanguini Christi purgatio-nem peccatorum tribuit, quam postea Deo adscri-bit, non tantum simpliciter dicere velle, quid futu-rum sit, aut cujus rei vi, sed etiam unde id pateat, aut unde plenam ejus rei spem ac fidem concipere queamus, & securi à divinis suppliciis evadere. Quod si tamen illam etiam mortis Christi vim hic à Johan-ne spectatam velis, licebit utramque conjungere: cum nihil prohibeat, quominus id fiat: præsertim cum declaratio etiam illa, ut vidimus, rei ipsius, seu remissionis, quæ actu ipso fiat, sit causa. Argumen-tatio Grotii: Nemini in luce ambulanti imputantur peccata: Ergo si in luce ambuletis, habetis munda-tionem seu peccatorum remissionem, idque per san-guinem Christi; Apostolica non est. Ubi enim apud Apostolum est illud Antecedens universalis Consequente? non in vers. 9, ut Grotius videtur arbitrari. Nam subjectum enunciationis, quæ con-tinetur vers. 7, quæque argumentationis Grotianæ consequens est seu conclusio, æque late patet, atque subjectum enunciationis illius, quæ habetur vers. 9. Videtur Grotius eo sibi imposuisse, quod conclusio-nis suæ verba concepit in secunda persona, non secus

ac si Johannes vers. 7. de iis tantum loqueretur, ad quos scribit, antecedens vero in tertia persona, adcoque universaliter & absolute; cum utrobique Johannes in prima persona de iisdem loquatur. Adde quod ex isto antecedente non satis recte inferitur, istos, ad quos scribit Johannes, per sanguinem Christi habere remissionem, vel, ut ipse Apostolus loquitur, sanguinem Christi nos emundare ab omni peccato. Nam vi illius antecedentis non concluditur, sanguinem Christi nos emundare ab omni peccato, sed simpliciter, nos, si in luce ambulemus, mundari & remissionem peccatorum consequi. Præterea cum sanguis Christi sit apertissimum amoris divini erga nos, & remissionis inde manantis argumentum, videtur conclusio Grotiana antecedente, quod ad eam probandam adhibetur, clarior ac manifestior, cum contra fieri debeat. Complectitur enim conclusio argumentum manifestissimum, unde antecedentis veritas apparet, cum tamen ejus in antecedente nulla facta fuerit mentio.

Istud etiam hic obiter notandum est, quod paulo ante transmisimus, non satis firmam esse rationem Grotii, qua probat, verbum *καθαρίζω* de ipsa mundatione, non vero de mundationis declaratione seu testificatione accipiendum, quia cum verbo *ἀφίεναι* conjungatur. Docuimus enim tum alibi, tum paulo ante, verbum *ἀφίεναι* & similia, nonnunquam etiam de testificatione seu declaratione remissionis esse sumenda. Hæc potius ratio fuerat afferenda, quod vers. 9. Deo, quatenus justus ac fidelis est, tribuitur, quod nobis remissurus sit peccata, & nos emundaturus ab omni iniquitate. At Deus quia fidelis est ac justus, non testatur nobis in luce ambulantibus de remissione peccatorum, quam nobis jam aperte promisit, & filii sui sanguine obsignarit, sed re ipsa exhibet ac præstat.

De Baptistæ verbis jam egimus superius. Rationem, qua Grotius nititur Partic. 31: nullam esse docuimus. Quare non est, cur hic moremur. Verba illa Hebr. 9. 26. *ad abrogationem peccati eis ἀβύσσος ἀποκαθάρσις* significare *ad purgandum* seu *expiandum* nos, ad id ut contingat nobis remissio *ἀφίεναι τὸ καθαρίζω* ἡμῶν, *περὶ τὸ γίνεσθαι ἡμῶν ἀφίεναι*, nemo negat. Quamquam nihil prohibet, quominus id eatenus de Christo ejusque sacrificio dictum intelligatur, quatenus ipsum peccatum in nobis extinguit, unde remissio seu liberatio à pœna consequitur. Inter cæteros enim modos, quibus sacrificium Christi peccatorum nostrorum pœnas tollit, hic quoque est, quod à peccatis nos avocat: cum hæc unica sit ad remissionem peccatorum obtinendam via nobis à Deo proposita. De cæteris modis supra Partic. 2. dictum est. De verbis vers. 22. ejusdem cap. 9. Hebr. jam sæpe dictum est.

Pergit Grotius Partic. 32: *Quamquam vero Socinus quosdam locos vero sensui conetur eripere, tamen, multis aliis convictus, agnoscit indicari in Christi sacrificio expiationem factam, quæ antecedit remissionem peccatorum tanquam requisitum aliquod. Attamen negat, Deum isto sacrificio moveri ut remittat, sed nobis fidem quandam ingenerari, qua, perducti ad emendationem vitæ, porro remissionem peccatorum consequamur: in quo primum parum meminit ejus quod dixit*

rat, figuram cum figurato congruere debere in eo, in quo fit collatio. Neque ejus quod ostendit Scriptura, illud, omnia purificantur in sanguine, eodem modo ad legalia sacrificia, & ad Christum pertinere Hebr. 9. 22. Sacrificia autem legalia plane talem fidem non ingenerabant.

At nec dum demonstravit Grotius ullum locum, quem vero sensui conatus sit eripere Socinus, ejus studium & labor omnis in eo consumitur, ut verus sensus omnibus Scripturæ locis constet. Neque vero non libenter agnoscit Socinus, in Christi sacrificio factam expiationem, quæ antecedit remissionem peccatorum tanquam requisitum aliquod, præsertim si sacrificii nomine, mortem etiam Christi, quod nos recte fieri haud diffitemur, comprehendas, aut requisiti nomine etiam causas medias, ex quibus remissionem peccatorum Deus pendere voluit, & quarum vi ea nobis contingit, intelligas. Nam mors Christi requisitum fuit proprie dictum, seu conditio ad obtinendam eam potestatem, ex qua remissio peccatorum nostrorum ex Dei decreto pendet, necessaria. Sacrificium etiam perfectum, quod in cælis peragit Christus, est antecedens remissionis peccatorum causa, & licet sit aliquid conditione nuda majus, habet tamen cum requisito seu conditione analogiam aliquam, ut Partic. 3. fuit explicatum; & si vocem requisiti, prout natura sua patitur, laxius aliquantulum, quam fere solet, requisitum ad remissionem nobis pariendam dici potest. Diximus autem jam supra Partic. 2. vehementer in eo falli Grotium, qui putet, ex Socini sententia eatenus tantum sacrificium Christi esse antecedens aliquod remissionis, quatenus fidem nobis ingenerat, qua ad emendationem vitæ perducti, ex Dei decreto remissionem peccatorum consequamur. Quamquam ideo Deus hoc sacrificium præ legalibus elegit, & remissionem peccatorum nostrorum ex eo pendere voluit, quia id ipsa peccata è nobis tollat, seu fide nobis ingenerata ad emendationem vitæ nos perducatur, ut ex Hebr. 10. constat. Ad rationem autem Grotii ex collatione sacrificii Christi cum legalibus petitam jam supra respondimus. Collatio præcipue consilii in re ipsa, h.e. in eo, quod, ut sub Lege omnia purgabantur sanguine, & sine ejus fusione non fiebat remissio, ita nec sub Evangelio, seu in expiatione per Christum facta: non vero in modo, nisi ex parte, ut superius est explicatum.

Subjicit Grotius Partic. 33: *Neque tolerabilis est illa vocis expositio, expiare, esse aliquid facere, quod ad remissionem requiratur. Contra enim voces istæ omnes, καθαρίζω, ἀφίεναι & similes quibus utuntur Apostoli, suapte natura & usu perpetuo non solum ordinis antecedentis, sed & efficaciam quandam designant.*

Sed quæ est ista Grotii ratio? Voces istæ omnes καθαρίζω, & cæteræ, non solum ordinis antecessum, sed & efficaciam quandam perpetuo designant: Ergo expiare non significat, id facere, quod ad remissionem requiratur. An enim hac ratione non significatur præter ordinis antecessum etiam efficacia quædam? Quod in nobis fidem & resipiscenciam efficit, quam ex promisso divino necessario consequitur peccatorum remissio, nonne & ordine remissionem antecedit, & efficaciam ad eam insignem habet?

Quod

Quod si Expiare est reatum peccatorum tollere, an non id merito dici potest Expiare, quod id efficit, unde ablatio reatus necessario consequitur?

Alia quoque, inquit Partic. 34., evertende huic à Socino reperta interpretationi certissima argumenta nobis Scriptura suppeditat. Dicit enim opus fuisse novo sacerdote ex ordine Melchisedech Hebr. 7. vers. 11. At fidem in Deum prædicare, imo & prædicationem hanc morte confirmare potuerant etiam Levitici sacerdotes. Quare si nihil præterea efficit Christi Sacerdotium (quod vult Socinus) sequitur eo opus non fuisse.

At ubinam apud Socinum legit Grotius, nihil aliud Christi sacerdotium efficere, quam ut fidem in Deum prædicet, aut eandem prædicationem morte confirmet? producat vel unum locum. Nec scripsit hoc, nec sensit Socinus: & tamen Grotius ei audet hoc tam apertis verbis tribuere, quod antea etiam, licet minus aperte, non semel fecerat. Prædicare fidem non est sacerdotii Christi, nec ei à Socino uspiam tribuitur. Mors ipsa eatenus tantum ad sacerdotium Christi pertinet, quatenus non nisi ea interveniente Sacerdos vere & perfecte evadere, & sacrificium pro peccatis perfectum offerre potuit. Quare etiamsi tandem Levitici sacerdotes fidem prædicare, & eam morte confirmare potuissent, non tamen protinus foret concludendum, non fuisse opus Sacerdotio Christi, qui non tantum morte fidem nobis ingeneravit, sed magis adhuc suo in cælos ingressu ac perpetua coram Deo apparitione, ac cura salutis nostræ, quam, supremum adeptus à Deo imperium, gerit; nec tantum fidem nobis ingenerat & ad vitæ sanctimoniam perducit, sed ipsam remissionem peccatorum confert, & à iudiciis divinis nos actu ipso liberat. Præterea etiamsi sacerdotes Levitici habita ratione personarum suarum potuissent prædicare fidem, & morte sua prædicationem istam confirmare: id tamen non potuissent facere ratione sui sacerdotii, quod Legi Mosaicæ erat alligatum, ut D. Auctor satis aperte docet; adeo ut sacerdotes isti, quoad munus suum nil nisi ministri quidam essent Legis Mosaicæ. At fides illa, quæ à Socino intelligitur, Evangelica est, quæ remissionem peccatorum perfectam ac beatam immortalitatem à Deo promissam amplectitur, & tanti boni spe, quam in se continet, hominem purificat, sicut Deus purus est 1 Johan. 3. 3. Remissio vero peccatorum perfecta in Novo demum fœdere, quod in melioribus promissis sancitum est, quam vetus Hebr. 8. 6. ibid. 12. Jerem. 21. 1 Tim. 1. 10. proposita est, & per Christum ejusque Evangelium immortalitas illuminata, ac mors, peccati poena, destructa. Quare munus illorum mutari, & si hoc sacerdotum esset, sacerdotium præstantius minus præstanti succedere oportuisset. Verba autem Hebr. 7. 11 à Grotio citata, in quibus docetur, novum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech succedere debuisse Aaronicis seu Leviticis, sententiæ Socini, quam Grotius oppugnat, favent. Nam D. Auctor eam assertit causam, cur novo sacerdote fuerit opus, quod per sacerdotium Leviticum non fuerit perfectio, h. e. quod ejus vi homines ad sanctitatem

vitæ pertrahi non potuerint, adeoque nec perfectam peccatorum remissionem consequi. Quod ut ostendat, ad ipsam Legem seu Fœdus Antiquum, unde vis sacerdotii universa pependit, transit, quemadmodum tum ex hoc ipso, tum ex seqq. versiculo animadvertitur, atque imprimis ex vers. 17, 18, 19, ubi rationem suam explicat Auctor, & infirmitatem legis, unde etiam illa sacerdotii magna ex parte pendet infirmitas, ostendit. Hanc vero in eo collocat, quod Lex nihil perfecit: id quod antea de Levitico sacerdotio dixerat. Quid vero ea verba sibi velint satis intelligitur ex oppositione, dum ait, sed introductio melioris spei (scil. perficit) per quam appropinquamus Deo. Id negat divinus Auctor Legi in illis verbis, *nihil perfecit Lex*, quod introductioni melioris spei, quam Evangelium complectitur, tribuit. Tribuit autem ei quod per eam accedamus ad Deum, h. e. quod efficiat, ut serviamus Deo viventi, ut de sacrificio Christi cap. 9 loquitur, & constituat nos coram ipso inculpato, unde perpetua peccatorum remissio consequitur. Hanc eandem Legis imbecillitatem arguit Paulus Rom. 7, præsertim ibi, ubi sub sua persona, de homine sub Lege adhuc constituto loquitur. Non præstabat autem id Lex, quod diximus, quia spe illa meliore, quæ in Evangelio continetur 2 Cor. 7. 1. 1 Johan. 3. 3, carebat, ex qua vera sanctitas consequitur. Unde Paulus felicitatem Christianorum miseriarum eorum qui sub Lege fuerunt opponens ait: *Lex spiritus vitæ* (nempe immortalis) *in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis* Rom. 8. 2: Spes enim immortalis vitæ certa ac firma homines primum à peccato, tum à morte liberat, & sic id quod Legi erat impossibile, præstat, dum enim efficit, ut homines non secundum carnem ambulent, sed secundum spiritum, eo ipso etiam facit, ut justificationem, quam Lex occulte promittebat ibid. vers. 4, sed præstare ob carnis nostræ vim non poterat, ex Dei promisso consequantur. Quia vero mors & sacrificium Christi est spei illius perfecta confirmatio, ideo eadem vis illi tribuitur, & legalia sacrificia sacerdotesque Leviticos qui id efficere non potuerint, ipsi cedere debuisse inde ostenditur.

Sequitur apud Grotium Partic. 35: *Præterea hoc ipsum, Christum esse mortuum pro peccatis nostris, ad salutem creditur* 1 Corinth. 15. vers. 2, 3. *Non ergo Christi expiatio ad hoc primo comparata est, ut ad credendum adducat aliquem, cum ipsa sit inter credenda: quod enim ad fidem duntaxat alicui rei faciendam inservit, id à re credenda diversum sit, necesse est.*

At jam non semel diximus, Socinum nuspiam afferuisse, expiationem Christi duntaxat ad fidem nobis ingenerandam inservire. Inservit enim etiam ad liberationem ab ipso reatu peccatorum, idque non tantum consequenter, h. e. quatenus fidem ingenerando ad resipiscentiam nos adducit, quam remissio peccatorum excipit, sed etiam proxime, h. e. quatenus à credentibus & resipiscentibus poenas efficacia sua aufert. Nihil de eo nunc dico quod non recte Grotius mortem Christi, pro peccatis susceptam, cum expiatione Christi seu sacrificio ipsius expiatorio, de quo Socinus loquitur, confundit: quod illi tamen concedi posset, si mortis nomine ea etiam quæ

illam sunt consequuta complecteretur. Quod si quis putet, omiffa etiam vocola *duntaxat* argumentum Grotii firmum perfare; is vehementer fallitur. Majorem enim argumenti istius propositionem refellit Christi refuscitatio, quæ in eum finem est comparata, ut nos ad fidem adducat, 1 Petr. 1. 21, & ipsa tamen inter credenda est, ut locus à Grotio citatus 1 Corinth. 15. docet, & cum morte Christi hac in parte conjungitur, ut patet ex collatione, vers. 4. & 11, cum præcedentibus, quod idem fit 1 Thess. 4. 14, ubi, quemadmodum & in loco ad Corinth. spes resurrectionis nostræ ex resurrectione Christi, ob quam mortis etiam ipsius fit mentio, ostenditur. quin & Rom. 10. 9. fides cordis, quæ est ad justitiam ac salutem, in eo sita esse docetur, quod credamus, Jesum à Deo esse excitatum è mortuis. Sed, ut res tanto rectius intelligatur, animadvertendum est, fidem illam, per quam ex Dei benignitate revera servamur, & quam Deus primo ac per se à nobis requirit, si justificari velimus, non esse credere Jesum esse mortuum, aut refuscitatum; sed, ut prolixè docuit Socinus lib. 4. cap. 9. & seqq. esse fiduciam in Deo per Christum collocatam, quæ, ut alibi monuimus, spem promissorum divinarum, per Christum nobis oblatores, & per eundem præstandorum, atque ex ea manantem, mandatorum ipsius observationem complectitur. Hæc vero fides quia in nobis excitatur, tum morte tum refuscitatione Christi, maxime vero refuscitatione; ideo salus etiam ei fidei adscribitur, qua credimus, Jesum Christum esse mortuum, & à Deo refuscitatum; imo, ut vidimus, ei fidei etiam soli, qua credimus Christum esse à Deo excitatum è mortuis, & exaltatum, verum, ut ita loquar, antecederet: est enim fides illa causa antecedens ejus fidei quam Deus in nobis potissimum quærit, & cujus nobis inferendæ causa Christum morti tradidit, refuscitavit, atque ut id factum esse firmiter credamus vult ac curat. Eadem ratione Joannes fidem, quæ nos Dei filios efficiat, describens, ait: *Omnis qui credit Jesum esse Christum*, h. e. regem nostrum cœlestem, seu, ut vers. 5. loquitur Dei filium, ex Deo natus est, non quod hæc sic fides illa quæ per seipsam ac primo filios Dei nos constituat, sed quod hæc fides spem immortalis vitæ animis nostris infigat. Unde fit ut mundum vincamus, & præcepta Dei observemus, quemadmodum ex eodem loco constat. At cum Socinus ait mortem aut sacrificium Christi eo etiam spectare, ut fidem nobis ingeneret, eam intelligit fidem, cujus objecta sunt promissiones divinæ per Christum nobis factæ, & consequenter mandata, sine quorum observatione promissa consequi nemo potest. Quam fidem illam esse diximus, per quam primo ac per se, ex benignitate tamen divina, servamur. Hujus ergo fidei stricte sumptæ objecta non sunt mors, refuscitatio, ac sacrificium Christi, sed fidei quæ hanc antecedit, eamque nobis ingeneratur. Ista enim nobis sunt notiora, quam sunt res à Deo promissæ; unde ex morte, refurrectione ac gloria Christi suprema, cura que quam pro nobis gerit, remissio peccatorum ac salus nostra demonstratur.

Præterea, inquit Grotius Partic. 36, *post insitam demum fidem expiatio Christi in nobis effectum habet. Christus enim Pontifex est constitutus ad expianda pec-*

cata populi sui id est credentium, Hebr. 2. 17. *Non potest ergo, expiare, esse ad fidem perducere.*

Hæc ratio vim fortasse haberet aliquam, si Socinus statueret, expiare, quatenus de Christo dicitur, nihil aliud significare quam fidem nobis ingenerare, & hac ratione ad peccatorum remissionem (nam & hoc addere debuit Grotius) nos perducere; vel si constaret, totum id, quod Sacræ Literæ uspiam expiandi voce, ad Christi sacrificium relata complectuntur, post insitam demum fidem in nobis vim suam exferere. At neutrum constat. prius falsum esse jam non semel docuimus: nam id quod in expiatione nostra potissimum est ac maximum, quodque hoc nomine inprimis intelligi solet, post fidem nobis insitam locum in nobis habet, nempe à divinis suppliciis liberatio. Posterius non esse admittendum, ex iis, quæ paulo ante disputata sunt, constat. Divinus Auctor loco citato expiandi vocem in potiori significatione accipit, & de ablatione ipsarum divinarum poenarum quas meriti eramus inprimis loquitur. Non sequitur autem Christus expiat peccata, poenas à credentibus auferendo; ergo non expiat etiam fidem ingenerando, & ad pietatem nos perducendo. Istud finis est; hoc medium: sine posito haudquaquam negantur media. Evangelio tribuitur salus, finis fidei, nec tamen eadem negatur medium nempe fides ipsa, quæ non nisi ex auditu verbi divini, quod est Evangelium, nascitur. Sed præterea cum Socinus de ingeneratione fidei loquitur, Rom. 1. 18, etiam ea vis sacrificii Christi comprehendenda est, qua fides ingenerata fovetur ac stabilitur, ne vi tentationum nimia evertatur, & sic ii qui eam antea conceperant, ab ea deficientes, suorum peccatorum dent poenas. At de hac etiam loquitur Divinus author in verbis à Grotio citatis, ut versus sequens, quem nos semel expendimus docet. Atque ea de causa paulo ante diximus, auctorem D. non solum, sed inprimis de ablatione ipsarum poenarum loqui. Itaque ea verba non tantum non evertunt, sed etiam aliqua ex parte stabiliunt eam Socini de vi expiatorii Christi sacrificii sententiam, quam Grotius hic oppugnat.

Eam quæ proxime sequuntur Partic. 37, alibi examinavimus. Diximus enim non semel, inprimis cap. 7. & 8, quatenus à Socino negetur, Deum morte Christi ad remittendum moveri. De loco Hebr. 12. 24. actum est cap. 1. & hoc cap. breviter Partic. 3. locum etiam Hebr. 2. 17. ubi Christus dicitur *ἀπαλλάξας ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν* expiare peccata, tum septimo cap. examinavimus, ubi ostendimus, verba illa non significare placare peccata, i. e. placando Deum peccata expiare, ut vult Grotius: de voce piandi sive expiandi vidimus, itidem hoc cap. Partic. 23. cui loco adde, Partic. 19. ubi de voce *lustrandi*, quæ eandem in negotio nostro vim habet, egimus. Non ostendit autem Grotius, vocem *piandi* sive *expiandi* nihil aliud proprie significare quam *luere*, h. e. poenam pendere. Ita enim verbum hoc erit accipiendum, si contra Socinum facere debeat. Neque vero auctores à Grotio citati expiandi verbum volentes *ἀντιπαρατίθω* dicunt, sanguinem dare pro sanguine, vitam pro vita animam pro anima; sanguine aliquid emere, morte alterius salutem consequi. Neque enim cum ista dicunt, significationem verbi *piandi* vel *expiandi* absolute aut gene-

generaliter considerati describunt; & sic vim illius verbi propriam exprimunt; sed modum expiationis specialem, ad de etiam præ cæteris insigniorem, qui alicubi fuerit usurpatus, designant. Alias idem dicendum foret de propria significatione verborum *קָבַעַלְזֵר, אָרַלְזֵר, אָרַלְזֵר*, h. e. *expurgandi, purificandi, sanctificandi*, pro quibus ista non minus ab auctoribus citatis posita dici debent, quam pro voce *piandi* vel *expiandi*: nec tamen luitionem verba illa proprie significant. Novit autem Grotius, pro verbo *expiandi* tum in Sacris Literis, tum in profanis auctoribus, poni etiam *abluendi* verbum: & Poëtas interdum, cum magnitudinem sceleris alicujus exprimere volunt, dicere, nullum fluvium, & ne mare quidem ei expiando suffecturum, quod ad luitionem nihil, sed ad expurgationem & ablutionem tantum facit. Atque hæc consentiunt cum illis quæ de lustratione d. l. cap. 8. exposuimus. Adde quod in Sacris Literis ipsi Deo tribuitur expiatio, ut cap. 7 vidimus, & paulo inferius fatetur Grotius: adscribiturque aspergioni cineris juvenæ combustæ Hebr. 9. 13. Atque in sacrificiis non de ipsa mactatione pecudis, quæ revera fuisset luitio illa seu pœnæ persolutio, sed de iis dicitur quæ mactationem consequiebantur, atque imprimis de aspergione sanguinis, quæ à sacerdote vel in Sancto Sanctorum, vel in ara, aut circa eam fiebat; unde factum, ut *expiare* sumatur pro *expiando* *spargere*. 2 Paral. 29. 24; ut contra *aspergere* pro *expiare* seu *expurgare*, ut Hebr. 10. 22. Quamquam non tam ab aspergione sanguinis ducta causa, quam ab aspergione cineris juvenæ, de qua paulo ante diximus: ad quem ritum alludit etiam David Psal. 51. 9. Itaque etiam si tandem apud profanos scriptores expiandi vox aliter usurparetur, id tamen ad Sacras Literas non protinus esset trahendum. Quamquam præterea, ista omnia, in quibus Grotius periphrasin verbi *expiandi*, arbitratur, de expiatione per mortem Christi facta dici posse fatemur; licet improprie pro sanguine nostro Christi sanguis datus atque impensus dicendus sit; cum intelligendum sit eum impensum, ut nos ab æterna morte liberaremur: intelligi autem ea possunt ex iis imprimis, quæ cap. 8 & 9 diximus.

Pergit Grotius Partic. 38: *Neque voces Hebrææ hinc dissident. nam Caphar non modo est tegere, sed & redimere*, Exod. 21. 30. Psalm. 49. 7, &c. *Placare* Genes. 32. 19, atque inde porro *expiare*. *Chata est luere* Genes. 31. 39. unde & hoc coepit ad expiationem significandam usurpari. In margine notat contra Socin. l. 2. cap. 11.

Grotius, ut apparet, satis hic habet, Socini dicta de vi vocum Hebræarum refellere, & ostendere, eas à sua sententia non dissidere: at hic longe diligentior esse debuisset quam antea, cum de vocibus Græcis & Latinis apud profanos auctores egit, & ostendere, voces Hebræas eam sententiam postulare quam urget. Socinus eo loco quem se Grotius oppugnare profitetur, non ait, *Caphar*, tantum esse *Tegere*, quod ei tacite tribuit Grotius, sed propriam ejus significationem esse *tegere* & *operire*, vel *oblinendo obturare atque obstruere*, quorum illud etiam dixit Grotius supra cap. 8. de gnoma Salomonis Prov. 16. 6. agens. Deinde cum negat verbum istud significare posse *satisfactionem*, non modo de vera compensa-

tionem, quæ tantundem solvitur quantum debetur, loquitur; verum etiam ut ex iis, quæ antecedunt & sequuntur, verbis, satis liquet, eatenus verbum istud considerat, quatenus ad peccata refertur. At in locis à Grotio citatis, verbum istud non refertur ad peccata, quæ expientur, redimantur, aut placentur, sed vel ad animam vel ad hominem ipsum, aut ejus faciem. Adde quod loci priores non habent ipsum verbum *Caphar*, sed nomen inde deductum. At in ipso verbo *Caphar*, de quo Socinus agit, nusquam, ut arbitror, *Redimendi* significationem reperies, nisi forte ipsam vocem *redimendi* improprie sumas pro *expurgatione peccatorum* seu *expiatione*, quam ipse Grotius à redemptione hic distinguit, ut in loco Proverb. 6. 6 vidimus. Tertius locus alias etiam nihil adversus Socinum facit, cum non neget Socinus hoc verbum placandi significationem habere, *placare* autem & vere *satisfacere* longe differunt: Quod ad verbum *Chata* vel *Chitte* attinet, haud negat Socinus illud interdum esse *luere*, sed ait, id cum de sacrificiis agitur, *purificandi* & *mundandi* significationem habere, & etiam si aliquando erratum satisfactione purgetur, non tamen ea ratione peccata in Deum purgari, sed clementia & pura ipsius benignitate: unde hoc ipsum verbum etiam de Deo usurpetur Psalm. 51. 8. Ait etiam, eo uti Mosen, cum agitur de *expiando* altari, aut simili aliqua mundatione: peccatis autem expiandis, licet ratione originis huc potius videatur accommodandum, vel raro, vel nunquam. Ex quo jam patet, id cum de sacrificiis agitur, posse ac solere aliud significare quam *luere*, neque enim luitur altare, aut pro altari, rebusque similibus. Probandum autem erat Grotio, non asserendum nude, inde verbum *Caphar* expiandi significationem habere, quia significet *placare*, aut (nam huc etiam verba Grotii extendi possunt) *redimere*. Cum enim ea sit propria verbi significatio, quam Socinus consentiente Grotio docuit, inde statim ad Expiationem peccatorum transferri potuit: quia peccata non alia ratione potissimum expiantur ac purgantur, quam quia teguntur à Deo, ut apparet Psalm. 32. 1. Nehem. 4. 5. qua de re Socinus jam monuerat: & sane cum redimendi significatio in ipso verbo *Caphar* non reperiatur, non est verisimile, inde potius *expiandi* fluxisse significationem, quam ab ea quæ ejus verbi est maxime propria. Quod ad *placationem* attinet, quis planum nobis faciet ab ea potius expiandi significationem manasse, quam ab hac illam: hæc enim illa longe est usitatio. Consentaneum est, nisi quid contrarium suadeat, ab usitatiori fluxisse minus usitatam, quam contra. Quamquam etiam si inde expiandi significatio manasset, non tamen sequeretur in omni expiatione placari quempiam, seu ex irato propitium reddi: satis enim est cognatam hanc placationi significationem esse, ut sane est: Cum in expiatione iræ causa obliteretur, & quod ad reatum attinet extingatur, interdum ipsa ira, si jam existat, mitigetur ac placetur. Quod verbum *Chata* aut *Chitte* ideo ad expiationem significandum usurpari coeptum sit, quia interdum *luere* significat, probare debuisset Grotius; siquidem usus ejus verbi in expiationibus id haudquaquam probat; & præterea cum ille, unus forasse sit locus quem Grotius

citat, in universis Sacris Literis, ubi verbum *Chiti* significare videatur *luere*; non licet inde concludere in expiationibus eam significationem esse retinendam.

Scribit porro Grotius Partic. 39: *Tribuitur autem expiatio primo victimis, ut apparet Heb. 13. & 23, deinde sacerdoti propter victimas quas exhibet, ut saepe in Levitico: propterea etiam Deo istam luitiōnem admittenti.*

Imo vero Deo primo ac perfecte tribuitur expiatio, sacerdoti ac victimis consequenter, & ratione minus præstanti: Deus enim revera peccata eorumque reatum tollit, ac pœnas avertit: Hoc autem est expiare seu expurgare peccata: Sacerdos proprie dictus, quia facit id quod ad reatus ablationem requiritur. Christus qui diviniore ratione sacerdos est, partim cum Deo convenit, partim cum sacerdote proprie dicto, ut supra vidimus. Victimis denique eatenus expiatio competit, quatenus earum interventu reatus aufertur. Hinc in Veteri Testamento non victimæ, præsertim si eo nomine pecudes mactatas, quas punitas credit Grotius, intelligas, dici solent expiare, sed iis seu per eas fieri dicitur expiatio, quod etiam plerumque fit in Novo, de Deo autem & de sacerdote saepe dicitur, quod peccata expient. Ex quo consequitur, non eam esse vim vocum expiationem apud Hebræos ac Græcos significantium, quam vult Grotius. Nempe ut significant *luere*, seu pœnam ac *supplicium ferre*. Nam si hoc significarent, ipsis victimis sæpissime tribui deberent, quas Grotius pœnas arbitratur *luere*; non vero Deo ac sacerdoti: cum neuter pœnas ferat, & Deus sit qui eas, ut censet Grotius, exigat, ut nos cum Sacris Literis statuimus, condonet. Neque vero uspiam legere memini, eum dici *luere*, qui luitiōnem seu pœnam admittat. Quare nihil est, quod Grotius sine ulla probatione asserit, Deo tribui expiationem, tanquam luitiōnem, quam vox *Expiandi* significet, admittenti. Quod vero Hebr. 9. 13. Sanguini tribuatur expiatio, id nullam *luitiōnem* seu *supplicii perpeffionem* significat, sed *expurgationem* tantum à contaminatione. Nam nec verbum *ἁγιάζω*, h. e. *sanctificare*, significationem istam habet, nec sanguis ille *luere* aut pœnas solvere dici potest, multo minus cinis vitulæ aspergens contaminatos, cui *expiatio* ibidem tribuitur, & si pœnarum perfolutionem significaret vox *ἁγιάζω*, non regeret accusativum designantem personam aut rem in quam actio transeat, seu quæ sanctificetur, quod tamen vel fit vel fieri intelligendum est, ut contingit voci *καθαίρειν*, quæ ei respondet vers. seqq. de qua idem responsum volumus. Quamquam vers. 23. non dicitur quod victimæ *expient*, sed quod iis purgentur cœlestia: Causæ nimirum expiationis, mediæ non principales ex constituuntur.

Quod expiationem ait Partic. 40: dici cœpisse propter similem effectum, etiam ubi nulla luitio intercedit, idque Psalm. 51. 8, confirmat, pro Socino facit, quamquam, dum id propter similitudinem effectus tantum factum putat, eum falli ex dictis constare potest.

Partic. 41. Christo expiationem tribui ut victimæ, verum est: sed victimæ nomen non prorsus proprie

illi competit: nec modus expiationis prorsus idem est qui in aliis victimis, ut superius est explicatum, Sanguinem victimarum dari vice animæ peccatoris, supra non est probatum de victimis legalibus: de Christo id proprie dici non posse, cap: superiori à nobis ostensum est, licet commutationem in hoc negotio agnoscamus. Expiatio ei nihilominus proprie competit, cum peccata vere expurget, & ab eorum reatu ac pœna liberet, quam ad rem non fuit necesse ut sanguis ejus vice animarum nostrarum proprie daretur.

Ait porro Grotius Partic. 42: *Quod si verum esset, quod vult Sosinus, expiationem multo magis fieri per resurrectionem & ascensionem in cœlos, quam per mortem & fusionem sanguinis (quia illa aptiora sint persuadenda nobis fidei quam mors ipsa) scitem aliquo Scripturæ loco istis actibus expiatio tribueretur, quod nusquam fit.*

Sed etiam si expiatio *prout* resurrectioni & ascensionem in cœlos non tribuatur, tribuitur tamen reipsa, dum Christus resurrexisse dicitur ad justificationem nostram, quæ perfectam à peccatorum pœnis liberationem in se complectitur Rom. 4. ult. ut nisi Christus resurrexisset, nos adhuc in peccatis nostris fore, & eos qui in Christo obdormierunt, perituros affirmatur 1 Cor. 15. 17, 18, & dum aperte plus efficaciam in nobis à condemnatione liberandis tribuitur resurrectioni, itemque sessioni in dextra Dei, & interpellationi pro nobis quam morti, quod in illis fit Apostoli verbis Rom. 8. 34: *Quis est qui condemnet? (nempe electos Dei) Christus est qui mortuus est, magis vero qui etiam resurrexit, qui etiam est in dextra Dei, qui etiam intercedit pro nobis.* At cum expiatio, ut vidimus, sit liberatio à peccatorum pœnis: nonne cui visatque efficacia tribuitur nos à pœnis liberandi, ei etiam expiatio tribuitur? & cui illa magis, etiam hæc? Cur autem Expiationis vox, cum de resurrectione sermo est, non usurpetur, ibi vidimus, ubi ostendimus cur liberatio à pœnis morti frequentius, quam iis, quæ eam sunt consequuta, tribuatur, cap. 1. Partic. 26, 27. ubi præter generalem rationem, hanc quoque specialem attigimus, quod, cum resurrectio expresse nominatur, allusio ad sacrificia expiatoria locum non habeat, quæ habet cum sanguinis fit mentio. Allusioni autem hac in parte multum tribui, illud docere potest, quod cum ad expiationem legalem, ac nominatim ad ingressum Pontificis in Sancta respicitur, satis aperte ingressui Christi in cœlos, qui nihil aliud est quam in cœlos ascensio, & apparitioni coram Dei vultu, quæ hoc pacto facta est, expiatio tribuitur, licet alibi, cum diserte *ascensio in cœlos* nominatur, expiatio illi non adscribatur. Doret id, quod diximus, locus Hebr. 9. 23, & seqq. ubi D. Auctor ait: *ipsa cœlestia præstantioribus victimis (h. e. victima Christi) purgari seu expiari oportuisse.* Addita ratione, quia *non in manufacta sancta ingressus sit Christus, antitypa verorum, sed in ipsum cœlum, ut nunc appareat vultui Dei pro nobis.* Quæ autem expiatio vers. 23. sit intelligenda supra * diximus. Addit paulo post vers. 26: *nunc autem semel in consummatione seculorum ad abrogationem (ἀβρότητα) peccati per hostiam suam apparuit,*

* Partic. 21.

intelli-

intellige, ut ipsemet Grotius infra explicat, in cœlo apud Patrem. *ἀθίστης* autem illa seu abrogatio peccati, est expiatio, ut superius idem explicuit. Huc etiam revera pertinet locus ejusdem cap. vers. 12. de quo infra: quin etiam ii omnes, in quibus Christus se pro nobis Deo dicitur obtulisse. Quod vel ex iis apparet quæ vers. 25. dicit Auctor, ubi inquit: *Neque* (ingressus est in cœlum) *ut sapius offerat seipsum, sicut Pontifex ingreditur in sancta quotannis in sanguine akeno*. Qua de re inferius plura. Sed cur Grotius non expressit etiam ea aperte, quæ Christus postquam in cœlum ascendit, ibidem peragit ad liberationem nostram à pœnis pertinentia, quibus vel inprimis expiationem Socinus tribuit? an forte vidit, expiationem illis expresse à Scriptura tribui? Hebr. 2. 17. 1 Joh. 2. 2. Taceo quod in his verbis Grotius iterum non obscure pro concessio sumat, ideo vel tantum vel potissimum morti Christi expiationem à Socino tribui, quia fidem nobis persuadeat: quod jam sæpe falsum esse diximus.

Pergit Grotius Partic. 43: *Falsum est quod ait Socinus, patefactioni divinæ voluntatis expiationem aut ὁλοκαυστὸν tribui: neque hoc evincunt loca allegata. Nam Hebr. 1. 3. Christus omnia verbo suo portare dicitur, quia illius imperio omnia parent: sicut vox πῦρος eodem sensu invenitur cap. 11. 3. & Luc. 5. 5.*

At quid hoc, quod ideo dicatur Christus omnia portare verbo suo, quia illius imperio pareant omnia, facit adversus eam sententiam, quam Socinus de expiatione ibi commemorata tuetur? Neque enim Socinus ista verba, *portans omnia verbo potentia sua* de patefactione divinæ voluntatis accepit, sed illa, quæ præcedunt, in quibus Christus dicitur *splendor gloria & character substantiæ Dei*: sequentia vero verba eodem prope modo, quo Grotius, explicat, dum ait, ea significare, Christum potente suo jussu omnia moderari ac regere. In iis autem alterum expiationis modum, qui consistat in ipsarum pœnarum ablatione, indicari, vel ejus fundamentum quoddam sterni censet: quemadmodum in præcedentibus sternatur fundamentum alterius expiandi modi, per mortem facti, qui in declaratione remissionis nobis à Deo decretæ consistat.

Subjicit Partic. 44: *Capite vero 10. (Hebr.) v. 26, & 29. non pro eodem ponuntur cognitio veritatis & sanctificatio per sanguinem, sed plura beneficia conjunguntur, ut co spectabilius sit crimen hominis ingrati.*

Primum etiam si non posset evinci, voce *ἀθίστης* hoc loco significari potissimum (hanc enim vocem addiderat Socinus) cognitionem veritatis de remissione peccatorum ac vitæ æternæ, atque inde pendentem à profano hominum vulgo separationem, (nam hanc quoque incluserat) tamen nihil esset, quod isti explicationi obstaret. De hujusmodi sane *ἀθίστης* etiam alibi in Sacris Literis sermo est, atque inter alia Johan. 17. 17. 1 Petr. 1. 2. Judæ vers. 1. eamque ob causam *sanctorum* nomen omnibus illis tribuitur, qui veritatem Evangelii cognoverunt, eamque profitentur. Quod passim fit in Epistolis Paulinis, & in hac ipsa ad Heb. Epistola cap. 3. 1. vi. 10. 13. 24. Sed deinde satis est id ostendi, quod hic potissimum quæritur, eatenus sanctificationem istam sanguini Christi tribui, quatenus divinam voluntatem Novo Fœdere

comprehensam confirmat & aperte comprobat. Id autem ex appellatione *fœderis* sanguini Christi adjuncta satis patet. Ideo enim sanguis Christi dicitur *sanguis fœderis*, quod per eum fœdus novum sancitum fuerit ac confirmatum. Adde quod valde sit consentaneum, ideo Auctorem D. hic conjungere Filium Dei, sanguinem fœderis, spiritum gratiæ, tanquam ea, quæ ab Apostata seu desertore Christianæ religionis, cujus scelus hic exaggerat, nominatim violentur; quia ea de veritate sanctissimæ hujus religionis aperte testentur, adeoque ab eo, qui religionem illam agnitam negat, detestandi mendacii arguantur; & tanquam res impuræ traducantur: Filius Dei quidem, tanquam religionis istius inter homines auctor ac primus promulgator; sanguis fœderis, & Spiritus gratiæ, tanquam insignes quidam ejus rei testes 1 Johan. 5. 6. 8. & seqq. quibus Johannes plurimum, quod ad vim testimonii attinet, tribuit, & aquæ, quam tertium testem constituit, non obscure præfert. Quamquam & aqua, per quam puritas quædam eximia intelligi videtur, nominato Dei filio tacite videtur comprehensa. Quod si eo, quem diximus, modo sanguis Christi hic consideratur, facile erit colligere, sanctificationem, quæ ei tribuitur, tale quippiam esse, quod à sanguine illo eatenus pendeat, quatenus is testandi ac divinam voluntatem patefaciendi vim habet. Pendet autem ab eo, ista ratione considerato. proxime notitia veritatis Evangelicæ, quam qui habet, eo ipso à profano hominum vulgo separatur; pendet inde immunitas ac securitas à divinis suppliciis, quæ expiatio est peccatorum in jure consistens; eaque sanctificationis nomine intelligi queunt.

Sed contra id, quod ex adjuncta fœderis mentione collegerat Socinus, ita excipere videtur Grotius Partic. 46: *Adjicitur quidem aliquando sanguinis fœderis mentio: sed sapius multo ὁλοκαυστὸν. Quare ea sumenda est interpretatio, quæ ista jungat. Hoc autem fiet, si fœderis illam spectemus partem, qua Christus stipulatus est, si mortem subiret, fore, ut remitterentur peccata sibi credentibus, Deus autem id ipsum promissit, ut apparet Esai. 53. 10.*

Primum non satis recte loquutus videtur Grotius, dum ait, sapius multo sanguini adjici mentionem *ὁλοκαυστὸν*, quam fœderis. Nam mentio fœderis ideo dicitur adjici sanguini, quia *fœderis sanguis* expresse dicitur: At *sanguinem ὁλοκαυστὸν* seu *victimam* eundem expresse nominari, legere non memini. Sed ita accipiamus verba Grotii, ac si dixisset, sanguinem Christi sapius multo considerari ut sanguinem victimæ. Quid tum? an inde sequetur, eum semper eo modo considerari, etiam tum, cum fœderis est adjuncta mentio? quæ consecutionis ratio? sed & hoc largiamur. An inde consequetur, sanguini Christi non tribui, quod divinum fœdus confirmet, ac de remissione nobis à Deo decreta testificetur, nosque ad veritatis divinæ cognitionem pertrahat? minime. Nam primum pro concessio sumitur, sacrificii Christi non esse, fidem promissorum divinorum nobis ingenerare, & de remissione peccatorum nos certos reddere; quod haudquaquam est concedendum. Deinde etiam si id sacrificio Christi, quæ tale, non conveniret, posset nihilominus hic effectus sanguini Christi ob adjunctam fœderis mentionem tribui;

siquidem vis hæc haudquaquam pugnat cum vi sacrificii Christi propria, imo ei egregie subservit, cum ad remissionem peccatorum multum faciat. Quare duplex sanguini Christi vis tribueretur, altera sacrificiorum propria, altera sanguinis fœderum. Quod vero Grotius ait, Christum stipulatum esse, si mortem subiret, fore ut peccata remitterentur sibi credentibus, id nec in citato Esaïæ loco, nec alibi uspiam in Sacris Literis dicitur. In loco Esaïæ promittitur quidem à Deo, si Christus mortem subeat, fore ut peccata remittantur in ipsum credentibus: sed quod Christus id fuerit stipulatus, atque ita demum Deus id promiserit, ne verbo quidem indicatur. Promissio illa non ex antegressa aliqua stipulatione, sed ex sola Dei voluntate pependit. Deinde, ut alia omittam, quod eatenus Christi sanguis dicatur sanguis fœderis, præsertim primò ac per se, quatenus fœderis istius pars est, eaque vera loquutionis hujus in negotio aut loco nostro vis sit, (id enim, quantum conjicere possum, vult Grotius) ex Sacris Literis non apparet: quod autem eatenus dicatur sanguis fœderis, quatenus fœdas novum eo fuit confirmatum ac sancitum, ut olim antiquum sanguine vitulorum & hircorum, satis aperta sunt in Sacris Literis argumenta; nec qui de eo dubitet, ex Sacrarum Literarum interpretibus quemquam hætenus deprehendere licuit. Neque sane verisimile est Auctorem ad Hebr. cum hac appellatione uteretur, id dicere voluisse, quod Grotius videtur sentire; cum is fœdus novum ex Jeremia describens, sanguinem Christi seu mortem ejus cruentam inter condiciones aut partes ejus non ponat: quod nec alibi in Sacris Literis, cum de fœdere novo sermo est, factum temere inveneris. Christi autem sanguis, non alterius, quam novi, quod inter nos & Deum percussus est, fœderis sanguis est, Matth. 26. v. 28. Marc. 14. 24. Confer Hebr. 9. 15. & seqq. 12. 24. XIII. 20.

Scribit amplius Grotius Partic. 45: *Quod vero Christus in cælo dicitur offerre sanguinem, hoc est, Patri mortem suam ostendere, & quasi ejus Deum commonefacere seu in memoriam revocare ἀναμνησκειν, quod insuper interpellare pro nobis legitur, hæc expiationem in cruce peractam non tollunt. Expiatio enim in cruce peracta, Deum movet ad remittendum & jus nobis acquirit, sed sub certa conditione ac modo: in quibus comprehenditur ex parte Christi interpellatio, ex parte nostra fides vera, ut explicatum est, cum de satisfactione ageretur.*

At ubinam, quæso, in Sacris Literis dicitur, Christum in cælo offerre sanguinem, aut Patri mortem suam ostendere, & ejus Deum quasi ἀναμνησκειν? Christus apud Auctorem ad Hebræos, Hebr. 7. 27. ix. 14. 25, x. 10. qui solus de oblatione ipsius cœlesti aperte agit, ubique seipsum, aut corpus suum dicitur obtulisse Deo, sanguinem nuspiam, licet non nisi per sanguinem ejusque fusionem id fuerit factum. Ideo D. ille Auctor cap. 9. de sacrificio Christi fuisse differens, idque cum sacrificio Legis anniversario conferens, in quo Pontifex sanguinem in sancta illatum pro suis ac populi ignorantibus offerebat, ut dicitur vers. 7. nihil aliud ἀνδραγῶν hujus comparationis, quod quidem huc pertineat, reponit, quam Chri-

stum per proprium sanguinem ingressum esse semel in sancta, æterna redemptione seu expiatione reperta, v. 12. & paulo post vers. 14. cum elegantioris comparationis causa sanguini Christi purgationem seu expiationem conscientia tribuisset, quam ideo præstet, quia per eum facta sit oblatio, non tamen ipsum sanguinem dicit à Christo esse oblatum Deo, quemadmodum Grotii sententia, & comparationis major quædam concinnitas postulasset; sed ait, Christum, cujus ille fuerit sanguis, per spiritum æternum seipsum obtulisse inculpaturum Deo: quibus in verbis ipsius immortalitas, & summa naturæ corporisque ipsius gloriosi perfectio, qua ad cœlestem illam oblationem erat opus, potius quam vitæ sanctitas notatur. Spiritus enim ille æternus rectissime accipitur de virtute vitæ indissolubilis, secundum quam Christus dicitur factus sacerdos cap. 7. 16. & ob quam sacerdotium ipsius æternum est, atque ab eo in alterum quempiam non transit, ut Leviticum, ibid. vers. 24. & seqq. usque ad finem cap. ex quibus intelligi facile potest, quid apud D. hunc Auctorem vox inculpati significare queat, si conferas yf. 26. cap. istius 7. cum antecedentibus & seqq. Vult nempe D. Auctor d. l. cap. 9. significare, inde sanguinem Christi maximam vim ad conscientias nostras à mortuis operibus expurgandas, atque ad serviendum Deo viventi excitandas habere, quia Christus ejus interventu immortalem vitam fuerit adeptus, atque in cœlum ingressus ibidem apud Deum permaneat, salutis nostræ curam perennem, quod sine immortalitate fieri non poterat, gesturus. Quod vero Grotius ait, ea, quæ in cœlis Christum facere dixerat, *expiationem in cruce peractam non tollere*, id ambiguum est, maxime ob verbum *peractam*. Nam vel hoc vult Grotius, expiationem in cruce jam consummatam atque ad finem perductam esse, ita ut Christo, qua sacerdos est, nihil amplius, quod ad eam pertineat, faciendum restaret; vel aliquam fuisse vim atque efficaciam in morte Christi expiatoriam, & quidem tantam, ut cætera, quæ ad expiationem perficiendam pertinent, inde necessario ex Dei decreto consequi debuerint. Si posterius, rem totam fatemur: cum statuamus, mortem Christi fuisse conditionem ipsi à Deo impositam, qua præstita supremam in cœlis potestatem ac plenam nos à peccatorum suppliciis liberandi virtutem adipisci debuit, qua juncta cum summa Christi fide, summaque erga nos charitate ac misericordia, quæ morte ipsius, pro nobis adhuc impiis suscepta, tum comprobata est, tum aliquo modo excitata, non potest non liberatio à peccatorum pœnis consequi, & sic expiatio penitus absolvi. Si prius vult Grotius, assertionem ipsius haudquaquam admittimus, & ex eo, quod Christus in cœlo sacerdotii munere æternum fungatur, adeoque pro nobis, ut Grotius fatetur, offerat, pro nobis coram Dei vultu appareat atque interpellet, valide concludimus, expiationem in cruce nondum fuisse consummatam atque perfectam: cum sacerdotium illud Christi non nisi ad expiationem peccatorum nostro pertineat, & oblatio hæc ipsius apparitioque coram Dei vultu pro nobis, non nisi expiatoria sit: quod etiam interpellatio, quæ ab ea re ipsa non differt, abunde comprobatur, præsertim si consideres locum

Incum supra à nobis adductum Rom. 8. 34. Imo cum ei, quæ in cœlis peragit Christus, cum liberatione nostra à pœnis proxime cohæreant, eamque vi atque efficacia sua propria nobis præstent, simpliciter dici potest, expiationem in cœlis peragi: morti autem distincte sumptæ, tanquam causæ antecedenti, & sic metonymice quodammodo tribui. Atque hoc etiam nobis in anniversario Legis sacrificio, quod potissimum nobis Christi sacrificium adumbrasse nemo non videt, expressum est. Neque enim in eo sacerdos tunc dicebatur expiare, cum pecudem mactaret Levit. 16. 16. & seqq. (quod nec in aliis sacrificiis expiatoriis legere memini) sed cum sanguinem in adyta illatum spargeret, & hoc pacto coram vultu Dei, qui ibi peculiari quadam ratione præfenserat, ibid. vers. 2. compareret, eaque oblatione pro populo veluti interpellaret. Cui adde alia quædam, quæ è sanctuario egressus faciebat, ad expiationem penitus absolvendam pertinentia, quibus tamen nihil in Christi sacrificio respondet: quæ omnia mactationem consequiebantur. Iis autem, quæ in ipso sanctuario faciebat Pontifex, proprie respondere ea, quæ in cœlis facit Christus, coram vultu Dei pro nobis apparens atque interpellans, tum per se quivis facile videt, tum satis aperte docent ea, quæ leguntur Hebr. 9. 23, & seqq. Quare iis etiam expiatio vere adscribenda est. Ideo vero D. Spiritus sparsioni sanguinis coram Dei vultu, cæterisque rebus, quæ mactationem consequiebantur, expiationem aperte adscribit, non vero ipsi mactationi; quia hæc remotior erat liberationis à reatu causa, illæ propriiores. Atque hinc etiam D. Auctor Hebr. 2. 17. ait, Christum oportuisse per omnia fratribus similem fieri, *ut misericors fieret & fidelis Pontifex in iis, quæ apud Deum, ad expiandum peccata populi*; de ea re loquens, quam post mortem, atque adeo in ipsis cœlis perpetuo peragat Christus, ut non semel docuimus, quod idem vult Johannes 1 Epist. 2. 2. Animadvertendum nempe est vocem *expiationis* ex earum esse numero, quæ dicuntur *ab uno αἵματι* aut *ad unum πρὸς ἑνὸς*. Eorum autem vocabulorum ea est ratio, ut quo quidque ad id, quod in eo genere potissimum est, & cui primum vox communis convenit, accedit propius, majoremque cum illo nexum habet, tanto magis proprie nomen illud commune sibi vindicet. Expiare autem, ut voces Græcæ καθαρισμός, ἀγισμός, ἁγιασμός, quæ de ea usurpantur, indicant, est expurgare peccata, & quidem cum de sacrificiis sermo est, inprimis significat, peccatorum reatum ac pœnam tollere. Imo cum de aliis præter Christi victimam sacrificiis usurpatur, aliam significationem non recipit. Unde supra Grotius urfit, *eis ἀθίῃται ἁμαρτίας* Hebr. 9. 26. nil esse aliud quam *πρὸς τὸ καθαρίζεσθαι ἡμᾶς*, ad expiandum nos, *πρὸς τὸ γίνεσθαι ἡμῶν ἁφροσιν*, ut contingat nobis remissio. Remissio autem liberatio est à pœna. Quare ei personæ primo expiatio competit, quæ pœnam tollit, atque ab ea absolvit: qualis in hoc negotio est Deus, ac Christus, Dei nomine remissionem nobis præstans. Unde de Deo, cum peccata remittit, dicitur, eum expiare peccata, ut alibi vidimus, nec diffitetur Grotius; atque inter alia 1 Joh. 1. 9. ubi pro eodem ponuntur *remittere peccata & expiare ab iniquitate*. Deinde etiam illis sive personis, sive re-

bus tribuitur expiatio, quæ aliquid ad liberationem à pœna seu remissionem peccatorum nobis pariendam faciunt ac conferunt, sive causæ impulsivæ sint, sive mediæ: quo in numero sunt sacerdotes, quæ tales, ac victimæ, &, qui circa victimas peraguntur, actus. Harum causarum quo quæque propius cum liberatione illa cohæret, quantoque plus ad eam efficiendam habet efficaciam, tanto magis proprie ei tribuitur, expiatio: imo ei simpliciter interdum tribuitur, quod effectui illi est omnium proximum, & maximam inter alia ad eum pariendum vim habet. Atqui cum effectu liberationis à pœna seu remissione, quæ actu ipso fiat, propius cohærent illa, quæ in cœlis facit Christus, ut fatetur tum hic tum alibi Grotius; & Paulus aperte docet Rom. 8. 34. ad liberationem à condemnatione plus facere ea, quæ mortem sunt consequuta, quam mortem ipsam. Itaque simpliciter expiatio illis adscribi potest, morti autem quodammodo metonymice, & veluti antecederet; nisi forte mors non sumatur sola, sed hoc nomine comprehendantur ea, quæ illam ex Dei decreto sunt consequuta, ad liberationem à pœna spectantia, ut alibi (a) est explicatum. Quomodo autem mors Christi Deum ad remittendum movisse dici queat, & jus nobis acquisierit, explicatum est non semel. (b) Illud tantum monendum est, etiam si mors Christi conditio fuerit, qua præstita ex Dei promissione, quæ extat Esai. 53. 10, 11. remissio peccatorum consequi debuit, eaque sanctio fuerit Novi Fœderis, in qua remissio peccatorum nobis promittitur, adeoque jus quoddam ad eam repetendam nobis dederit; nos tamen eam, ut Paulus apertissimè 1 Corinth. 15. 17, 18. testatur, reipsa non fuisse consequuturos, nisi Christus resurrexisset, & dextra Dei fuisset exaltatus dux & servator Act. 5. 31. Neque enim nobis primo aut simpliciter fuit promissum, si Christus mortem subeat, fore ut Deus nobis peccata remittat: sed ipsi Christo præmii loco fuit à Deo promissum, fore ut, si mortem pro nobis subeat, voluntatem ipsius de salute nostra feliciter ad exitum perducatur, & peccatorum pœnas reipsa tollat, ut ex d. l. Esaiæ 53. constat. Quare ea promissio consequenter tantum ad nos pertinet; & omnis ejus, qui ad nos inde redundare debuit, effectus, ex Christi exaltatione pendet. Quod posterius de omnibus Dei promissionibus per ipsum Christum nobis propositis statuendum est, præsertim cum Christus ipse eas se nobis præstiturum dixerit. Confirmatio etiam Novi Fœderis per mortem vel facta non fuisset, vel vim habuisset nullam, nisi Christus Dei filius, quem se esse morte fuerat testatus, perfecte evalisset, quod per resurrectionem exaltationemque factum esse abunde testantur Sacra Litera Act. 2. 36. xiii. 32, 33. Rom. 1. 4. Hebr. 1. 4, 5. v. 5, 6. Quare ea consequuta, effectus promissionum divinarum ad nos pervenit, & peccata nostra vere expiantur.

Ex iis quæ hæcenus dicta sunt, præsertim si iungantur illis, quæ superius non uno loco sunt à nobis disputata, haud est difficile respondere ad id, quod subjicit Grotius Partic. 46: *Pugnat autem cum Scriptura Socinus manifeste, cum expiationem negat esse*

(a) Cap. 1. Partic. 26, 27. 31. 85. (b) Cap. 8. Partic. 3.

factam antequam Christus cœlum ingrederetur. Passim enim Scriptura τὴν ἀπολύτρωσιν, τὸν καθαρισμὸν, τὸν ἁγιασμὸν, τὴν ἀθέτησιν τῆς ἀμαρτίας tribuit morti, eaque ipsa jam peracta indicat. Nam expiatio morti Christi metonymice magis quam proprie, atque, ut ita dicam, antecederet tribuitur, quatenus est causa eorum, ex quibus perfecta expiatio seu liberatio à pœna proxime proficiscitur: vel, quod eodem fere recidit, mortis nomine etiam effecta, quæ eam ex Dei decreto fuerunt consequuta, comprehenduntur. Quamquam non in omnibus locis, ad quos proculdubio respicit Grotius, ea, quæ hic enumerantur, ita tribuuntur morti, ut in ea, antequam in cœlos ingrederetur Christus, peracta indicentur: sed mors verbi gratia facta esse, aut intervenisse dicitur εἰς ἀπολύτρωσιν ὡς ἀνάστασιν ad expiationem transgressionum: aut Christus εἰς ἀθέτησιν ἀμαρτίας ad abrogationem seu expiationem peccati per hostiam suam apparuisse: id quod verum esse potest, etiam si effectus ille ex morte Christi proxime non fuerit consequutus, aut ante ingressum Christi in cœlos peractus: cum finistantum mortis hoc pacto indicetur qui potest etiam esse remotior. Imo hic ipse locus, in quo uno ἀθέτησις ἀμαρτίας Christi hostiæ tributa reperitur, qui quidem extat Hebr. 9. 26. sententiam Grotii satis aperte refutat. Nam in eo verbum apparuit, exigentibus id loci circumstantiis, Grotius ipse interpretatur de apparitione in cœlo apud Patrem. Quare sensus erit: Christum ad expiationem peccati per hostiam suam apud Patrem in cœlis apparuisse. Quod non modo non significat, expiationem ante ingressum Christi in cœlum esse factam, sed etiam aperte demonstrat, eam ante id tempus reipsa factam non esse. Alias Christus eum in finem apud Patrem in cœlis apparere non potuisset. Sunt alia quædam loca, in quibus expiationem morte Christi, antequam in cœlos ingrederetur, peractam dici putat Grotius, in quibus tamen id haudquaquam dicitur, ut paulo post patebit. Neque vero aliquid amplius, quam hæcenus diximus, evincunt illa loca, ubi Christum in sanguine suo nos à peccatis lavisse Apoc. 1. 5. 7, aut in sanguine ipsius quempiam sanctificatum fuisse dicitur Hebr. 10. 29. In enim pro per usitatissimo in Sacris Literis Hebraismo poni nemo ignorat. Itaque idem est ac si dictum esset per sanguinem, ut alibi Hebr. 13. 12. Spiritus Sanctus loquitur: id quod nihil aliud quam causam expiationis mediam significat. At causa media esse potest, quæ effectui non sit proxima: postulatque nonnunquam phraseos concinnitas aut emphasis, ut remotior potius causa quam propior nominetur: quod in hoc negotio fieri suo loco ostendimus. Nec denique illa loca quippiam evincunt amplius, quæ sanguini ipsi expiationem tribuunt. Nam quod est causa causæ, est etiam causa causati, ut alibi diximus. Quamquam præterea non semper, ubi voces huiusmodi occurrunt, quas Grotius commemorat, & sic expiatio morti adscribitur, expiatio intelligitur ea seu liberatio à pœna, quæ reipsa fiat: sed interdum declaratio tantum expiationis nobis à Deo decretæ; vel intelligitur quidem expiationis actus, sed quatenus ab huiusmodi declaratione ac sanctione remissionis à Deo decretæ, jus ad eam repetendam nobis largiente,

proficiscitur: interdum ablutio ab ipsorum peccatorum sordibus, quæ magis proprie sanctificatio dicitur, significatur, aut liberatio à pœnis, quatenus ab huiusmodi ablutione ex Dei decreto pendet. Hanc autem utramque morti etiam primo ac per se cum Socino tribuimus, licet ea vim ad ista efficienda vel habitura non fuisset, vel non exsertura, nisi ea, quæ in Christo consequuta vidimus, apparuissent. Quibus de rebus dictum est suis locis.

Addit Grotius Partic. 47: Oblatio vero in cœlo quidem facta est, sed ita ut nec morti in terris peracta eum titulum denegare debuerit Socinus, contra clara verba Pauli Ephes. 5. 2. ubi Christus se dicitur tradidisse pro nobis ὡς ὁφείλου. Solam verborum seriem inspexisse, ipsius interpretationem abunde refutasse est. Ibi dem merito conjunguntur ὡς ὁφείλου & ἵνα. Peragi autem ἵνα tunc cum morti datur hostia, omnes Græcorum, omnes Latinorum libri indicant.

Christi mortem pro nobis susceptam oblationem dici, idque in eo ipso, quem Grotius citat, loco Ephes. 5. 2. tantum abest, ut neget Socinus, ut satis aperte affirmet. Id negat, agi hic de oblatione corporis Christi expiatoria perfecta, de qua in Epist. ad Hebr. agitur. Recte autem id negare Socinum, vel eâ verba indicant, quæ subjiciuntur: in odorem bonæ fragrantia; quorum vix ullus est usus, cum de expiatoriis sacrificiis est sermo, sed, ut alibi Socinus scripsit, potissimum ac fere semper de sacrificiis non expiatoriis usurpantur, ut videre est primis tribus capitibus Levitici, in quibus de huiusmodi sacrificiis agitur, & de holocausto, quod per se expiatorium non erat, ac manifeste distinguitur apud Moysen ab hostia pro peccato. In seqq. vero capp. ubi de variis sacrificiis expiatoriis agitur, semel tantum cap. 4. 31. in uno ex illis ea verba leguntur. Capite porro 16. ubi diligentissime tota ceremonia sacrificii illius anniversarii pro peccatis explicatur, cui sacrificio potissimum in Epistola ad Hebr. assimilatur Christi sacrificium, nunquam leguntur. Adde quod verba illa, in sacrificio expiatorio, non de eo dicuntur, per quod maxime & revera peccata expiabantur, h. e. de sanguinis oblatione (nam neque inde odor ullus ad superiora ferebatur) sed de combustionem adipis & renium, quæ tametsi ad absolvendam expiationem in legalibus illis sacrificiis requirebatur, tamen, ut ea, quæ fiebat Pontifice jam egresso ex sacrario, nihil sibi respondens in Christi sacrificio expiatorio habet, ubi omnia absolventur, antequam Christus Pontifex è sacrario suo egrediatur. Hinc ergo facile colligi potest, Paulum, cum dicit, Christum tradidisse seipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem bonæ fragrantia, ad sacrificia potius voluntaria, qualia erant holocausta & pacifica, alluisse, & sic oblationis nomine sacrum Christi expiatorium non intellexisse, tantum abest ut perfectum illud, ex quo proxime peccatorum remissio proficiscatur, significare voluerit. Hoc potius voluit dicere Paulus, Christum, quatenus tantopere nos dilexit, ut seipsum pro nobis in mortem traderet, (traditionem enim hanc, mortem ubique designare c. 1. urfit ipse Grotius, & Socinus locis similibus adductis abunde docuit) atque adeo hanc ipsam Christi actionem fuisse Deo oblationem hostiamque gratifi-

gratissimam ac suavissimam. Nam facta egregia, quibus patrandis charitas & beneficentia erga homines exercetur, Deo obedientia præstatur, hostiæ Deo gratæ appellari solent, ut his locis docuit Socinus, Hebr. 13. 16. 1 Petr. 2. 5. Philip. 4. 18. in quorum postremo extant etiam illa verba *odorem bonæ fragrantia*, quæ in illo ad Ephes. habentur. Adde his Rom. 12. 1. Hæc & alia plura cum scripserit Socinus, ad suam hujus loci explicationem defendendam, non erat cur diceret Grotius, *solam verborum seriem inspexisse, esse ipsius interpretationem abunde refutasse*. An forte voces *pro nobis* conjungendas putat, quod ad constructionem ac sententiam attinet, cum voce *oblationis*, perinde ac si dictum esset, Christum seipsum tradidisse, ut esset oblatio pro nobis? At nec positus verborum id comprobat (debuissent enim potius verba *pro nobis* oblationi postponi, ut nos fecimus, sententiam, quæ ex hujusmodi nexu oritur, exprimere volentes) & quivis facile videt, voces *pro nobis* rectissime conjungi cum verbo *tradendi*, ut sensus sit, Christum seipsum pro nobis tradidisse, in mortem videlicet; quod ii interpretes in primis docuerunt, qui distinctionem inter voces *pro nobis* & *oblationem* adhibuerunt, * quod Socinus, quamquam alia de causa, commemoravit. An forte hoc absurdum Grotio videtur, & tale, quod ex ipsa verborum serie statim refutetur, quod Socinus dixit, verbum *tradidit* non esse conjungendum cum voce *oblationem*, quasi nimirum ante vocem Oblationis adhuc penderet sententia, ad cuius complementum postea addatur, *oblationem & hostiam Deo*: sed voces has per appositionem esse additas, ad factum hoc Christi, h. e. traditionem sui ipsius pro nobis in mortem, ex summa erga nos charitate profectam, tanto magis commendandum, & Ephesios, ut illud imitari velint, tanto vehementius incitandos, siquidem ea res Deo adeo fuerit grata. Alii enim malunt ita verba ista jungere, ac si scriptum esset: *tradidit seipsum pro nobis in oblationem*, seu *ut esset oblatio*. Sed præterquam quod eo concessio non protinus stabili-retur id, quod Socinus negat, Grotius autem probare debet, nempe Paulum loqui de sacrificio Christi expiatorio perfecto, idque in morte ipsa peractum dicere: imo potius aliquid virium ad hoc posterius probandum, argumento, quod hinc duci solet, decederet: series etiam verborum Socino non repugnat. Quid enim est, quod prohibeat, quominus verba illa *oblationem & victimam Deo*, si constructionem Grammaticam spectes, per appositionem censeantur adjuncta voci *seipsum*, & sic ad Christum referantur, non quidem simpliciter consideratum, sed eatenus, quatenus sese pro nobis in mortem tradidit; ita ut, quod adjuncto proprie competit, sub-jecto metonymice tribuatur; & perinde sit, ac si expresse ad actionem ipsam, h. e. traditionem pro nobis in mortem, fuisset relatum. Quod aliquo modo Grotium etiam statuere necesse est, qui mortem oblationem illam esse contendit. Talis appositio est etiam in loco 1 Tim. 2. 6. *qui (Christus) dedit semetipsum redemptionis pretium pro omnibus, testimonium temporibus propriis*: ubi vox *testimonium* per appositionem, ratione quidem constructionis Grammati-

cæ, ad subjectum ipsum, nempe Christum, videtur referendum. Sed si sententiam spectes, perinde est ac si ad ipsam actionem Christi, nempe quod sese in mortem tradiderit, referretur, quod Erasmus voluit, & Beza, licet aliter quoque verba illa interpretetur, agnoscit, & Grotius indicavit supra cap. 8. quin etiam Rom. 12. 1. in verbis illis: *rationalem cultum vestrum*, talis appositio est, ubi id, quod adjicitur, potius ad rem totam, quæ præcessit, seu actionem ipsam refertur, quam ad nomen illud tantum, cum quo eodem casu per appositionem conjungitur. Ideo autem videntur verba illa: *oblationem & hostiam Deo*, potius per appositionem adjuncta superioribus, quam ad eorum sententiam, quæ adhuc pendeat, complendam, quia illo modo sumpta, eventum, scilicet id, quod reipsa factum fuerit, magis exprimunt, & sic ad commendationem hujus Christi actionis, de qua agitur, quæque Ephesios imitanda proponitur, plus faciunt: cum altera explicatio, quæ oblationem cum voce *tradidit* primo conjungit, magis intentionem ac consilium ipsius Christi, quam eventum ipsum denotet. Adde quod hoc pacto videatur perire ellipsis, quam in verbo *tradendi* Grotius etiam agnoscit, si ita verba Apostoli accipias, ac si dictum esset, tradidit seipsum pro nobis in oblationem: cum hæc oratio plena esse videatur, nec facile admittat, ut post verbum *tradidit* subaudiatur *in mortem*, siquidem jam dictum est *in oblationem*. Quod si tamen arbitratur Grotius, ellipsin istam nihilominus locum habere posse; nos de hac interpretatione cum illo non contendemus, præsertim si ita accipiantur verba, ac si dictum esset, Christum seipsum pro nobis in mortem tradidisse, ut hoc ipso pacto esset oblatio ac victima Deo gratissima, quod eventum quodammodo ipsum significare videtur.

Quod vero Grotius ait, merito in hoc loco conjungi *ἡ θυσία* & *ἡ ὁλοκαυστίη*, *θυσία* autem mac-tatione perfici; id eum in finem proculdubio dicit, ut ostendat, oblationem, quæ Græcis est *ἡ θυσία*, in ipsa mac-tatione fieri. Verum animadvertendum est, vocem *θυσία* nunc abstracte, ut Logici loquuntur, nunc, idque frequentius, in concreto sumi, h. e. nunc ipsam hostiæ mac-tationem designare, nunc metonymice subjectum mac-tationis, seu victimam ipsam, sive totam, sive partem ejus aliquam. Idem accidit in voce *ἡ θυσία*, quæ nunc ipsum offerendi actum, nunc rem oblatam significat. Cum abstracte sumuntur hæ voces, diversa significant, & de se invicem prædicari non possunt, nisi forte improprie, aut per accidens, ut postea videbimus. Atque hoc pacto *θυσία* in sacrificiis antecedit, *ἡ θυσία* sequitur. At cum in concreto sumuntur, eandem rem denotant, & inter se confunduntur. Id enim quod mac-tatur, aut pars ejus aliqua, ut sanguis aut adeps, aut totum etiam pecudis corpus, ut in holocaustis, postea solet offerri. Quare idem sunt subjecto, ratione differunt. Sacrificii autem ratio maxime consistit in oblatione, per quam res penitus Deo consecratur, & in honorem ac cultum ejus convertitur, quam ad rem mac-tatio est aditus ac præparatio quædam. In loco nostro Ephes. 5. ubi voces *θυσία* & *ἡ θυσία* metaphorice accipiuntur, eæ censentur in concreto sumi, quemadmodum etiam accidit in voce priori, nempe

* Tigurini & Castellio.

nempe *ἱερός*, in locis huic similibus Rom. 12. Philip. 4. 1 Petr. 2. Hebr. 13. à Socino adductis : & ex eventu est, quod hæc oblatio & victima mactatione fuerit peracta. Hoc enim non significatur istic voce *ἱερός*, sed ex natura subjectæ materiæ pendet. Fateamur ergo *ἱερόν*, si abstracte, secundum propriam vocabuli notionem accipiat, mactatione perfici, & *ἱεῖν* esse mactare : sed in ea totam sacrificii rationem, aut etiam potissimam consistere, aut oblationem, in qua sacrificii ratio proprie cernitur, ea perfici atque absolvi, non concedimus, præsertim si loquamur de sacrificiis à Deo institutis. Quamquam non negarim, posse vocem *ἱερός* per quandam synecdochen de tota sacrificandi actione accipi. Id autem quod diximus, jure à nobis negari, vel ex illo Ezechielis loco intelligi potest, qui extat cap. 44. ubi Deus eos Levitas, qui, cum Israëlita in idololatriam fuissent prolapsi, ipsi quoque à Deo recesserant, sacerdotio privat, & sic offerendi ac sacrificandi munus, quod sacerdotum est proprium, iis aufert, relinquit tamen mactationem holocausti ac victimarum populi. Ita enim ait vers. 10, 11. *Et Levitæ illi, qui longe recesserunt a me &c. eruntque in sanctuario meo ministri, præpositi portis domus, & ministrantes in domo : ipsi mactabunt holocaustum & victimam populo &c.* Et vers. 13. *Nec appropinquabunt mihi, ut sacerdotio fungantur mihi, & accedant ad omnes sanctificationes meas, ad sanctitates sanctitatum : sed portabunt iniquitatem suam &c.* Postea eos, qui integros sese eo tempore præstiterant, in sacerdotio confirmans, ita inquit vers. 15. *Sacerdotes autem Levitæ filii Sacerdotum, qui custodierunt custodiam sanctuarii mei, quum errarent filii Israël à me, ipsi accedent ad me ut ministrent mihi, stabuntque in conspectu meo, ut offerant mihi adipem & sanguinem, ait Dominus Jehova.* Quis ex ipsa oppositione non cernit, quantum mactatio victimæ, & oblatio differant, & quanto hæc illa sit præstantior, quantoque magis ad sacrificii rationem pertineat : cum hæc sacerdotum tantum sit, illa eorum etiam, qui sacerdotes non sunt ? Intelligi hinc potest, mactationem, præsertim vulgarium victimarum, seu à plebe oblatarum, fuisse etiam Levitarum, qui sacerdotes non essent, sacerdotibus tamen subservirent. Nam sacerdotes illos, qui in idololatriam fuerant prolapsi, in Levitarum vulgarium ordinem relegat Deus, ut viri docti * annotarunt. Ex Levitico idem non obscure colligitur. Nam ubi de mactatione sermo est, præsertim vulgarium sacrificiorum, non additur sacerdotis Aaronici nomen, qui immolare debeat, sed aliquo modo illi, qui victimam afferat, & mactandam curet, tribuitur, cum tamen continuo, ubi de sanguinis excepti fusione sparsioneque in ara vel circa aram sermo est, aut de oblatione adipis, aut holocaustorum incensione, quibus rebus oblatio tribuitur, eam per filium Aaronis sacerdotem fieri debere expresse dicatur : quod etiam sit in avium immolatione, ubi simul fiebat sparsio aut fusio sanguinis in ara, & immolatio. Ex quibus apparet, mactationem non ita fuisse sacerdotum propriam, ut ea, quæ illam fuerunt consequuta, ad oblationem proprie pertinentia. Unde Vatablus Levit. 1. 5. ad verba, quæ in ista sacrificiorum descri-

* Jun. & Trem.

ptione ibi primum occurrunt, *Tunc mactabit juvenis cum*, ita annotavit : *sub intellige sacerdos, vel Levita.* Oblationis autem nomen ad ipsam mactationem in Sacris Literis referri, docere debuit Grotius, cum illam in hac vere peragi contendat. Id autem legere non memini : de iis, quæ mactationem consequiebantur, oblationem dici nullum est dubium ; idque vel ex loco Ezechielis, quem paulo ante adduximus, patet, & ex Levitico manifestum est.

Ex his patet, nihil esse opus respondere ad ea, quibus probat Grotius Partic. 48, *ἱερόν tunc peragi cum morti datur hostia* : cum nos id, abstracte sumpto vocabulo, pro actione, quæ verbo *ἱεῖν* significatur, fateamur. Hoc autem pacto vocem istam hoc loco sumit Grotius, ut indicat verbum *peragendi*, quod ei adjicit. Quamquam ex Plutarchi verbis, quæ adduxit Grotius, non apparet, *ἱερόν* collocari ἐν τῷ σφύρτι. Videtur enim Plutarchus eam vocem in concreto sumere, & ipsum mactatorum hominum sanguinem ex Gallorum & Scytharum sententia *ἱερόν* appellare.

Quod attinet ad exemplum Abrahami Partic. 49, qui jussus est offerre filium, & quia nihil in se desiderari passus est eorum, quæ ad id perficiendum pertinebant, eundem obtulisse dicitur ; animadvertendum est, eum non tantum mactare filium Genes. 22. sed etiam in ara, quemadmodum jussus erat, comburere, atque ita in honorem Dei offerre cogitasse, ut ex tota historia manifestum est. Quare ex eo, quod oblationem à Deo sibi imperatam, quam opere parabat, animo jam perfecit, non sequitur, aut oblationem, aut totam sacrificii rationem mactatione perfici : cum aliquid præter mactationem facere jussus fuerit, & jam paravit atque animo perfecit Abrahamus ; idque ejusmodi, cui oblationis nomen competere Grotius negare non potest.

Quod attinet ad collationem locorum Partic. 50. Apoc. 5. 6. & 12. XI. 8. cum verbis Pauli 1 Corinth. 5. 7. Et si nos *ἱεῖν* pro σφύρτι esse positum minime negemus : tamen non est necesse, Spiritum Sanctum in voce *agni*, loci ex Apoc. citatis, respexisse ad agnum Paschalem. * Agni enim vox generalior est, potuitque alia esse hujus appellationis ratio, quam ipse Grotius supra explicuit hoc capite.

Scribit porro Grotius Partic. 51 : *Et apparuit Christus in cælo apud Patrem* ἡ ἱερός Hebr. 9. 26. *præcessit ergo sacrificium, secuta est apparitio.*

At primum Grotius ipse, quod Castellio quoque fecerat, verba ἡ ἱερός *per hostiam* vel *immolationem* superius videtur junxisse præcedentibus, ad destructionem peccati : ut sensus sit, Christum, ut peccatum per hostiam suam destrueret, vultui Dei apparuisse. Qui sensus Socini sententiæ non modo non repugnat, sed etiam favet. Deinde jam diximus, si vox *ἱερός* pro ipsa hostiæ offerendæ mactatione sumatur, *ἱερός* præcessisse, apparitionem sequutam. Verum *ἱερόν* illam universam sacrificii rationem, aut oblationem in se complexi negamus. Sumit autem Grotius, ut apparet, hoc loco vocem *ἱερός* abstracte. Denique particula ἡ *per* accipi potest pro *cum*, quod non raro fit in Sacris Literis. Præter locum 1 Johan. 5. 6. à Socino adductum, vide-

* Vid. Partic. 15.

etiam Rom. 2. 17. IV. 11. XIV. 20. 2 Cor. 2. 4. iij. 11. VI. 8. Itaque sensus erit, Christum cum victima sua coram Dei vultu apparuisse: seu, dum coram Deo apparuit, victimam suam obtulisse. Nam allusione quadam facta ad cerimoniam legalem, aliquo modo distinguuntur Christi victima, & ipse Christus, tanquam Sacerdos coram Deo apparens, ac victimam suam Deo exhibens, licet re sint eadem.

Pergit Grotius Partic. 52: Sic alibi in eadem Epistola dicitur Christus in sanctuarium cœleste intrasse per sanguinem suum αἰώνιον λύτρωσις δι' ἑαυτοῦ, id est, reperta æterna redemptione, Hebr. 9. 12. & sedisse ad dextram divini solii καθάπερ ἐν ποιμαντήριον τῶν ἀμνησίων ἡμῶν, facta peccatorum nostrorum expiatione: quibus in locis voces antea acti temporis ostendunt, factam redemptionem aut expiationem, priusquam Christus cœlestem regiam intraret.

Primum etiam si id, quod hic concludit Grotius, in locis citatis diceretur, Socini tamen sententiam de expiatione nostra per Christum facta non everti, docuimus supra Partic. 45, 46. ubi ostendimus, quomodo dici queat, expiationem in morte Christi factam esse. Deinde quod attinet ad locum cap. 9. 12. animadvertere poterat Grotius, aoristos illos participiorum, qualis est ἐν ἑαυτοῦ seu ἐν ἑαυτοῦ, verbis, quæ antea actum tempus significant, adjunctos, non semper requirere, ut actio illis expressa præcesserit eam, quæ designatur verbis, quibus junguntur, sed interdum vim habere participiorum temporis præsentis aut imperfecti, quando verbis præteriti temporis, quo aoristos etiam complectimur, adiunguntur. Quod idem nonnunquam accidit in participiis præteriti perfecti. Notavit id Castellio ad Matth. 10. 5. ubi verba Græca, ἀπέστειλεν ὁ Ἰησοῦς τὸν Ἀγγεῖλον αὐτοῦ, ita reddiderat, *Dimisit Jesus, eis ita præcipiens*, licet τὸν Ἀγγεῖλον ante acti temporis significationem habeat. Nam, inquit, ea missio ipsa præceptio est, cum jubet eos ire ad perditas oves Israëlitas. Id autem recte fieri posse comprobatur iis verbis, quæ apud Evangelistas passim occurrunt, ἀπεκρίθη εἰπὼν, *respondens dixit*, quæ alias viderentur reddenda, *cum respondisset dixit*. Illo autem modo redduntur ab interpretibus, quia nemo non animadvertit, non prius eum, de quo sermo est, respondisse, quam dixisset. Ipsa enim dictio responsio est. Quare ἀπεκρίθη ponitur pro ἀπεκρίθη, vel, quod eodem recidit, perinde est ac si participium ἀπεκρίθη resolveretur in aoristum indicativi, & cum verbo, cui adhæret, conjungeretur per particulam καὶ, hoc pacto: ἀπεκρίθη καὶ εἶπεν, *respondit & dixit*, quemadmodum Johannes in Evangelica historia fere loquitur. Exempla etiam habes inter alia 2 Pet. 2. 6. ubi ait Apostolus: πόλεις σεδέμων καὶ γομορρῆας πεφωσῶσιν κατὰ τὴν ἐκείνων κατέκλεινεν: *urbes Sodomorum & Gomorrhæ in cineres redactas eversione condemnavit*. At non antea in cineres redegit, quam eversione condemnavit. Itaque perinde est ac si dixisset πεφωσῶν κατέκλεινεν, *in cineres redigens condemnavit*. Eodem vers. etiam participium præteriti perfecti πθεικώς ita usurpatur, dum post verbum κατέκλεινεν ita subjicit Petrus: ὑπόδειγμα μελλόντων ἀσεβῶν πθεικώς, *exemplo eorum qui impie victuri essent posito*; ubi participium πθεικώς quoddam veluti consequens seu effectum condemnationis istius ac subversionis significat; q. d. Apo-

stolus: quo ipso exemplum quoddam se veritatis suæ proposuit iis, qui impie victuri essent, spectandum ac metuendum. Eodem cap. 5. 15. ἐκωλύθησαν ἑκατόμβησαντες aberrarunt sequenti. Quod eandem vim habet, ac si dixisset, *aberrarunt sequentes*, vel *aberrarunt & sequenti sunt*. Quamquam non est necesse aliunde petere huius rei exempla, cum ea ex ipsa hac ad Hebr. epistola depromi queant. Nam cap. 7. 27. dicitur: τὸ ἵ ἐποίησεν ἐφ' αὐτοῦ, ἐαυτοῦ ἀνιέγκας, hoc enim fecit semel, seipso oblato, h. e. seipsum offerens, aut quum seipsum obtulit, ut Beza vertit. Ubi manifeste ponitur ἀνιέγκας pro ἀναφέρων. Actio enim illa, quæ significatur verbo ἐποίησεν, *fecit*, est oblatio pro peccatis, ut ex præcedentibus clarum est: ita ut emphasis tantum sit in voce ἐαυτοῦ seipsū: alias identica, ut loquuntur, foret loquutio, & ἀδελφία negatio quædam committeretur. Infra cap. 11. 9. de Abrahamo dicitur: παρώκησεν εἰς τὴν γῆν &c. ἐν σπηταῖς κατωικῆσαι μετὰ Ἰσαὰκ &c. Ubi siue reddas verbum παρώκησεν commoratus est, siue cum aliis quibusdam commigravit, κατωικῆσαι ponitur pro κατωικῶν habitans, vel κατῴκησεν & habitavit. Similis etiam ei, de quo agimus, loco extat cap. 1. in iis verbis, quorum partem priorem citavit Grotius, vers. 3, 4, ubi Auctor D. ait, quod Christus confederit in dextra maiestatis in excellis πρὸς τὴν κρείττων ἡγοῦν τῶν ἀγγέλων, *tanto præstantior factus Angelis*, &c. cum eo ipso præstantior Angelis factus esset, quod ad dextram Dei confederisset; ut præter rem ipsam vers. 13, 14. ostendit. Itaque aoristus ἡγοῦν consequens quoddam seu effectum sessionis ad dextram Dei exprimit. Ut igitur ad locum cap. 9. 12. redeamus, potest aoristus δι' ἑαυτοῦ seu ἐν ἑαυτοῦ subiectus verbo εἰσῆλθεν ita accipi, ac si dictum esset: Christus per proprii sanguinis fusionem semel est ingressus in sancta, & eo ipso æternam redemptionem seu peccatorum expiationem reperit. Imo interpretatione hac nihil potest dici loco universo ac scopo auctoris accommodatius. Nam, ut supra vidimus, Sacerdos non expiatione vere jam facta ingrediebatur in Sancta, sed eam facturum: unde cum sanguine ingrediebatur, quem pro suis & populi ignorantibus offerret, ut supra D. Auctor περὶ τῆς προφῆτιαν istius comparationis inter Sacerdotem Aaronicum & Christum, inter illius & huius sacrificium explicans, dixerat. Quare consentaneum est Auctorem in ἀποδοῖν redditione huius comparationis non dicere, Christum Pontificem facta jam expiatione ingressum esse in Sancta, sed ideo, quod per sanguinem proprium ingressus sit, fecisse vel nactum esse æternam redemptionem siue expiationem. Nec sane amplius fuisset opus, eum tanquam sacerdotem sancta ingredi, si expiationem jam re ipsa peregisset, præsertim per poenarum, ut adversarii volunt, solutionem, ac plenam satisfactionem.

Quod ad locum cap. 1. 3. attinet, admissio eo, quod aoristus verbo ἐκάθισεν præpositus, denotet actionem ejusmodi, quæ sessionem in dextra maiestatis antegressa fuerit: non dicitur tamen ibi, quod facta sit expiatio antequam Christus cœlestem regiam intraret. Aliud enim est cœlestem intrare regiam, aliud in divino solio confidere; ut etiam in rebus terrenis, unde ducta est metaphora, videmus: prius enim rex designatus intrat regiam, quam in regio

regio folio, quod inibi positum est, confideat. Ingressus ergo in cœlum præcessit, sessio in dextra divini solii subsequuta est. Hoc autem non parum habet in nostro negotio momenti. Dicere enim potuit D. Auctor, Christum expiatione peccatorum nostrorum per seipsum facta consedis in dextra divini solii, non quod eam jam in morte sua peregrisset, sed quod per proprii sanguinis fusionem cœlum ingressus seipsum Deo obtulisset, & ut ita dicam, præsentasset. Qua via quia id consequutus est, ut in dextra divini solii consideret, & sic plenam peccata nobis remittendi ac salutem æternam donandi potestatem à Deo consequeretur, jure potest dici expiationem peccatorum nostrorum tunc fecisse. Quia aliquo modo perinde est, ac si ipsam remissionem peccatorum nobis decretam à Deo impetrasset seu obtinuisset. Quemadmodum Pontifex Legalis tum vere dicebatur expiare peccata, cum coram Deo in Sanctis cum victima comparens id faceret, quo interveniente Deus remissionem peccatorum vi decreti sui iis concedebat, pro quibus victima offerebatur. Quamquam quia non statim effectus istius rei, præsertim plenus ac perfectus, ex Dei consilio ad nos pervenit, cum Christus cœlum per mortem ingressus in Dei solio confedit, sed subinde effectus ejus rei ad nos redundat, redundaturus plene in ipsius adventu, qui est egressus Pontificis nostri è Sanctis; ideo quamdiu ibi apud Deum manet, & coram ipso apparet, expiare dicendus est. Qua de re dictum est supra, & paulo post adhuc nonnihil dicitur.

Quamquam ergo, inquit Partic. 53 *Christus ejusmodi est Pontifex, qui non in terra manere, ut sacerdotes Levitici* Hebr. 8. 4, *sed cœlum penetrans ipso cœlo celsior debuit evadere* Hebr. 4. 14. VII. 26, *quippe cujus sacerdotium debuit esse æternum & ἀπαράβατον* cap. 7. 24, *verus tamen sacerdos fuit & vera victima, jam tum cum in terris morti se traderet. Ideoque dicitur venisse in mundum* Hebr. 10. 5, (*hoc est in orbem terrarum, ipsa Scriptura interprete* Johan. 18. 37. I Timoth. 1. 15.) *ut voluntatem Dei faceret* vers. 7 & 9, *hoc est, ut corpus suum à Deo aptatum, id est, sanctificatum* vers. 6, *offerret Deo* vers. 10. *pro peccatis* vers. 8. & 12.

At inter conditiones, quæ ad nostrum sacerdotem vere ac perfecte constituendum requisitæ fuerunt, hæc numeratur, loco à Grotio citato Hebr. 7. 26, quod sublimior cœlis evadere debuerit. Qua de causa in altero loco cap. 8. 4 dicitur, si esset in terra, ne sacerdos quidem esset. Quare cum in terris adhuc esset, nondum cœlis sublimior factus, sacerdos summus nondum fuit, nec perfectam illam obtulit victimam, sed ut Sacerdos summus, ac victima perfecta fieret, morte præparabatur. Idem ex eo patet, quod Christus factus est Pontifex secundum vim vitæ indissolubilis seu immortalis Hebr. 7. 16, hanc etiam in terris nec habuit, nec habere debuit, ut sanguinem fundere posset. Eodem spectant ea, quæ leguntur ad finem ejusdem capituli. Idem demonstrant verba cap. 5. 5: *Sic & Christus non semetipsum glorificavit ut Pontifex fieret, sed qui loquutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Sicut & in alio dicit: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Unde perspicitur,

non ante Christum vere ac perfecte factum esse Pontificem seu sacerdotem illum summum, quam verba illa Psalmi: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, vere implerentur. At hoc post resurrectionem demum factum est, ut apparet ex locis Actor. 13. 33. Rom. 1. 4. Hebr. 1. 4. 5. Qua de causa eodem illo cap. 5. Hebr. 5. 9, 10 dicitur de Christo: *Cum perfectus esset redditus, factus est obedientibus sibi omnibus causa salutis æternæ, appellatus à Deo sacerdos secundum ordinem Melchisedech.* Perfectio autem illa Christi, diebus carnis & perpeffionibus ipsius ibi opponitur, ejusque immortalitatem complectitur; ut apparet etiam ex collatione locorum cap. 2. 10. VII. 28, quibus addi potest cap. 11. ult. Consentiant cum his D. Auctoris verbis egregie, quæ dicit Petrus Actor. 5. 31: *Hunc (Jesum) Deus ducem & servatorem exaltavit*, (h. e. exaltavit ut esset dux & servator) *dextra sua, ad dandam poenitentiam Israël, & remissionem peccatorum.* Ibi dicitur *factus esse causa salutis æternæ, itemque Sacerdos*; hic *exaltatus dux & servator*: Non quod antea talis plane non esset, sed quod non perfecte. Diximus autem præparatum fuisse Christum ad hoc sacerdotium tunc, cum pateretur: quia tunc assimilatus est fratribus per omnia, ut misericors & fidelis fieret Pontifex in iis quæ ad Deum, ad expianda peccata populi Hebr. 2. 17. Nam ea re factum est, ut mala nostra expertus, tentatis nosset succurrere; qui affectus & promptitudo ad opem nobis ferendam, misericordiæ aut compassionis nomine ab Auctore divino effertur, eratque inter conditiones, quæ in Sacerdote eligendo spectabantur, ut patet ex cap. 5. 2. Ex quo ipso etiam intelligitur, Christum in terris nondum vere fuisse Sacerdotem summum, & peccata perfecte expiassse, cum ad conditionem hanc morte demum sit perductus. Quod ad locum Hebr. 10. 5 attinet, non est ibi sermo de adventu Christi in hunc mundum visibilem, vel de adventu ad nos; sed de ingressu ipsius in mundum futurum, & accessu ad ipsum Deum, ut pro nobis coram ipso appareret, & voluntatem ipsius de peccatorum nostrorum expiatione, de qua Esai. 53. 10, 11, perficeret. Agitur enim hic de re ejusmodi, quam ut Pontifex & Sacerdos noster peregit, & qua legalia sacrificia sustulit. Talis autem non est ingressus in hunc mundum visibilem, aut adventus ad nos, sed ingressus in cœlum, quod est sanctuarium hujus nostri Pontificis, & apparitio coram Dei vultu, quæ postquam facta est, legalia sacrificia fuerunt abrogata. Neque vero, ut hoc levius cuiuspiam videri possit, verba illa εἰσερχόμενος εἰς τὸν ἕσπερον simpliciter reddi debuerunt, *veniens in mundum*, ut facit Grotius, ac si dictum solummodo esset, εἰρχόμενος εἰς τὸν ἕσπερον, qui loquendi modus est in locis à Grotio allegatis Johan. 18. 37. & I Tim. 1. 15, quæ illorum D. Auctoris verborum interpretationem continere, probandum erat Grotio; sed *ingrediens in mundum*, quæ verba etiam de ingressu Christi in cœlum usurpari possunt. *Venisse Christum in cœlum*, nemo fortasse dixerit; sed, *in cœlum fuisse ingressum*, recte dicitur; & hoc sensu verbum εἰσελθεῖν de Pontifice nostro usurpatur Hebr. 6. ult. 9. 12, & 24. vocabulum simplex εἰσελθεῖν seu venire magis adventum ad nos denotare videtur. Sermo ergo hic est de orbe terrarum

rarum futuro, nobis præparato, in quem Christus primogenitus ille introductus, ab Angelis adorari iussus est cap. 1. 6. cap. 2. 5. quem Petrus vocat cælum novum & terram novam, in qua iustitia habitet, 2. Epist. 3. 13. Cælum autem & terram dicere, est dicere Mundum; cum is ex cælo & terra constet. Ipsa sane *mundi* appellatio orbi futuro tribuitur Rom. 4. 13. Unde jam intelligitur, ea, quæ Grotius tanquam ex auctoris mente inter se concinnavit, sententiam ipsius non stabilire. *Aptatio corporis Christi*, de qua vers. 5. potest quidem dici illius sanctificatio, si vox sanctificationis in eum sensum accipiat, in quem sumuntur illa Divini Auctoris verba cap. 7. vers. 26. *Sanctus, expers mali, segregatus à peccatoribus*. Loquitur enim de illius immortalitate, & ut ita dicam, impatibilitate, ut ex duobus vers. præcedentibus, quorum hic ratio redditur, apparet. Immortalitate enim ac impatibilitate, ab hominibus vulgaribus ac peccatoribus, qui infirmi sunt, perpeffionibus & morti obnoxii, perfecte fuit separatus, ac divina quadam ratione sanctificatus. Eam autem libentius sanctitatis nomine divinus auctor exprimit, ut eam tanto elegantius infirmitatibus ac peccatis Pontificum legalium opponat, ut ex sequentibus apparet. Hac Christi corpus ad perpetuam in cælis coram Deo apparitionem fuit præparatum, & perfectum redditum.

Subjicit Partic. 54: *Quo loco observandum simul est, sanctificatos nos dici oblatione ἱερῆς: cum interpellat Christus toties, quoties opus est nobis: ita ut hic non interpellatio, sed mactatio sit intelligenda.*

Oblatio corporis Christi semel facta dicitur, quia semel tantum Christus per sanguinis fusionem cælum ingressus corpus suum eo intulit, ac Deo veluti præsentavit atque exhibuit, ex quo tempore perpetuo coram Deo cum hostia hac sua adstat, nunquam è sanctuario, donec expiatio penitus perficiatur, egressurus. Quare oblationem illam non repetit, quemadmodum sub Lege fiebat, ubi quotannis Pontifex cum alia hostia in sanctuarium ingrediebatur, eamque Deo offerebat, mox inde egressurus: cum præcedentis tantum anni, non etiam sequuturi temporis peccata expiaret. Christus autem, cum semel ingressus in cælum perpetuo ibi maneat, & peccata in æternum expiet, h. e. tam diu, quam diu expiatione aliqua opus erit, oblationem non repetit. Opus enim esset, ut sanctuarium egressus denuo peccatorum nostrorum expiandorum gratia per sanguinis fusionem ingrederetur, seque Deo exhiberet ac præsentem sisteret. *ἱεροφάνεια* enim seu oblationis nomen proprie ipsam rei antea absentis exhibitionem, & ut ita dicam, præsentandi actum denotat: ideoque primo significat Christi ad Deum accessum, & primam illam sui ipsius exhibitionem ac coram Dei vultu apparitionem, consequenter illius apparitionis durationem, & rei semel exhibitæ præsentiam continuatam. Itaque cum semel res actu ipso exhibetur ac præsens sistitur, semel oblata dicitur, etiamsi oblata perpetuo eodem in loco permaneat; unde & oblatio perpetua dici potest. Habet autem ideo Christi ad Deum accessus, & prima apparitio singularem cum oblatione legali convenientiam, adeoque nomen hoc oblationis magis sortitur, quia Christus hac via, ut antea diximus, potestatem

obtinuit illam, unde perfecta peccatorum nostrorum remissio pendet. Qua de causa dicit D. Auctor cap. 10. 12. Christus *una pro peccatis oblata hostia, in perpetuum consedit in dextra Dei: quod reliquum est, expectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus*, de quo loco diximus nonnihil supra Partic. 3. eodem etiam verba cap. 1. 3. referri posse diximus. Veruntamen quia ex primo illo Christi ad Deum accessu, effectus remissionis ex Dei consilio ac voluntate non statim ad nos manavit, nec manaturus fuisset, nisi Christus ad dextram Dei collocatus, in cælis apud ipsum permanisset, salutem nostram perpetuo curaturus: nunc autem, quia id facit, effectus ille ad nos reipsa manat ac porro manaturus est: ideo licet hæc perpetua Christi apud Deum existentia, cum salutis eorum, qui gravissime in Deum peccaverant, cura conjuncta, oblationis nomen consequenter tantum videatur sortiri: sua tamen natura effectui illi, cui oblatio proprie destinata est, h. e. remissioni peccatorum seu à pœnis liberationi propior est, & natura sua ad eum plus confert. Quare ab eo tempore perfectissime Christus sacerdotio fungi, atque adeo etiam offerre & interpellare pro nobis dicitur, ex quo ad dextram majestatis in excelsis consedit. Significavit id D. Auctor cap. 8. initio, cum ita inquit: *Caput autem eorum quæ dicuntur* (intellige, à nobis de Christi sacerdotio) *talem habemus Pontificem, qui consedit in dextra throni majestatis in cælis, sanctorum (seu sanctuarii) minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo. Omnis enim Pontifex ad offerendum dona & victimas constituitur. Unde necesse est habere aliquid etiam hunc quod offerat. Nam si esset in terra, ne sacerdos quidem esset, cum extent sacerdotes offerentes secundum legem, qui exemplari & umbra serviunt cælestium.* Quod vero Grotius ait, Christum interpellare toties, quoties opus est, quasi ea Christi actio nunc cesset, nunc denuo reperatur; id nuspiam legitur. Interpellatio illa seu ἱκετήριον, ut ex Hebr. 7. v. 24, 25. colligitur, nil est aliud, quam perpetua sacerdotii functio, & assidua salutis nostræ cura, quam Christus ad Dei dextram collocatus suscipit ac gerit, & ab oblatione pro nobis perpetuo durante reipsa non differt. Quemadmodum enim Pontifex Legalis ideo dici poterat ἐπιτελεῖν seu intercedere pro populo, pro quo offerebat, quia victimam offerendo apud Deum curabat, ne populus peccatorum suorum pœnas lueret, (nam de precibus, quas sacerdos fundere debuerit pro peccatoribus, præsertim in sanctuario, aut tum, cum expiaret peccata, nihil legitur:) ita Christus dum oblationem perpetuo pro nobis peragit, & apud Deum comparens salutem nostram vehementer desiderat atque assidue curat, ἐπιτελεῖν dici potest. Oblatio ergo id hic præstat, quod alibi preces: Neque vox ἐκδίκησις ipsius natura inspecta, minus videtur apta esse ad hujusmodi intercessionis modum significandum, quam ad eum, qui per preces fit: ad quem, tanquam frequentiore, vox ἐκδίκησις, cum natura sua esset laxior, videtur fuisse accommodata. Quamquam desiderium illud remissionis peccatorum per oblationem à Deo obtinendæ, & aliis veluti impetrandæ, cum precibus pro aliis suis admodum est conjunctum, eique valde vicinum. Quo autem pacto hæc ad Christum accommodentur, Partic. 3.

est à nobis explicatum. Grotius eam *ἐν τοῦ* de precibus proprie dictis procul dubio accepit. Qua in re, quanto per fallatur, alibi jam monuimus. Nam cum Deus omnem Christo in cœlo ac terra potestatem dederit Matth. 28. 18, eum in finem, ut nobis remissionem peccatorum æternamque vitam largiatur, & nos, qui ipsius membra sumus, perpetua ope foveat Act. 5. 31. Joh. 17. 2. Eph. 1. 22, 23. v. 29, 30, 32, cur Deum adhuc vere oret, & preces apud ipsum interponat, ut peccata nobis remittere velit?

Quæ porro scribit Grotius Partic. 55: *Duplicem esse, ut legalium quarundam victimarum, ita Christi oblationem, priorem, mactationis, alteram ostensionis. Quarum prior non sacrificii præparatio, sed sacrificium; posterior non tam sacrificium, quam sacrificii facti commemoratio sit*: Hæc confutatis superioribus, ex quibus ea Grotius concludit, per se ipsa concidunt. Ostendimus enim, eam tantum oblationem, quam ostensionis vocat Grotius, hoc nomen sub Lege habuisse, ad quam etiam tunc, cum mors Christi oblatio dicitur, alluditur. Quamquam oblationis illius nomine, ut ex superioribus constat, intelligimus, non tantum sanguinis illationem in Sancta, quæ in solenni Legis sacrificio fiebat, sed etiam sanguinis coram Deo sparsionem, aut effusionem in aliis tabernaculi locis factam, quin & combustionem holocaustorum aut adipis, in odorem Deo gratum, itemque aliorum donorum exhibitionem coram Deo, certis ritibus peractam. Itaque oblatio etiam illa Christi cœlestis, quam ostensionis appellat Grotius, vera ipsius ac perfecta oblatio expiatoria est, & sacrificii pro peccatis consummatio, cujus initium quoddam fuit ipsius mactatio, & ad veram oblationem præparatio.

Sequitur apud Grotium Partic. 56: *Quare cum apparitio & interpellatio non sint actus proprie sacerdotales, nisi quatenus peracti sacrificii virtute nituntur, sacrificium illud qui tollit, ne sacerdotium quidem Christo verum relinquit, contra manifestam Scripturæ auctoritatem, quæ distinctam à Prophetica & Regia Pontificiam dignitatem Christo assignat: non figurate dictam, sed maxime veram, quippe cum sacerdotium ipsius Levitico sacerdotio, quod verum fuit sacerdotium opponatur, ut ejusdem generis species perfectior alteri speciei minus perfectæ. Neque recte inferri potuerit, necesse fuisse ut haberet quod offerret Christus, Hebr. 8. v. 3. nisi ex veritate ejus in quod constitutus erat sacerdotii, dicto vers. 3.*

Imo vero tunc apparitio & interpellatio sunt actus proprie sacerdotales, quando sacerdos cum hostia, quam offerat, coram Deo in Sanctis apparet, & hoc modo pro aliis *ἐν τοῦ* seu interpellat, adeoque sacrificium vere peragit, non vero, cum eo jam antea alibi peracto preces illius virtute nixas fundit. Illud igitur cum Christo tribuamus, nec sacrificium ipsius tollimus, nec verum perfectumque sacerdotium, imo id ei valide asserimus. Pontificiam igitur Christi dignitatem à Prophetica & Regia distinctam agnoscimus, quamquam non pari modo distinctam. Arcius enim cum Regia dignitate cohæret, quam cum Prophetica. Unde duo ista munera, Regium nempe & Pontificium, in Sacris Literis aperte à se invicem disjuncta, & ut in Scholis loquuntur, con-

tradistincta nuspiam cernas: sed potius alterum in altero quodammodo comprehensum videas. Nam D. Auctor Hebr. 3. initio, Christi dignitatem, quam ratione muneris sibi à Deo mandati habeat, nobis ante oculos ponere volens, & ad ejus considerationem nos cohortans, duo tantum illius officia commemorat, Propheticum & Sacerdotale, quorum illud in terris olim absolvit, hoc in cœlis perpetuo administrat, dum inquit: Unde, fratres sancti, vocationis cœlestis participes, *considerate Apostolum (seu legatum) & Pontificem confessionis nostræ Christum Jesum*. Apostolum sive legatum confessionis, h. e. religionis ac fidei nostræ, quam profiteri debemus, vocat Christum, quia ad eam nobis annunciandam olim à Deo missus fuit, quod est Prophetæ: Pontificem autem ejusdem confessionis sive religionis appellat, quia ad eam perpetuo tuendam, & curam ejus gerendam, h. e. ad omnia ea, quæ ad illam spectant, administranda, & ad exitum in nobis perducenda à Deo constitutus est: quasi summum religionis nostræ ac sacrorum præsidem aut administratorem dicas. Quod infra cap. 12. 2. illis verbis expressit, dum eum *ducem & consummatorem fidei* appellat: quia non tantum voce & exemplo nobis ad eam prævit, verum etiam eandem ad Dei dextram nunc collocatus perficit, atque ad optatum finem perducit. Cæteri scriptores Novi Testamenti Regium potius & Propheticum munus commemorant; nec ullus ex iis Christum diserte Sacerdotem aut Pontificem vocat: facturi id proculdubio creberrime, si id in cæteris ipsius muneribus, atque inprimis in regio consideratis certis eorum munerum circumstantiis, in quibus Sacerdoti legali similis est Christus, intelligi ac tacite comprehendere non posset; cum ex eo munere salus nostra æterna pendeat Hebr. 5. 9, 10. VII. 24, 25. quandoquidem inde peccatorum nostrorum proficiscitur remissio, ac justificatio, in qua beatitas nostra consistit. Quando autem cæteri Scriptores Sacri id commemorant, quod ad sacerdotium Christi magis proprie pertinet, munus hoc ipsum muneri regio, aut functionem functioni revera non opponunt. Interpellationem Christi pro nobis semel nominavit Paulus Rom. 8. 34. Sed in ea tacite actum etiam regię ipsius potestatis, ad nos à pœna liberandos pertinentem, tanquam interpellationis effectum quendam proximum complexus est. *Regia* enim seu operatio à regia Christi potestate manans, atque ad nos à pœna liberandos pertinens, curæ illius pro nobis susceptæ quidam veluti effectus est & consequens. Regiam quidem Christi potestatem Apostolus ibi commemoravit in verbis, *qui etiam est in dextra Dei*, & interpellationem ab ea distinxit; sed potestatis illius actum expresse non commemoravit, contentus interpellationem nominasse. Johannes 1 Johan. 2. 2. dum Christum Advocatum, quem apud Patrem habeamus, nominat, & eum simul expiationem pro peccatis nostris vocat, censerit potest munus Sacerdotale nobis descripsisse. Ubi tamen regium munus non apponit. At cum ad consolationem illam, quam eo loco peccantibus proponit Johannes, plurimum pertineat scire, Christum plenissimam habere pœnas peccatorum à nobis auferendi potestatem, tacite id in suis verbis inclusisse cen-

consensus est. Neque vero immerito Sacri Scriptores alterum officium in altero quodammodo comprehendunt. Nam quicquid à Christo ut Sacerdote expectamus, id ab eo ut Rege reipsa proficisci, dici potest. Sacerdotis est peccata expiare & expurgare. Hoc fit dum hostes Christi & nostri, peccatum nempe ipsum, mors, &, qui mortis habet imperium, Satanas, destruuntur. At Christus hostes suos ac nostros debellat ac destruit ut Rex, 1 Cor. 15. 24, 25, 26. Philip. 3. ult. Sacerdotis est auxilium iis, qui ad thronum gratiæ accedunt, opportunum præstare, & afflictis prompte succurrere. Hebr. 2. 17, 18. cap. 4. 15. 16. An non etiam Christi Regis est, populo suo ad thronum ipsius confugienti succurrere, & afflictis opem ferre? Idem ex eo quoque apparet, quod Auctor Divinus Epist. ad Hebr. locum illum Psalmi, Filius meus es tu, ego hodie genui te, ad sacerdotium Christi aperte refert cap. 5. v. 6. Et Pontificiam ei dignitatem hac ratione à Deo concessam docet. At eade Regno aperte loquuntur. Nam David, qui Christi typus fuit, explicat in iis verbis decretum Dei, quo Rex, post diuturnum exilium, reipsa fuit constitutus, & in solio regio collocatus. Quemadmodum Psalmus inspectus quemvis docebit. Unde ea Paulus Christo è mortuis resuscitato demum ait impleta Actor. 13. 32, 33. Nam tum demum Deus secundum promissa sua Regem dedit populo suo, & Jesum constituit Dominum & Christum, seu quod idem est, filium Dei in potentia, Confer inter se Matth. 16. 16. Luc. 9. 20. Marc. 8. 29. 1 Joh. 5. 1. & 5. Joh. 1. 42. 50. vi. 69; xx. 31. Actor. 2. 36. Rom. 1. 4. Et idem hic D. scriptor ad Hebr. cap. 1. 5. ex istis verbis demonstrat præstantiam Christi supra Angelos, quam, ad dextram maiestatis in excelsis collocatus, est adeptus. Quod si Sacerdotium Christi à Regia dignitate prorsus est distinctum, & Christus reipsa sacerdos fuit cum in cruce pateretur, imo tunc proprie sacerdotii munere functus est, in cælo improprie, quomodo hæc verba, quæ de Regia supremaque dignitate Christi loquuntur, ad sacerdotium Christi accommodantur, quod tum revera fuerit peractum, cum Christus se maxime humiliavit, & minor apparuit Angelis Philip. 2. 8. Hebr. 2. 8. ? Distinctio autem inter Regium & Sacerdotale munus primum in eo cernitur, quod Regium munus latius se porrigit, quam Sacerdotium; unde illius etiam crebrior fit mentio. Regis enim est etiam punire; Sacerdotis vero tantum peccata populi expiare. Deinde cum Christum Regem appellamus, eo ipso, nisi quid addamus aliud, non exprimimus, eum hanc potestatem aliunde accepisse, &, quicquid beneficii ab ipso ut Rege nostro proficiscitur, id totum Deo, qui hanc ei potestatem largitus fuerit, adscribendum esse. Regium enim munus & nomen, per se nil tale indicat, cum Deus etiam Rex sit & dicatur Matth. 5. 35. 1 Timoth. 6. 15. At cum Christum Sacerdotem vocamus, ei oblationem & interpellationem tribuimus, eo ipso indicamus, peccatorum nostrorum remissionem non ab ipso ut prima causa, sed à Deo proficisci, & eum potestatem peccata nostra remittendi à seipso non habere, nec esse supremum omnium rerum Rectorem. Quomodo enim offerret & inter-

pellaret apud alium, & sacerdotis munere fungetur, ad remissionem nobis parandam? Quare dum Sacerdotis nomine insignitur, à Deo altissimo, cui alias potestate æqualis est, aperte distinguitur, & Dei præ ipso prærogativa atque eminentia indicatur, quæ facile ob tantam Christi præstantiam ac gloriam, qua ipsum Deus auxit obscurari posset, & sic Deo gloria, illa quam in Christo exaltando quæsit eripi. Accedit quod, cum Christus Sacerdos dicitur, & quidem talis, qui seipsum obtulerit, & mors ipsius, sine qua offerre se non potuit, apertius includitur, quam Regni mentio nullo pacto complectitur; & cura ipsius admodum tenera & sollicita, quam pro nobis gerit, & qua expiationem peccatorum nostrorum perficit, magisquam Regii muneris mentione indicatur. Unde non parum consolationis ex divina Christi potestate nobis accedit, quæ alias magnitudine ac sublimitate sua vilitatem nostram abstergere potuisset, quominus tanta cum animi fiducia ad ipsum confugere, & opem ab ipso expectare auderemus. Quare hæc quoque fuit causa hujus appellationis Christo tribuendæ; ut omittam multas similitudines, quæ Christo cum Sacerdote Legali, & Melchisedeco, qui itidem sacerdos fuit Dei altissimi, intercedunt, quæ huic appellationi ansam dederunt; quibus etiam addenda est similitudo multiplex cum ipsis victimis legalibus. Quod verò Grotius putat, se causam nostram premere, quod Scriptura dignitatem Pontificiam non figurate dictam, sed maxime veram Christo tribuat: si hoc vult, Scripturam vocem Sacerdotis aut Pontificis proprie de Christo usurpare, nec ullum huic appellationi Christo tributæ subesse tropum, fallitur, ut ex dictis constare potest: si vero hoc tantum vult, dignitatem, quæ huic muneri subest, esse maxime veram non figuratam, non animadvertit, nos quoque, licet in voce Pontificis seu Sacerdotis figuram agnoscamus, ipsam tamen dignitatem, quæ huic muneri subest, maxime veram & perfectam, imo longe majorem, quam ipse agnoscit, Christo asserere, adeoque nihil de dignitate ipsius vera imminuere. Nam improprietas illa, quam nos appellationi huic, quatenus ad Christum refertur, subesse credimus, muneris hujus dignitatem auget, & nisi agnoscat, non modo Pontificii, sed & Regii muneris præstantia minuitur ac convellitur. Pontifex enim proprie dictus potestatem remittendi peccata non habet, nec liberationem à pœna illis, pro quibus offert, ipse confert, sed eam à numine, quamquam jam antea decretam, oblatione tantum impetrat, & nihil aliud agit, quam ut eam conditionem impleat, sine qua remissio à numine non proficisceretur. At Christus potestatem plenissimam habet nobis peccata condonandi, nec eam remissionem à numine demum impetrat, sed ipse eam nobis Dei nomine ut Rex confert. Hoc qui non agnoscit, is Christum dignitate Regia, quantum in se est, spoliatur, & Christum esse negat. Quare statuendum est, quemadmodum vocabula plurima ab hominibus rebusque humanis ad Deum resque divinas translata, præstantius ac divinus quippiam denotare solent, quam cum de hominibus humanisve rebus usurpantur, licet de his proprie, de illis improprie dicantur: ita etiam nomen Pontificis ad Christum Dominum nostrum

cœlestem ac divinum translatum, in ipso præstantius quippiam ac divinius denotare, quam in illis; adeo ut, quantum divina humanis, cœlestia terrenis, tantum Sacerdotium Christi illorum sacerdotio præstet, licet istud figurate, hoc proprie sic appelletur. Nihil vero prohibet hæc improprietas, quominus sacerdotium Christi Levitico opponatur. Nam supra * quoque, cum de *ἀντρεω* egimus cap. 8. vidimus impropria propriis opponi, tanquam perfectiora & præstantiora imperfectioribus aut minus præstantibus. Et ne ab hac nostra materia longius abire videamur, aspersio sanguinis Christi opponitur aspersioni sanguinis, quo antiquum fœdus fuit sancitum; purificatio cœlestium, purificationi tabernaculi terreni: Pascha nostrum Paschati Judaico: azyma azymis: circumcisio circumcisioni: templum templo. Sunt quidem hæ species ejusdem generis, verum non synonymi, sed analogi, quod æquivocum secundum quid vocant. Christi enim munus, quod in cœlis peragit, nomen hoc sortitur ob convenientiam in multis, & quidem maximi momenti rebus, quæ ad sacerdotium proprie dictum constituendum pertinent. Quominus in omnibus cum proprie dicto sacerdotio conveniret, præstantia sive perfectio, ut diximus, effecit. Satius autem est proprietatem perfectioni cedere, quam hanc illi. Recte vero argumentatus est Divinus scriptor ad Hebr. dum ex eo, quod Christus sit Sacerdos, conclusit, necesse esse ut habeat quod offerat: non, ut Grotius loquitur, *necesse fuisse, ut haberet, quod offerret*, quasi de re præterita loquatur Auctor. Sacerdos enim omnis, sive proprie sive improprie ita dicatur, propter oblationem ita dicitur, quæ ipsa oblatio nunc propria est, nunc impropria, & recte quispiam concluderet, etiam nos habere quod offeramus Deo, cum sacerdotes simus, licet non nisi improprie hoc nomen nobis conveniat, quemadmodum & oblatio impropria est, 1 Petr. 2. 5. Rom. 12. 1. Hebr. 13. 15.

Subjungit Grotius Partic. 57: *Sed profecto minime mirum est, si qui Christo gloriam naturalem, hoc est veri nominis Deitatem, sustulerunt, iidem & officia ipsius imminuunt, & beneficia ipsius præcipua recusant agnoscere.*

Quid per gloriam Christi naturalem intelligat Grotius, obscurius aliquanto explicuit, dum eam per veri nominis Deitatem descripsit. Arbitror tamen, eum Deitatem proprie dictam intelligi voluisse. Quod si ita est, nos nequaquam ii censendi sumus, qui hanc Christo gloriam sustulerimus. Deitatem enim proprie dictam Christo asserimus, eamque corde credimus, ore confitemur. Nam Dei aut Deitatis nomen, si propriam ipsius vim in Sacris Literis spectes, potentiam eximiam & imperium sublime significat: quod quanto majus est atque eminentius, tanto magis ei hoc nomen competit. Hinc Dii in Sacris Literis dicuntur, quibuscunque Deus potentiam eximiam aut imperium in alios concessit, ut Angeli Psalm. 8. 6. xcvi 1. 9. & Magistratus Exod. 15. 11. xxi. 6. xxii. 26. Psalm. 82. 1, 6. Johan. 10. 34. Deuter. 10. 17. Psalm. 50. 1: quibus quia ipse cum summo imperio præest, iisque moderatur omnibus, ideo Deus Deorum dicitur. Dei ergo nomen sua na-

tura appellativum est, & multis commune: *καὶ ἐξ ὧν* tamen seu per excellentiam uni illi summo rerum auctori singulariter tribuitur: tum quia ipsius imperium simpliciter summum est, ac potentia infinita: tum quia solus à seipso imperium illud ac virtutem habet: cæteri omnes ab ipso. Post Deum autem summum, Christus in imperio summus est. Christo enim omnis potestas in cœlo & in terra data est Matth. 28. 18, omniaque illi sunt subjecta, eo tantum excepto, qui ipsi subjecit omnia 1 Cor. 15. 27. Psalm. 8. Hebr. 2. 8. Nam ut ait Apostolus Ephes. 1. 20. & seqq. Deus illum collocavit in dextra sua in cœlestibus, sublimius omni principatu & potestate & virtute & dominatu, & omni nomine, quod nominatur non tantum in hoc seculo, sed etiam in futuro: & omnia subjecit sub pedes ejus, & ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ, & alibi Philip. 2. 9. & seqq. Deus eum in summam sublimitatem extulit, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium terrestrium & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus sit Jesus Christus ad gloriam Dei Patris. Adeo autem sublime hoc est imperium, ut Paulus dicat 1 Corinth. 15. 28, olim demum, cum omnia filio subjecta fuerint, ipsum quoque filium subjectum iri ei, qui ipsi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus, quam ob causam ad dextram Dei sedere dicitur: qua de re nunc non est fufius differendi locus. Itaque ut ipsum Dominum Jesum argumentantem aliquo modo imitemur Johan. 10. v. 34, 35. Si Deus ipsemet eos appellavit Deos, qui exiguum, præsertim si comparate loquamur, & multis modis à Deo circumscriptum, ad breve tempus in terris habuerunt imperium; an non multo magis Christus dicendus est Deus, qui super omnes Deos, qui in cœlo sunt & in terra, solo altissimo excepto, erectus est 1 Corinth. 8. 5, 6. d. l. 1 Cor. 15. Ephes. 1. Phil. 2. 1 Petr. 3. 22, qui Angelorum est Dominus & caput Coloss. 1. 10. Apoc. 1. 5. Princeps regum terræ, Rex, inquam, regum ac Dominus dominorum, Apoc. 19. 16, cujus regnum æternum est Daniel. 7. 14. Luc. 1. 32, 33. Psalm. 45. 7. Hebr. 1. 8, qui non in corpora tantum hominum, sed & in animas potestatem habet, qui non vivis tantum, sed & mortuis imperat Rom. 14. 9, cui ipsa inferni claustra parere coguntur Apoc. 1. 18. in cujus manu est, quicquid ab ipso Deo expectamus bonorum, ipsaque adeo beata immortalitas Johan. 3. 35. Ephes. 1. 22, 23. Johan. 17. 2. Nonne dicendus est super omnia Deus benedicendus in secula. Rom. 9. 5. Certe quemadmodum Deus ille altissimus simpliciter Deus Deorum est, atque adeo etiam ipsius Christi Deus Johan. 20. 17. Ephes. 1. 17. Psalm. 45. 8. Hebr. 1. 9. Apoc. 3. 12, & caput 1 Corinth. 11. 3, quemadmodum eum Scriptura apertissime nominat: ita Christus cæterorum omnium respectu Deus Deorum merito dici potest. Quod si Grotius per veri nominis Deitatem, & per naturalem Christi gloriam, intellexit substantiam seu essentiam divinam, ab humana ipsius natura distinctam, quæ ut ipsa à nemine prorsus dependet, ita nec ejus, quam habet, potentia atque imperium; hanc nos Christo non sustulimus, sed ei falso, contra Sacrarum Lite-

rarum testimonia, cum divinæ gloriæ, & spei nostræ Philip. 2. 11. Johan. 13. 31, 32. XIV. 13. xxvi. 1. 1 Petr. 1. 21, quam utramque Deus in Christo exaltando quæsit, detrimento attributam esse docuimus ac docemus. Recte autem nos id facere, tum ex iis, quæ paulo ante de vera Christi Deitate diximus, tum ex hac de Sacerdotio Christi disputatione patet, etiam si Grotii hac de re sententia recipiatur. Nam si Christus Deitatem illam in se habet, quæ prorsus est independens, adeoque ipse Deus est altissimus, qui à nemine quicquam accepit unquam, à nemine quicquam impetrat: quæ Sacerdos est, quæ pro nobis interpellare, & à Deo remissionem quodammodo impetrare dici potest? Nam siue id figurate dictum esse nobiscum velis, siue cum Grotio & aliis proprie; apparet Christum à seipso, seu potestate ac virtute sibi prorsus naturali & aliunde non accepta, remissionem peccatorum nobis haud conferre. Alias hujusmodi loquendi modi ei nequaquam accommodari possent. Nec est quod ad naturarum distinctionem confugas. Nam præterquam quod officia, quale est sacerdotium, & officiorum istorum functiones, non nisi personæ primo competant; cum Christus Patri, distinctæ à se personæ, offerat, apud eum interpellare, & pro nobis comparere, atque ut Grotius vult, precibus veris remissionem etiamnum ab ipso nobis impetrare dicatur, apparet, eum essentia illa divina, quæ ex se ista omnia præstet, carere. Cur enim ab alia persona petere diceretur, quod à seipso haberet, ac per naturam suam divinam efficere pro arbitrio ac liberrima voluntate semper potuisset? Præterea si Christus, & una cum illo Spiritus Sanctus, est unus cum Patre Deus, ut in ultimis verbis indicat Grotius: qui sit, quod Pater solus, ut Grotius vult, placetur, filius eum placet; Patri soli satisfiat, filius satisfaciatur; Patri soli victima offeratur, filius offerat? An filius & Spiritus Sanctus, licet unus cum Patre Deus, non fuerunt æque ac Pater peccatis nostris offensi, ac nobis irati? Non æque voluerunt exemplum aliquod severitatis statui, & satisfactionem sibi præstari? aut Pater solus, cum iratus esset, erat placandus, non item filius & Spiritus Sanctus? illi soli satisfactio erat præstanda, non etiam duabus reliquis ejusdem Deitatis personis? Non erant illi quoque Rectores hujus universi, atque adeo etiam humani generis, qui ordinem communem ac publicum bonum curarent, & jus puniendi haberent? Certe si quis totum Grotii librum percurrat, deprehendet, ipsum nusquam considerare Filium & Spiritum Sanctum ut Rectores summos, & eas illis partes in hoc negotio tribuere, quas Patri tribuit: sed Patrem solum, præeuntibus hac in re Sacris Literis, considerare ut Rectorem summum, filium tanquam eum, qui Rectori huic supremo victimam obtulerit, & ut ipse arbitratur, satisfecerit: Spiritus Sancti ne mentionem quidem ea in re facere: quemadmodum nec Sacris Literæ ejus in hoc negotio meminerunt, quasi ejus quoque peculiare aliquæ in eo fuerint partes. Quare istiusmodi de Deitate Christi sententia, quam una cum aliis defendere videtur Grotius, haudquaquam potest consistere. Ob nostram autem de ea sententiam, tantum abest, ut ullum

ipsius officium imminuamus, aut beneficia ipsius præcipua agnoscere recusemus, quemadmodum Grotius nobis objicit, ut potius ea plurimum juvemur in cognoscendis ipsius officiis & beneficiis, atque in tota salutis nostræ ratione penitus perspicenda. Hæc est, quæ spem & fiduciam nostram, quam in Deo per ipsum collocamus, fulcit, & nos Deo, qui cum nobis dedit vitæ ducem, qui una nobiscum ex ipso profectus est, qui nos fratres suos vocare non erubescit Hebr. 2. 10. & seqq. omnesque nostras misérias expertus est, maxime devincit. Nullum est beneficium ad salutem nostram ullo modo pertinens, quod per ipsum à Deo in nos proficisci non agnoscamus. Est enim, ut Paulus ait, *unus ille Dominus per quem omnia* 1 Cor. 8. 6. At vero Grotius, dum Christo homini alienam tribuit gloriam ac deitatem, propriam interim, h. e. à Deo ipsi donatam, tenebris involvit: & dum eum adhuc veras preces pro nobis ad Deum subinde vult fundere, divinam illam potestatem ac regnum cœleste, quod ad Dei dextram collocatus accepit, evertit, & si vim sententiæ hujus spectes, (de animo enim ac consilio ipsius aliter sentio) Jesum esse negat Christum: Deo illi uni, quem Paulus Patrem esse diserte ait d. l. 1 Cor. 8. 6. Ephes. 4. 6, prærogativam adimit, dum Deitatem eam, quæ ipsi plane propria est, cum Christo communicat: gloriam, quam is quæsit in Christi resurrectione & exaltatione, in qua excellentem magnitudinem potentiæ suæ, & efficaciam roboris virium suarum exseruisse dicitur Ephes. 1. 19, 20. tollit; & singulare, quod ea in re nobis præstitit, beneficium, ac spei nostræ fulcrum subvertit. Nec sane nobis, quod Christi dignitatem imminuamus, aut beneficia ejus non agnoscamus, à qua re longissime absumus, debebat objicere Grotius, qui, ut cap. 2. & 6. inprimis vidimus, in hac disputatione mirum in modum in Deum est injurius, dum ei jus pœnam peccatorum nostrorum exigendi proprium seu dominicum eripit, & sic de proprio jure in remissione peccatorum eum non cessasse statuit, atque adhuc compensationem pro peccatis nostris veram exegisse contendit: id quod remissionem peccatorum, beneficium Dei omnium maximum ac plane infinitum, penitus tollit. Quapropter amice eum moneamus, ut re melius expensa, & veritate, ut de ipsius candore nobis persuademus, agnita, ingenium, eruditionem, industriamque suam, quam imprudens ad illam oppugnandam hoc potissimum libro contulit, ad eandem defendendam ac vindicandam convertat, redditurus alioqui rationem ei, qui secundum uniuscujusque opera judicaturus est.

Concludit tandem Grotius Partic. 75, gratiarum actione: Tibi, inquit, Domine Jesu &c. *Cum Patre & Spiritu, uno tecum Deo*, sit honos & gloria.

At proferat vel unum divinum hominem, Apostolum, Prophetam, qui eo modo de uno illo Deo loquutus fuerit, ut ipse hic loqui ausus est; quique Spiritui Sancto laudem & honorem una cum Patre ac Filio reddiderit. Nos vero sic Deum & Christum gratiarum actione celebramus, ac honore afficimus, quemadmodum in Sacris Literis factum cernimus:

Sedenti in throno, & Agno, qui occisus est, & emit nos Deo in sanguine suo, & fecit nos Deo nostro reges & sacerdotes, sit benedictio, & honor, & gloria, & robur in secula seculorum. Apoc. 5. 2. ib. 9. Amen.

JOHANNEM CRELLIUM

EPISTOLA:

In qua gratias ipsi agit pro Responso ad suum librum.

Libro Tuo, quo ad eum, quem ego quondam scripseram, Eruditissime Crelli, respondi, adeo offensus non fui, ut etiam gratias Tibi tunc intra animum meum egerim, nunc autem & hisce agam literis. Primum, quod non tantum humane, sed & officiose valde mecum egeris; ita ut queri nihil possim, nisi quod in me prædicando modum interdum excedis. Deinde vero, quod multa me docueris, partim jucunda scitu, partim utilia, meque exemplo Tuo excitaveris, ad penitius expendendum sensus Sacrorum Librorum. Bene autem in Epistola Tua, quæ mihi longe gratissima advenit, de me judicas: Non esse me eorum in numero, qui ob sententias salva pietate dissidentes alieno à quoquam sim animo, aut boni alicujus amicitiam repudiem. Etiam in Libro de Vera Religione, quem jam percurri, relecturus & posthac, multa invenio, summo cum judicio observata. Illud vero seculo gratulor, repertos homines, qui neutiquam in controversiis subtilibus tantum ponant, quantum in vera vitæ emendatione & quotidiano ad sanctitatem profectu. Utinam & mea scripta aliquid ad hoc studium in hominum animis excitandum inflammandumque conferre possint! tunc enim non frustra me vixisse hætenus existimarem. Liber de Veritate Religionis Christianæ magis ut nobis esset solatio, quam ut aliis documento, scriptus, non video, quid post tot aliorum labores utilitatis adferre possit, nisi ipsa forte brevitatem. Si quid tamen in eo est, quod Tibi Tuique similibus placeat, id mihi supra spem eveniet. Libris de Jure Belli ac Pacis, id præcipue propositum habui, ut feritatem illam non Christianis tantum, sed & hominibus indignam, ad bella pro libitu suscipienda, pro libitu gerenda, quam gliscere tot populorum malo quotidie video, quantum in me esset, sedarem. Gaudeo ad Principum quorundam manus hos libros venisse, qui utinam partem eorum meliorem in animum suum admitterent. Nullus enim mihi ex eo labore fructus suavior posset contingere. Te vero quod attinet credas rogo, si quid unquam facere possim, Tui aut Tuorum, quos singulariter amas, causa, experturum Te, quanti Te Tuo merito faciam. Nunc cum aliud possim nihil, Dominum Iesum supplice animo veneror, ut Tibi aliisque pietatem promoventibus propitius adsit.

Tui nominis Studiosissimus

HUGO GROTIUS.

Parisiis X. Maji.
Anno 1631.

EPI

EPISTOLA GROTII

A D

C R E L L I U M.

TAm pro Epistola, Vir Clarissime, quam pro transmissio libro, gratias ago maximas. Constitui & legere & relegere diligenter, quæcunque à te proficiscuntur, expertus, quocum fructu id antehac fecerim. Eo ipso tempore, quo literas tuas accepi, versabar in lectione tuæ interpretationis in Epistolam ad Galatas. Quantum judicare possum, & Scripti occasionem, & propositum, & totam seriem dictionis, ut magna cum cura indagasti, ita feliciter admodum es affecutus. Quare Deum precor, ut & Tibi & tui similibus vitam det, & quæ alia ad istiusmodi labores necessaria. Mihi ad juvandam communem Christianismi causam, utinam tam adessent vires, quam promptus est animus. Quippe me à prima ætate per varia disciplinarum genera jactatum, nulla res magis oblectavit, quam rerum Sacrarum meditatio. Id in rebus prosperis moderamen, id in adversis solatium sensi. Pacis consilia & amavi semper, & amo nunc quoque, eoque doleo, cum video tam pertinacibus iris committi inter se eos, qui Christi se esse dicunt, si recte rem putamus, quantillis de causis! De illo ad Timotheum loco cogitavi sæpe, ac plane tecum sentio, verba non esse talia, quæ nullo modo sensum ferre possint, quem secutæ sunt complures Ecclesiæ jam temporibus Clementis & Tertulliani, ne Episcopus fieret aut Diaconus, qui secundas quoquo modo nuptias fecisset. Et recte adducis locum, ubi similis est locutio, *γενεῖα ἐνὸς ἀνδρὸς καὶ μιᾶς*. Neque verum est, ad τὰ πρὸς π enuntianda semper requiri, ut hoc ipso tempore maneat illa *ἁπλῆς*: sæpe satis est, ut locutio talis locum habeat, rem aliquando ita se habuisse. Quin & diversa tempora sub unius nominis appellationem veniunt, sic Felicem Suetonius vocat trium reginarum maritum. Certe Græci, sui sermonis non ineruditi, ita verba accepere. Ecce Chrysostomum:

Desunt verba Chrysostomi.

Quanquam non nego, cur eos, quos digamos vocabant, arcerent Episcopatu sive Presbyterio, non fuisse unicam, verba illa Pauli, ita, ut dixi, accepta, causam, sed & æmulationem τῶν ἑξω. Romano Pontifici Maximo non licuisse iterare matrimonium asseverat Tertullianus de Monogamia, & ad Uxorem, & Exhortatione Castitatis, & Præscriptionibus adversus hæreticos: quod ipsum de Flamini Diali alii prodiderunt. Jam vero erant ejus animi illorum temporum Christiani, ut nulla in re, quæ modo aliquam haberet honesti speciem extraneis quicquam vellent concedere.

Erant

Erant autem secundæ nuptiæ, quanquam in fœminis magis culpatae, tamen ne in viris quidem laudatæ, præsertim si liberi exstarent: ita ut Clementis Alexandrini iudicio, is qui mortua uxore alteram ducat, non peccet quidem in fœdus, sed tamen minus impleat *τιὸ κατ' ἑπιτάσιον τελειότητα*. Cæterum cum ea, quæ à Diacono, tantoque magis ab Episcopo five Presbytero exigit Apostolus, talia ferme sint, quæ à Christianis omnibus exigantur, propior sum Theodoreti sententiæ, quæ hoc spectatum putat, ne ad tales functiones eligerentur, nisi qui retro ab ipso baptismi tempore omni probro ac culpa vacassent, neque ullo factò Ecclesiæ animadversionem incurrissent. Voces autem Mulieris & Viri hic sumi, ut sexum primario, non conjugium denotent; ut sensus sit, talem virum Ecclesiæ præfici debere, qui una contentus fœmina fuerit, id est, qui uxori suæ semper concors fidusque vixerit, neque eam læsit aut pellicis aut vago amore: quod apud Græcos nimium fuisse frequens, etiam Comediæ de Græco in Latinum versæ testantur, & quidem dissimulantibus id publicis legibus. Obstare videbitur, quod in vidua allegenda requirit Apostolus, ut unius viri fuerit mulier: nam is locus cum illo de viris ob locutionis similitudinem comparandus videtur; mulieri autem neque duos simul maritos habere permissum fuit, neque ad earum adulteria leges connivebant. Vera hæc sunt, sed notandum est, mulieribus Græcis & Ephesinis per leges licuisse à maritis divortium facere, & sic quoties vellet, mutare matrimonium: quod non modo cum Christi edicto pugnat, sed licentiam, qualis tunc vigeat, inspicientibus, non procul aberrat ab adulterii specie. De Romanis mulieribus Seneca: Illustres quædam ac nobiles fœminæ non Consulum numero, sed maritorum annos suos computant, & exeunt matrimonii causa, nubunt repudii. Juvenalis:

————— *sic fiunt octo mariti*
Quinque per autumnos. —————

Martialis non illepide:

————— *toties quæ nubit, adultera lege est:*
Offendor mæcha simpliciore minus.

Unius ergo viri fœmina ea dicitur, quæ viro, dum is vixit, fida fuit, neque cum divortio mutavit. Hæc sunt quæ mihi de isto loco hoc quidem tempore videntur: quibus si quid habes rectius, id rogo mihi benignus impertias; atque ita de me credas, mihi nihil fore gratius, quam si qua in re gratum quid tibi facere possim: Deus tuis laboribus propitias adsit. xx. Junii. cId Idc xxxii.

Tui studiosissimus

HUGO GROTIUS.

SATISFACTIONE
CHRISTI*Adversus FAUSTUM SOCINUM Senensem:*

Scripta ab HUGONE GROTIIO.

VERITATIS EUANGELICÆ

STUDIO S. I. S.

Gratiam & pacem à Domino.

Cum in plurimis doctrinam Catholicam Socinus sibi deferendam putarit, tum majori cum periculo nusquam ab ea recessit, quam in illis, quæ ad gloriam Christi pertinent, sive naturam alteram, eamque nobilio-rem, sive beneficia summa abnegando. Est enim Christus natura Deus, ante omnia secula: sed in seculo anima rationalis & caro accessit in unitatem personæ. Beneficia ejus partim in iis consistunt, quæ vita & morte semel acquisivit nobis: partim quæ quotidie confert. Acquisivit jus duplex: ad effugiendam pœnam, & ad præmium consequendum. Confert vero non hæc ipsa duntaxat, quæ justificationis & glorificationis nomine designantur, sed fidem insuper, absque qua Deo placere non possumus: & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Neque hæc operatur exteriori solum doctrinæ cœlestis revelatione, & perfectissimo vitæ exemplo: sed vel imprimis internæ gratiæ suæ donis, quibus in solidum, quicquid nobis salutaris boni inest, debetur. Ex his dogma æternæ Christi Deitatis adversans, in Paulo Samosateno damnavit Sancta & ab Apostolicis uberibus satis recens Ecclesia: ejusdem mali reliquias in Ario & Nestorio posterior ætas vidit & debellavit. Ad fidem sanctitatemque inchoandam, promovendam, consummandam necessaria esse interna ac gratuita Christi dona, humanarum virium prædicator Pelagius negavit: multisque scripturarum testimoniis per Synodorum judicia & Episcopalia scripta convictus fuit. Supersunt errores, quibus acquisiti juris beneficia evertuntur. Hi sincera quidem veritatis confessione ab omnibus retro seculis damnati fuere, non tamen ad eos refutandos diligentiam parem contulit quisquam, quia nec qui propugnando hanc sibi propriam causam faceret, ullus erat. Quamquam nec modica in istis tum Samosateniani, tum Pelagiani erroris fibra apparet. Nam actiones & perpeffiones Christi minoris æstimet necesse est, quisquis illum, non quantus est, agnoscit: & vicissim, qui factis humanis nimium ponit pretium, facile adducetur, ut sibi Mediatore haud opus putet. Istos igitur errores vetustati minus notos, cum Socinus fecerit suos, pro parte minus tractata par est majore studio laborari. Quod fieri quotidie videmus à Theologis pro Ecclesiæ doctrina, undique in aciem dimicationemque venientibus. Cum vero duo nobis peperisse Christum dixerimus, impunitatem & præmium, illud satisfactioni, hoc merito Christi distincte tribuit Vetus Ecclesia. Satisfactio consistit in peccatorum translatione: meritum in perfectissima obedientiæ pro nobis præstitæ imputatione. Utrumque horum vehementi cum studio impugnavit Socinus: sed in priori fundamenta causæ suæ in quibusdam juris quasi principiis collocavit. Vidit hoc V. Cl. HUGO GROTIUS,

Civitatis Roterodamensis Syndicus, & in Collegio delegatorum ab Illustribus Hollandiæ & West-Frisiæ Ordinibus Senator. Quocirca pro suo erga Ecclesiam Dei amore, non acquiescendum sibi putavit, quin, relicta aliis Meriti quæstione, ipse eam quæ de Satisfactione est, tractandam fusciperet. Nimirum, certissimum ei erat, quam Socinus oppugnat sententiam, clarissimis Scripturarum verbis contineri: neque minus certum, Dei dona, verum scilicet juris naturalis lumen, & augustius lumen fidei, minime inter se pugnare. Itaque existimavit, facturum se rem Christiano Jurisconsulto non indignam, si ea, quæ à jure petuntur arma, Catholicæ fidei adversario extorqueret: quod facili negotio fieri posse, deprehendit. Mox alia etiam Socini ruspanti obtulere se plurima, quæ partim ad vocum interpretationem, partim ad historiam pertinerent. In quibus cum non minus aberrare Socinum vidisset, nec silentio transeunda hæc putavit. Post ista, non ita multa ejus argumenti residua jam erant. Ne igitur hiaret opus, illa etiam perpetua serie connectere animus fuit. Cæterum in his commentandis, profitemem sæpe audivimus, non tam Theologi, quam Christiani hominis officio fungi voluisse: solere in bello hastas administrare etiam illos, qui ad pugnam minus sunt idonei: talem velle æstimari laborem suum: quem interim non inutilem alii fore sperat, qui, animi plenus, justum proelium molietur. Est vero jam biennium & amplius, quod opera hæc insumpta est. Interea liber iste vel delituit domi, vel versatus est inter manus clarissimorum aliquot S. Theologiæ Professorum, doctissimorum Ecclesiæ Pastorum, aliorumque qui non eruditione minus, quam dignitate præstarent: premente foetum hunc suum auctore, spe bona, ut usui hic labor alteri esse possit, qui singula diligentius elaboraret, & huic de Satisfactione, alteram adjiceret de Merito tractationem. Nos vero, cum præstantium virorum limato & acri judicio non mediocriter probaretur hæc opera, è re & publica & Ecclesiæ esse judicavimus, ostendere eum, qui vel Princeps, vel inter primos eo consilia componit sua & composuit semper, ut ne unquam noxiæ dogmatum herbæ in Bataviæ solo pullulent & succrescant, paratissimum esse, ad eam rem symbolam quoque suam conferre. De summa rei, quam defendit, plane se persuasum esse semel retulit nobis: particulatim autem, si quid minus rectum à se dictum sit, hoc indictum se velle: piorum ac eruditorum judicia gratissimo se animo accepturum: scire non suam agi causam, sed Christi: cui grata fore se confidere, & quæ alii ex uberiori gaza contulerint, & suum ex tenui (sic ex animo loquitur) peculio quadrantem. Vale quisque Catholicæ doctrinæ faves, & nobiscum virum Amplissimum, Reip. & Ecclesiæ causa, Deo precibus tuis etiam & etiam commenda. Lugdun. Batav. in Collegio Theolog. Illust. D. D. Ordin. Holland. & West-Frif. v i i i. Kalend. Septemb. Anno Christi c l o l o c x v i i.

GER. JOANNIDES VOSSIUS,

Coll. Regens.

DEFEN-

DEFENSIO FIDEI CATHOLICÆ

DE

SATISFACTIONE CHRISTI,

ADVERSUS F. S. SENENSEM.

Scripta ab HUGONE GROTIO.

CAPUT I.

*Ostenditur controversia status & vera sententia
Scriptura verbis explicatur.*

ANtequam ad hanc disputationem veniamus, ponemus primum eam sententiam quam ex Sacris Literis depromptam imperturbata fide hactenus Christi Ecclesia defendit, ut deinde quid inter hanc & Socini placitum intersit, clare appareat: deinde eandem sententiam explicabimus alatis quibusdam Scripturæ testimoniis, quæ quia alio detorsit Socinus, obiter vera eorum interpretatio vindicabitur.

Catholica ergo sententia sic habet: Deus motus sua bonitate ut nobis insigniter beneficeret, sed obstantibus peccatis, quæ pœnam merebantur, constituit, ut Christus volens ex sua erga homines charitate, cruciatus gravissimos & mortem cruentam atque ignominiosam ferendo pœnas penderet pro peccatis nostris, ut salva divinæ justitiæ demonstratione, nos, intercedente vera fide, à pœna mortis æternæ liberaremur.

Causa efficiens rei, de qua agimus, prima est Deus. *Deus Filium suum unigenitum dedit, ut qui credit in eum non pereat.* Johan. 3. 16. *Deus proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Rom. 8. 32. *Deus impexit in Christum peccata nostra omnium.* Esaias 53. 6. *Deus Christum fecit peccatum.* 2 Corinth. 5. 21.

Causa quæ Deum movit, prior est misericordia sive φιλαδελφία. Ita Deus dilexit Mundum ut Filium daret. Joh. 3. 16. *Commendat Deus suam in nos charitatem, quod, cum peccatores adhuc essemus, Christus pro nobis est mortuus.* Rom. 5. 10.

Causa altera, quæ Deum movit, sunt peccata nostra pœnam commercientia. *Traditus est Christus propter peccata nostra.* Rom. 4. 25. Ubi est ἀγὼ cum accusativo: quæ apud Græcæ linguæ authores sacros & profanos usitatissima est nota causæ impulsivæ. Ut cum dicitur ἀγὼ ἡμῶν propter hæc venit ira Dei in filios consumaciæ. Ephes. v. 6. Quoties vero phrasus ista propter peccata perpeffionibus jungitur, diversum à causâ impulsivâ sensum non recipit. *Corripiam vos septies propter peccata vestra.* Levit. 26. 28. *Propter ista abominanda Dominus Deus ejiecit eas à conspectu suo.* Deuter. 18. 12. Et passim alibi in Sacris Literis: neque usquam aliter. Idemque plane valet phrasus altera pro peccatis, quoties & ipsa perpeffionibus adhaeret. Huc illa pertinent, *Christus mortuus est ὑπὲρ ἡμῶν.* 1 Corinth. 15. 3. *Christus semel passus est ὑπὲρ ἡμῶν.* 1 Petr. 3. 18. *Christus dedit se ὑπὲρ ἡμῶν.* Galat. 1. 4. *Christus obtulit sacrificium ὑπὲρ ἡμῶν.* Hebr. 10. v. 12. Histamen in locis Socinus lib. 2. cap. 7. finalem causam, non impulsivam vult denotari: imo quod amplius est addit lib. 3. cap. 7. & lib. 2. cap. 25. Pro dictione & Græca

ὑπὲρ nunquam impulsivam, semper autem finalem causam declarari. Posterius hoc, quo Socinus nititur, verum non esse multi loci evincunt. Nam ὑπὲρ & ὑπὲρ significare solent non minus causam impulsivam, quam causam finalem. Dicuntur Gentes laudare Deum ὑπὲρ ἰλίου Rom. 15. 9. *Gratia agantur pro nobis ὑπὲρ ἡμῶν* inquit Paulus 2 Corinth. 1. 11. *ὑπὲρ ὑμῶν* ad Eph. 1. 6. 10. & ὑπὲρ πάντων Eph. 5. 20. *Oramus ὑπὲρ Χερσῶν.* 2 Corinth. v. 21. *Magna est mea gloriatio ὑπὲρ ὑμῶν* 2 Cor. 7. 4. & 9. 2. & 12. 5. *Angustia ὑπὲρ Χερσῶν.* 2 Cor. 12. 10. *Gratias ago Deo ὑπὲρ ὑμῶν* 1 Cor. 1. 4. *Deus arguet impios πρὸς πάντων ἡμῶν ὁσέως.* Judæ 15. Sic & Latini dicunt, pro beneficiis gratias agere aut reddere, ut sæpissime Cicero. Idem dixit, ulcisci pro injuriis, pro magnitudine sceleris pœnas persolvere, supplicia pro maleficiis metuere: ut Plautus, castigare pro commerita noxia: & Terentius, pro dictis & factis ulcisci. His omnibus locis Pro causam non finalem, sed impulsivam significat. Sic & cum pro peccatis passus aut mortuus dicitur Christus, causam finalem (ut vult Socinus) intelligi res ipsa non patitur. Nam cum fini sit duplex, πρὸς & πρὸς ἑαυτὸν, ut finis cui sit Medicina est æger, finis cujus gratia est sanitas, peccato neutrum convenit. Sive enim cum Socino dicas finem esse mortis Christi ut à peccatis retrahamur, sive etiam ut consequamur remissionem peccatorum (ut omittamus hunc finem ex ipsius sententia morti non potuisse tribui nisi remotissime) neutrum indicari potest istis vocibus, propter peccata, vel, pro peccatis. Nam finis cui erit homo, finis autem cujus gratia, non peccata, sed id quod peccatis maxime pugnat, destructio peccatorum vel remissio. Quis unquam dixit pharmacum sumi propter mortem, id est mortis avergendæ causa? sed propter morbum sumi ideo dicitur, quod morbus nos eo adigat. Sequitur ergo ut impulsiva causa hic accipienda sit. Quare cum & particula ἵνα apud Hebræos causam antecedentem sive impulsivam denotet, ut Psal. 38. v. 9. & alibi sæpe, locus Esaiæ 53. 5. melius & Scripturis aliis congruentius transferri non potest quam: *Dolore afficitur ob defecções nostras: atteritur ob iniquitates nostras.* Et ille Rom. 6. 10. *Christus τῷ ἁμαρτίᾳ ὡς ὁ δεικνύων*, quid aliud denotare potest, quam, mortuus est ob peccatum?

Causa autem impulsiva cum possit esse multiplex, hoc loco meritoria accipienda est. Agitur enim de pœna, ut mox ostendemus. Peccata autem pœnæ causa sunt non aliter quam per modum meriti. Neque vero ostendi poterit voces istas, ob peccata, vel, propter peccata, præsertim ubi perpeffionibus junguntur, aliter sumi usquam in Sacris Literis quam in hoc meriti significatu. Non evincit contrarium locus ille 1 Reg. 14. 16. *Tradet Deus Israël propter peccata Jeroboami.* Nam peccata Jeroboami illo loco significant genus ipsum peccati; idololatriam scilicet, cujus populo author fuerat Jeroboamus: idque manifeste explicant sequentia, *quibus peccavit & quibus peccare fecit Israël.* Hæc enim verior est interpretatio, quam illa à Socino allata, *qui peccavit & peccare fecit* Israël.

Israëlem. Peccata ergo illa, quorum author erat Jeroboamus, imitator populus, traditionis istam pœnam merebantur: Ut jam taceam, testari Sacras Literas, merito imitatores alieni peccati pœnas dare, non tantum ob sua, verum etiam ob aliena peccata; quod tam manifestum est, ut Socinus ipse fateri cogatur cap. 7. lib. 2. & lib. 3. cap. 10. Puniri aliquem posse, dum culpæ affinem, ob peccata aliena. Locus autem Psalmi 39. 12. quem Socinus citat, manifeste contra ipsum facit: Ait enim: *In increpationibus propter iniquitatem corripuisti aliquem, & liquefieri fecisti ut tineam desiderium ejus*; hoc est: Si quem velis punire quantum meretur peccatum, profecto ei homini ipsa vita vitalis non erit. Hæc enim ratione Deum vult permoveere ad miserationem: ut alibi, *Si iniquitates observaveris* (hoc est rigide earum pœnas exegeris) *quis stabit*, aut *sustinebit*? Psal. 130. 3. Manet ergo illud inconcussum, phrasin, ob peccata, causam denotare impulsivam, & quidem meritoriam. Nam quod Socinus alicubi hoc querit effugium, ut dicat satis esse ad hujus phrasios veritatem, ut qualiscunque occasio indicetur, id primum ipsius positioni repugnat, qua dictionem *pro* dixerat nunquam ad impulsivam, semper vero ad finalem causam referri, cum occasio causæ finalis sit nullo modo: si autem causæ dici meretur, ad impulsivam referri debeat. Deinde vero talem expositionem vocum *pro peccatis*, & *propter peccata*, tum Scripturæ, tum sermonis communis usus plane repudiat. Intelligi hinc potest, quam non recte Socinus neget lib. 3. cap. 10. præter Dei & Christi voluntatem, causam antecedentem mortis Christi posse reperiri: quod plane adversatur Pauli dicto, *Si per legem justitia, ergo Christus digne est mortuus.* Galat. 11. 21. Ubi vox *digne*, Socino agnoscat lib. 2. cap. 24. significat sine causa: sed addi debuit, sine causa antecedente: quæ originaria & maxime frequens hujus vocis est significatio. Origo est à voce *digne*, quæ donum significat, hoc est, dationem talem, quæ causam juris antecedentem non habeat: unde coepit ad alia quoque transferri, in quibus antecedens causa non reperitur. Sic David Psalm. 25. 19. de inimicis suis loquens, ait, *oderunt me* *וונאו*, hoc est, cum odii causas ipsis nullas præbuerim: quod sibi applicans Christus apud Johan. 15. 25. ait, *oderunt me* *וונאו*, eodem plane significatu. Locus ipse Pauli de quo agimus aliam quam antecedentem causam intelligi non patitur. Nam quam causam Socinus comminiscitur, nimirum ut fides fieret vitam emendantibus remissionis peccatorum, hæc causæ finalis ad prædicationem & ad resurrectionem, non autem mortem pertinet. Quod cum videret Socinus, mortis nomine hic Christum intelligi voluit lib. 2. cap. 24. & prædicationem quoque ac resurrectionem includi: tum distorte, tum contra Pauli mentem. Negans enim Paulus Christum sine causa mortuum, indicat causam aliquam esse propriam, quæ ad mortem Christi pertineret. Nam alioqui potuit ob certam causam prædicasse, & ob certam causam præmio esse affectus (nam juxta Socinum huc duntaxat refertur resurrectio) & non tamen esse mortuus. Præterea mortem Christi à Paulo peculiariter iterum spici, satis ostendit id quod præcedit, *qui tradidit semetipsum pro me.* Ista enim traditio mortem ubique in Scripturis designat. Et hoc ipsum Dei gratiam vocans Paulus, negat id à se sperni aut rejici, causamque continuo reddit. Nam si per legem est justitia, Christus jam sine causa erit mortuus: ex contrario designans causam propriam, cur se tradiderit Christus mortuusque sit, hanc esse, quod nos per legem justii non essemus, sed rei pœnæ. Nostra ergo *ἀνομία* causa est antecedens mortis Christi.

Causa efficiens altera est ipse Christus & quidem volens. Pono, inquit, *Christus, animam meam.* Nemo eam tollit à me: sed ego pono eam à memetipso. Johan. 10. 18. *Christus tradidit se pro nobis, pro Ecclesia.* Gal. 11. 20. Ephes. 5. 2. & 5. 25.

Causa quæ Christum movit fuit ipsius *φιλανθρωπία*. Hoc est, inquit, *præceptum meum, ut diligatis alter alterum, sicut ego dilexi vos.* Majorem hac charitatem homo non habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis. Vos amici mei estis. Johan. 15. 13. *In fide filii Dei, qui amavit me & tradidit seipsum pro me.* Galat. 11. 20. *Qui dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Apoc. 1. 5. *Christus dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis oblationem.* Ephes. 5. 2. *Christus dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit pro ea.* Ephes. 5. 25.

Materia est tum cruciatus mortem antecedentes, tum præcipue mors ipsa. Cruciatu Esaias efficaci vocabulo *הכורה* 53. 5. & Petrus *μύλων* appellavit 1 Petr. 11. 24. Ideoque & crucis mentionem videmus fieri, ubi hoc argumentum tractatur: *Reconciliavit utrosque Deo per crucem.* Ephes. 11. 16. *Pace facta per sanguinem crucis.* Coloss. 1. 20. Neque vero cru-

ciatum nomine intelligendi sunt soli dolores corporales, sed vel imprimis illæ perpelliones animi longe gravissimæ, quas Evangelistæ vocibus *ἀνείδω*, *ἐμβαλετο*, *ἐδύμνευεν*, significant, & quas præcipue respiciens Christus à Deo se derelictum exclamat. Altera materiæ pars mors ipsa passim urgetur. Pono *animam meam.* Johan. 10. 18. *Reconciliavit nos per mortem.* Coloss. 1. 22. *Morte intercedente ad redemptionem transgressionum.* Hebr. 9. 15. Hæc mors consideratur in Sacris Literis cum duabus præcipue qualitatibus, ut cruenta & ut ignominiosa. Qualitas illa mortis cruentæ voce *sanguinis* denotatur. *Hic est sanguis Novi Fœderis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Matth. 26. 28. Luc. 22. 20. *Deum acquisivis Ecclesiam suo sanguine.* Actor. 20. 28. *Deum Christum constituit propitiatorium per fidem in sanguine ipsius.* Rom. 3. 25. *Fustificati in sanguine ipsius.* Rom. 5. 9. *Habemus redemptionem per sanguinem ipsius, peccatorum remissionem.* Ephes. 1. 7. *Qui longo eras prope facti estis in sanguine Christi: ipse enim est pax nostra.* Ephes. 11. 13. *Habemus redemptionem per sanguinem ipsius.* Coloss. 1. 14. *Pace facta per sanguinem crucis.* Coloss. 1. 20. *Non per sanguinem taurorum aut vitulorum, sed per sanguinem proprium semel intravit in sancta, reperta æterna redemptione.* Hebr. 10. 12. *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Hebr. 10. v. 22. *Accessistis ad sanguinem purificationis melius loquentem quam sanguis Abel.* Hebr. 12. 24. *Secundum purificationem sanguinis Jesu Christi.* 1 Petr. 1. 2. *Sanguis Jesu Christi mundas nos ab omni peccato.* 1 Johan. 1. 7. *Christus lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Apoc. 1. 5. Qualitas autem altera mortis ignominiosæ notatur tum ipsa *crucis* voce (ipsi enim isti supplicio inest maxima ignominia, unde dictum est: *Pertulit crucem, spreta ignominia.* Hebr. 12. 2.) tum voce *contemptus*, quam usurpat Esai. 53. 3. Notetur hic obiter non tantum locis nunc allegatis, aliisque similibus, qui de remissione peccatorum aut solum aut potissimum agunt, mentionem fieri mortis, crucis, sanguinis; sed passim profiteri Apostolos, se nihil nosse, nihil docere nisi Christum, & quidem crucifixum. 1 Corinth. 1. 23. & 11. 2. Ideoque ipsum Evangelium ab ipsis vocari sermonem crucis. 1 Corinth. 1. 12. Adde jam quod Christus sanctissimum Cœnæ suæ ritum instituit non proprie ad vitæ aut resurrectionis, sed ad mortis fusi que sanguinis memoriam. 1 Corinth. 11. 26. Quæ toties repetita manifeste ostendunt proprium aliquem ac peculiarem effectum huic morti & sanguini tribuendum. Quod Socinus facere non potest. Nam exemplum sanctimonie tota vita Christi præbuit, magis quam mors ipsa, quæ brevi momento peracta est. Confirmatio autem promissionis de vita cœlesti proprie in ipsa Christi resurrectione consistit; ad quam mors solam viæ habet rationem: ita ut huc respiciens Scriptura resurrectionis mentionem facere debuerit: non mortis: certe non toties & adjunctis notis *ἰμψάσεως*, Socinus ipse lib. 1. cap. 3. laborans ut ostendat viam salutis sanguinis effusione confirmatam, cum veram sustulisset, quam nos defendimus, nullam aliam probabilem ejus confirmationis causam substituere potuit: neque ullum verum adferre discrimen, cur id Christi solius, non etiam martyrum aliorum morti tribui debeat. Neque vero unquam explicare Socinus poterit, quomodo Christus sanguine suo fuso Deum nobis devinxerit (quod aliquo modo verum ipse concedit cap. 3. lib. 1.) si Deus ob fusionem sanguinis nihil promissit.

Forma est pœnarum pro peccatis nostris persolutio: quod destricte negat Socinus lib. 3. cap. 9. & lib. 2. cap. 4. Quare hoc ipsum breviter probabimus. Hebræi ut significant id quod Latini dicunt pœnas pendere, nullam habent phrasin magis receptam quam hanc, *ferre peccatum*: cui similis est Latinorum locutio, *luere delicta*, hoc est delictorum supplicia. *Siquis blasphemum non indicaverit, feret peccatum ipsius.* Levit. 5. 1. *Qui nuditatem sororis suæ revidet, peccatum suum fert.* Levit. 20. 17. Sic expiatoriæ victimæ dicuntur portare iniquitates offerentium. Levit. 10. 17. quia sanguis ipsarum est pro anima humana. Levit. 17. 1. Neque tantum conjunctum sed & separatim istæ voces inveniuntur sensu eodem. Sic *παύσειν τὸ πῆμα* dicitur Galat. 5. 10. *Ferre ob peccata.* Ezech. 18. 20. Et supervenire alicui peccatum, id est, pœna peccati. 2 Reg. 7. 9. Eadem plane phrasi dixit Petrus Christum peccata nostra sursum tulisse in corpore suo in lignum. 1 Petr. 11. 24. Poterat dixisse *ἤνευκε*, sed quia simul significare voluit adscensum in crucem, dixit *ἀνένευκε*, hoc est tulit sursum eundo: quod de dicta phrasi nihil imminuit, sed ei addit aliquid. Itaque Syrus transtulit: *portavit & ascendere fecit.* Socinus ut vim hujus loci enervet, primo ait *ἀνένευκε* significare *abstulit*: sed contra naturam usumque vocis.

Nam

Nam nec particula *ἀνὰ* eam patitur interpretationem, nec quisquam Græcus scriptor ita usus est ea voce. In Novo quoque Testamento nunquam occurrit eo significato: sed aut sursum ferre significat, Luc. 24. 51. aut sursum ducere, Matth. 17. 1. Marc. 9. 2. Et quia victimæ in locum superiorem, hoc est, in aram adferebantur, ideo illæ quoque dicuntur *ἀναφέρειν*. Hebr. 7. 27. Jacob. 11. 21. unde & Christus ipse dicitur se *ἀνελκύει*. Hebr. 7. 27. & nos laudis sive spiritualia sacrificia *ἀναφέρειν* dicimur. Hebr. 13. 15. & Petri 11. 24. Unum duntaxat locum citat Socinus lib. 2. cap. 6. Hebr. 9. 28. ubi vult *ἀνελκύειν ἀμαρτίας* nihil aliud esse quam auferre: sed immerito, & citra exemplum, & non id exigente loci sententia. Nam opponuntur inter se duo Christi adventus: prior quo peccata nostra tulerit, alter quo venturus sit *χρῆς ἀμαρτίας*, hoc est, non gravatus, non oneratus ullis peccatis, sed ab iis solutus & immunis. Non sunt autem ista *ἀνελκύειν*, esse *χρῆς ἀμαρτίας*, & peccata auferre, sed esse *χρῆς ἀμαρτίας* & peccatis oneratum esse. Unde apparet illo quoque ad Hebræos loco *ἀνελκύειν* esse aut sursum ferre, in crucem scilicet, ut in loco Petri (idque apposite, quia hic quoque ad sacrificia alluditur: crux autem fuit velut ara) aut simpliciter perpeti, ut apud Thucydidem *κυνδύος ἀναφέρειν*. Est ergo *ἀναφέρειν* ferre, non auferre. Quod ipse Petri contextus evincit. Agitur enim non de quovis Christi beneficio, sed de summa ejus patientia, quæ non auferendo sed ferendo ostenditur. Quod addit Socinus, cum hoc sensu, quo Christus dicatur tulisse peccata nostra, non satis recte cohærere quod sequitur, ut peccatis mortui iustitiæ vivamus, sine ulla causa dicitur. Manifeste enim indicat Petrus, Christum ita tulisse peccata nostra, ut nos simul à pœna liberaret: unde addit statim: *Ἰψιος vibice sanati estis*. Optime autem hæc cohærent: si Christus tam dura subiit, ut peccatorum veniam consequeremini, sane eam adepti per fidem, à peccatis cavere debetis in posterum. *Dedit nobis Deus ut liberati ex manu inimicorum nostrorum ipsi serviamus in omni sanctitate & iustitia*. Luc. 1. 74. *Ecce sanus factus es: ne pecces posthac*. Joh. 5. 14. *Precio empti estis. Glorificate ergo Deum in corpore vestro*. 1 Corinth. 7. 20. Nec aliud agit Paulus cap. 7. & sequentibus ad Romanos, quam ut ostendat, summis Dei & Christi beneficiis excitari nos debere ut sancte vivamus. Affinis Petri loco (imo quo proculdubio Petrus respexit, ut ex verbis quoque sequentibus, *vibice ejus sanati sumus*, apparet) est apud Esai. 53. 11. *Iustificabit servus meus, iustus multos, & iniquitates ipsorum bajulabit*. In Hebræo est *וְהָיָה חַטָּאתוֹ*. vox autem *חַטָּאתוֹ* iniquitatem significat: atque etiam iniquitatis pœnam, ut 2 Reg. 7. Vox autem *חַטָּאתוֹ* est sustinere, bajulare, quoties autem bajulare ponitur cum nomine peccati, aut iniquitatis, id in omni lingua & maxime in Hebraismo significat pœnas ferre. Nam *חַטָּאתוֹ* quidem interdum significat auferre: *חַטָּאתוֹ* autem nunquam. Diserte ergo hic dicitur Christus laturus pœnas eorum qui iustificantur. Hæc phrasin nullam aliam interpretationem recipit. Neque obstat, quod hæc portatio iniquitatis apud Prophetam videtur post mortem poni: est enim revera morte posterior, non tempore, sed ordine, ut effectus causa simul existente. Quod vero ait Socinus, hanc quoque vocem *חַטָּאתוֹ* peccato adjunctam non semper includere imputationem aliquam, sed satis esse si designet affligi quempiam occasione qualicunque facti alieni, id nullo exemplo probat: neque unquam Sacra Scriptura ita loquitur. Imo Græci etiam Latinique authores, cum ea phrasi utuntur, semper imputationem includunt. Citat firmandæ huic exceptioni Socinus Jeremiæ locum, qui sic habet: *Patres nostri peccaverunt, & non supersunt: nos vero pœnas eorum ferimus*: neque hæc patitur ullam imputationem intelligi. At quo argumento probat aliud hic significare eam phrasin, quam aliis omnibus in locis, ubi exstat? Fateri cogitur ipse Socinus, quoties filii patrum sequuntur vestigia, non propria tantum, sed & paterna peccata ipsis imputari. Est enim manifesta Dei vox Exod. 20. 5. Eos autem de quibus agit Jeremiæ, parentibus suis fuisse similes, ostendit id, quod apud Prophetam sequitur, *Vae vobis quia peccavimus*, vers. 16. Neque vero hoc alienum est ab Jeremiæ instituto. Ut enim eorum qui tum vivebant miseriam exaggeret, ait in ipsos redundare & propriorum & avitorum scelorum pœnas: eoque multo meliorem ipsorum sorte fuisse parentum sortem, qui pariter rei ante tamen exempti essent vitæ, quam ista acerbissima supplicia velut in iræ divinæ thesauro coacervata tandem simul effunderentur. Etiam si vero ambigua esset harum vocum, *ferre peccata*, in Sacris Literis significatio, tamen tum hoc Esaiæ, tum isto Petri loco certam faceret interpretationem adjuncta

mentio perpeffionum Christi & liberationis nostræ. Peccata enim ferre patiando, atque ita ut inde liberentur alii, aliud indicare non potest, quam pœnæ alienæ susceptionem. Apud eundem Esaiam vers. 6. & 7. est, *Deus coniecit sive in pegit in eum pœnam omnium nostrum. Exigitur, & ipse affligitur*. Hic nullum non lapidem movet Socinus lib. 2. cap. 5. ut sensum genuinum verbis extorqueat: novamque interpretationem comminiscitur: *Deus occurrit per ipsum (vel cum ipso) iniquitati omnium nostrum*. Sed reclamat aperte vox Hebræa *הִנֵּנִי* ejus conjugationis quæ non unicam, sed duplicem actionem significat. Quare cum *הִנֵּנִי* proprie significet occurrere, sequitur ut *הִנֵּנִי* sit fecit occurrere, & per metaphoram deprecatus est: quia deprecator preces suas quæli interponit. Deprecari hic locum non habet. Nam tum diceretur Deus pro Christo esse deprecatus: ea enim est hujus vocis sequente particula significatio. Jerem. 15. 11. Neque fecit deprecari hic convenit, tum quia sequitur *וְהָיָה*, quod est, *in illum*, cum alioqui dici debuisset, *fuit illum deprecari*, tum quia omnia, quæ proxime antecedunt & sequuntur, ad afflictionem, non ad deprecationem pertinent. Non ferunt ergo verba hæc sensum alium quam hunc: fecit Deus illi occurrere, hoc est, iniecit, incussit in illum peccatum omnium nostrum. *Exigitur peccatum* (hoc est, secundum phrasin Scripturæ pœna peccati) *& ipse affligitur*. Objicit hic nobis Socinus locum Levit. 16. 21. & 22. ubi dicuntur peccata imponi hirci expiatorio, & ipse hircus ferre peccata populi in vastam solitudinem. Arbitratur autem nihil esse manifestius, quam non posse ullo modo dici hunc hircum pœnas pro populi peccatis pertulisse: quod quo jure sibi sumat non video. Nam pœna sane generaliter sumpta etiam in bestias cadit. *Sanguinem omnium animarum vestrarum reposeam: ab omni bestia reposeam illum*. Genes. 9. 5. *Cum cornu ferierit bos aliquis virum aut mulierem ita ut moriatur, crimino lapidatur bos ille*, Exod. 21. 28. *Si quis cubuerit cum jumento, omnino morte afficietur*. *Fumentum quoque ipsum occiditote*, Levit. 20. 15. *Maledicta fuit diluvio terra propter hominem*, Genes. 8. 21. *Creatura subiecta est vanitati*, Rom. 8. 20. Nec est quod objiciat Socinus, *καταποντισμός* hunc hircum interim non solitum: ad peccatorum autem remissionem fusionem sanguinis sive mortem requiri. Nam hunc ipsum hircum de loco sublimi præcipitatum in deserto atque ita neci datum, etsi Scriptura diserte non prodit, Hebræi interpretes consentiunt: quod ut non esset, quid tamen aliud illa in vastam solitudinem abactio, quam mortem minime naturalem aut ex fame aut ex ferarum laniatibus minabatur? Notanda quoque est apud Esaiam vox *וְהָיָה*. Certissimum enim est *וְהָיָה* (Schin punctum habente in cornu sinistro) proprie significare, exigere, ut apparet 2 Reg. 23. 35. Zachar. 9. 8. Metaphorice autem sumi pro opprimere. Passivum ergo *וְהָיָה* est aut opprimitur aut exigitur. Opprimitur hic locum non habet, quia sequitur eodem commate *וְהָיָה*, & ipse affligitur: unde apparet hoc verbum referri ad aliud nomen, quam ad illud cui aptatur vox affligitur. Nullus enim erit sensus, si quis de eodem dicat: opprimitur & ipse affligitur. Restat ergo ut vox illa proprie sumatur, ut significet exigitur, & referatur ad nomen proxime antecedens, quod est peccatum. Exigere autem peccatum nihil aliud est, aut esse potest, quam exigere pœnam peccati. Cohærent ergo exactio pœnæ & Christi afflictio.

Præcesserat apud eundem Prophetam, *Castigatio pacis nostra imponitur ei, & livore ejus fit curatio nobis*. In Hebræo castigatio dicitur *וְהָיָה*, quæ vox afflictionem non qualemcunque significat, sed eam quæ pœnæ habeat rationem, sive sit *וְהָיָה*, sive *וְהָיָה* tantum, quibus vocabulis commode pœnarum genera olim distinxit Taurus Philosophus. Atque inde factum, ut qualibet *וְהָיָה* voce *וְהָיָה* per *καταποντισμός* significaretur. Cum vero *וְהָיָה* significatio in Christo locum non habeat, præsertim cum de afflictionibus agatur mortem includentibus, restat afflictionem intelligamus, quæ conjunctum habeat *וְהָיָה*. Nam ab omni culpæ respectu sepositum vocis istius Hebrææ usum non est reperire. Verum est pacis nomine apud Hebræos bonum qualecunque significari: sed hic si ex subiecta materia intelligamus bonum immunitatis, apparebit inter se optime opponi punitionem Christi & impunitatem nostram: quanquam nihil vetat pacis nomine reconciliationem intelligi, etiam nulla facta inimicitie mentione, quam præcessisse res ipsa & sequentia Prophetæ verba satis indicant. Nam nec inimicitie mentionem fecerunt Angeli, cum pacem super terram promulgarunt venturam, Luc. 11. 14. Nec Apostolus,

cum pacem nos dixit habere apud Deum. Rom. 5. 1. Sicut autem peccatum pro pœna usurpant Hebræi, ut præter cætera loca nunc allegata apparet Zachar. 14. 19. & Genes. 4. 13. ita & eum qui pœnam luit, peccatum iidem vocant, ut & Latini piaculum tum pro crimine sumunt, tum pro eo qui criminis pœnas pendit. Unde est quod hostiam piacularem pro peccato peccatum vocet Scriptura Levit. 4. 29. & 5. 6. Hanc ergo loquendi formulam sequens Esaias de Christo dixit, **וַיַּשְׁכֵּחַ דָּוִד אֶת-פֶּשַׁע אָנִשׁוֹ** posuit peccatum animam suam: hoc est, animam suam fecit peccatorum pœnæ obnoxiam. Nec aliter Paulus: *Eum, qui peccatum non noverat, Deus peccatum fecit, ut nos simus Dei iustitia in ipso*, 2 Corinth. 5. 21. Apparet apud Paulum in utroque membro adjunctum sumi pro subiecto. Socinus lib. 1. cap. 8. ut Paulini loci auctoritatem eludat, per vocem *peccatum* vult intelligi hominem pro peccatore ab hominibus habitum: primum sine exemplo. Nusquam enim vox Hebræa aut Græca sic accipitur: deinde Paulus Deo hanc actionem tribuit, quod Christum peccatum fecerit. At vero quod Christum Judæi & alii pro facinoroso & malefico habuerunt, ejus rei nullo modo author est Deus: Imo contra voce celestis, editisque miraculis hoc egit, ut omnibus testatam faceret Christi innocentiam. Deinde ista nova Socini interpretatio verbis Esaiæ, quæ similem phrasin continent, aptari nullo modo potest. Quod enim Paulo dicitur fecisse Deus, hoc Esaias Christo tribuit, quod nimirum animam suam posuerit peccatum: sive quod se peccatum fecerit. Præterea opponit Paulus peccatum & iustitiam. Nos facti sumus iustitia Dei, hoc est, nos sumus iustificati, sive à pœna divina liberati. Christus vero ut id fieret factus est peccatum, id est, pœnam divinam tulit. Notanda in iisdem Pauli verbis altera quoque ἀντίθεσις: *Eum qui peccatum non noverat*, hoc est, qui pœnam non merebatur, *Deus peccatum fecit*, hoc est, pœnas ferre voluit. Christus innocens fuit non humanæ tantum, sed & divinæ legi. Requirit ergo vis oppositionis, ut pœnas tulerit legi etiam divinæ. Præterea innocentes à malis male haberi quotidianum est: At hic eximium aliquid notat Apostolus. Hoc autem quid esse potest aliud quam quod Deus incommérito pœnam inflixerit?

Non multum dissimilis est prioribus ille Pauli ad Galatas locus 3. 13. *Christus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Scriptum est enim, Maledictus qui pendet in ligno: ut ad Gentes perveniret benedictio Abrahami in Christo Jesu*. Hic eo minus laborare nos necesse est quid voluerit Paulus, cum Christum dicit esse factum *κατάραν*, hoc est, maledictum sive exsecrationem, quando ipse semet interpretatur, & Mosen dicti sui authorem allegans ostendit per *κατάραν* se intelligere *ἐπικατάρατον*: *Ἐπικατάρατος* autem, ipso Paulo interprete, est is qui est *ὑπο κατάραν*. Exsecratio, inquit Socinus, hoc loco ipsam exsecrationis pœnam significat. Quod verum est. Nam *κατάρα* passim pœnam ex legis sanctione proficiscentem significat. 2 Petr. 11. 14. Matth. 25. 41. Et hic addita legis mentio vetat maledictum aliter accipi. Hanc autem *κατάραν*, in Christo fuisse ipsam crucem fatetur idem Socinus lib. 2. cap. 1. Crux ergo Christi pœnæ rationem habuit: & hoc est quod nos dicimus. Concedet forte Socinus crucem pœnam fuisse, quia Christo à Pilato iudice per modum pœnæ irrogata est. Sed hoc sententiæ Pauli non satisfaciet. Ut enim probet Christum factum fuisse pœnæ obnoxium, Mosen citat aperte dicentem, eos qui suspenduntur (secundum legem divinam scilicet) esse *ἐπικαταράτους τῷ Θεῷ*: quare & in Paulo, Mosen citante & ad Christum referente hæc verba, vox eadem supplenda est: quasi dixerit Christum factum *τῷ Θεῷ ἐπικαταράτον*: hoc est, pœnæ à Deo irrogatæ & quidem ignominiosissimæ obnoxium. Nam Apostoli cum passionem Christi ad usus nostros referunt, non in ea respiciunt hominum facta, sed factum ipsius Dei: ut ex multis locis ante allegatis liquet.

Contra Socin. lib. 3. cap. 7, 8, 9. His omnibus addi & illud potest mortem ipsam, hoc est, destructionem ejus personæ quam corpus & animus constituunt, quatenus à Deo infligitur, semper aliquam habere pœnæ rationem: non quod Deo jus non sit eam aliter homini infligere (est enim Dominus creaturæ) sed quod ipsius bonitati aliter visum fuerit. Ut recte intelligatur hujus peculiaris controversiæ status; non negamus hominem, cum conditus est, fuisse *καλόν*, cui adfuerit vis quædam vitalis, non autem vis vivifica, ut nos Paulus docet 1 Corinth. 15. 45. 46. ac proinde eam fuisse corporis conditionem, ut Deo non sustentante interitura fuerit: attamen ex divino decreto non fuisse eum moriturum, si in innocentia persistisset, contendimus. Evincit hoc ipsa

creaturæ istius nobilitas atque eminentia, ut quæ sola ad imaginem Dei condita dicatur, hoc est, mente liberoque arbitrio prædita, quod fundamentum est dominationis ipsius in cæteras creaturas. Non potest enim rerum aliarum esse dominus, qui suarum actionum dominus non sit. Hæc igitur excellentia supra res cæteras argumento est, plus aliquid quam temporarium usum in hominis creatione spectatum. Jam vero illa divina voce quid clarius? *Si comederis, morieris*. De actu mortis hic agitur, sive illa violenta esset futura, sive citra violentiam. Ipsum ergo mori non erat eventurum homini, nisi peccati conditio exstitisset. Non minus clarum & generale Pauli illud, *Stipendium*, id est pœna, *peccati mors*. Rom. 6. 23. Ante dixerat, *Per peccatum mors & ita in omnes homines mors pervasit*. Omnes, inquit, homines: Agit ergo de communi totius humanitatis exitu. *Per hominem* ergo id est ex facto humano *mors*, & *per hominem resurrectio mortuorum*. Sicut in Adam omnes moriuntur (quotquot moriuntur) ita & in Christo omnes vivificabuntur (quotquot vivificabuntur) 1 Cor. 15. 21, 22. Quis vel ipsa verba legens non videat hanc sententiam ad Corinthios isti ad Romanos respondere ad amussim? Agitur ergo de morte, quæ communis est Adami posteris, & ex qua resurgunt qui resurgunt. Quare & collato hoc loco cum illo ad Romanos, agi hic de Adamo peccatore dicimus. Quod enim hic dixit *Per hominem*, ibi dixit *per peccatum*. Animalis Adami conditio viginti & ultra post verbum ab Apostolo attingitur, alia plane occasione. Hic enim mors resurrectioni opponitur: ibi vero qualitates primitus creati ac deinde resuscitati corporis inter se conferuntur: quorum illud habuit cum naturali moriendi possibilitate conjunctam ex divino beneficio vivendi quoque possibilitatem: hoc vero vitam in se habebit, ut nulla ei adsit naturalis moriendi possibilitas. Omittere non possum, quin hic addam locum insignem præstantissimi scriptoris libri Sapientiæ, qui etsi in Hebræo Canone non est, venerandam tamen habet antiquitatem. & apud Christianos semper in pretio est habitus. Ita ergo ille: *ὁ Θεὸς ζῶντων ἐκ ἐπιήσεων, ἐδὲ πέριπται ἐπ' ἀπωλείας ζώντων. ἐκπσε ἢ εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα, καὶ σωθῆναι αἱ γῆρεσις ὁ κόσμος, καὶ σὺ ἐστὶν ἐν αὐταῖς φάρμακον ὁλέθρου, ἐδὲ ἀδὲ βασιλείου ἐπὶ γῆς. δικαιοσύνη δὲ ἀθανάτης ἐστὶν. ἀσεβείας δὲ ζωὴς χερσὶ καὶ βίης λόγους παρεκτρέσαντο αὐτὸν, φίλον ἡγήσασθαι αὐτὸν ἐτακῆσαν, καὶ σωθῆναι ἐβουλόμην πᾶσι αὐτὸν, ὅτι αἱ εἰς τὸ ἐκείναι μελεῖν εἶναι. 1. 13. Et mox: ὁ Θεὸς ἐκπσε τὸν ἀνθρώπον ἐπὶ ἀφθαρσίᾳ καὶ εἰς θάνατον ἰδίας ἰδιότητος ἐπέσπασεν αὐτὸν. φθὸν δὲ ἀφθαρσίας ζῶντων ἐσθλὴν εἰς τὸν κόσμον. περιέριξε δὲ αὐτὸν οἱ τὸ ἐκείναι μελεῖν ὄντες. 11. 23.* Mortem hic quam Deus dicitur non condidisse, nec velle, voluntate scilicet peccatum antecedente, qualemcunque intelligi ostendit oppositum ἀφθαρσία, in cujus ipem homo dicitur conditus, eaque spes pars fuisse divinæ imaginis, aut certe ejus consequens non obscure indicatur. *Ἀφθαρσία* autem mortem omnem sive violentam, sive non violentam excludit. Et quod Apostolus dixit, per hominem & per peccatum intrasse mortem, auctor hic non minus vere dixerat, per diaboli invidiam mortem introisse. Omnes enim istæ locutiones idem factum notant, primum scilicet hominis peccatum diabolo suggerente commissum. Nec obstat quod auctor hic specialem quendam mortis effectum circa impios notat. Mors enim ex primo peccato ingressa, & in omnes homines jus adepta, per singulorum peccata gravia & continua vim quandam peculiarem accipit, quo sensu peccatum dicitur mortis stimulus 1 Corinth. 15. 56. Itaque hi, quibus morte obita omnis ad vitam meliorem aditus præcluditur, merito foederati mortis, sive dedititii, & peculium mortis appellantur. Facillimum esset demonstratu, si id ageretur, & Judæorum veterum & Christianorum perpetuam hanc fuisse sententiam, mortem qualemcunque hominis, peccati esse pœnam: ut non immerito Christiani Imperatores hoc in Pelagio & Cælestio dogma præter cætera improbaverint, quod dicerent, mortem non ex insidiis fluxisse peccati, sed exogisse eam penitus legem immutabilis constituti.

Ut ergo quæ hæcenus dicta sunt in unum colligamus, cum dicat Scriptura Christum à Deo castigatum, hoc est, punitum esse, tulisse Christum peccata nostra, (id est pœnas peccatorum) factum esse peccatum (hoc est peccatorum pœnæ subditum,) factum esse exsecrationem apud Deum, sive exsecrationi, hoc est pœnæ legis obnoxium: ipsa autem Christi passio plena cruciatus, cruenta, ignominiosa, apertissima sit pœnæ materia: cum præterea dicat Scriptura hæc ipsi à Deo inflicta ob peccata nostra, (id est peccatis nostris ita merentibus) cum ipsa mors stipendium, hoc est, pœna pec-

na peccati dicatur: fane quin quoad Deum poenae rationem habuerit Christi passio & mors, minime est dubitandum: neque audiendae sunt Socini interpretationes à perpetuo vocationis usu citra exemplum recedentes: praesertim cum nulla obftet ratio, quo minus recepta verborum significatio retineatur, quod infra planius fiet. Est ergo punitio in Deo actiue, in Christo passive: cujus tamen passionis actio quaedam accedit voluntaria, scilicet poenalis passionis susceptio.

Finis rei de qua agitur secundum Deum & Christi intentionem, qui in actu positus, effectus etiam dici potest, duplex est: justitiæ nimirum divinæ demonstratio: & peccatorum remissio quoad nos, hoc est, impunitas nostra. Nam si sumas pœnæ exactionem impersonaliter, finis ejus est divinæ justitiæ demonstratio: si vero personaliter, h. e. cur Christus sit punitus, finis est, ut nos impunitatem consequeremur. Finis prior indicatur à Paulo cum dicit de Christo; *Quem Deus constituit placamen in sanguine ipsius ad demonstrationem justitiæ suæ: propter dissimulationem peccatorum præcedentium in tolerantia Dei.* Deinde addit verbis prope iidem repetitis: *ad demonstrationem justitiæ suæ hoc tempore, ut sit ipse justificans eum qui est ex fide Jesu,* Rom. 3. 25. 26. Hic proxime sanguini, id est cruentæ morti connectitur finis *εις ἔνδειξιν καὶ διανοούμενης αὐτῆς.* Justitiæ Dei vocabulo non ea intelligenda est justitia quam in nobis Deus operatur, aut quam nobis imputat, sed ea quæ in Deo est: sequitur enim: *ut sit ipse justus,* id est, ut justus esse appareat. Justitia hæc Dei, id est rectitudo, pro diversis objectis diversos habet effectus.

Contra Socinici cap. i. lib. i. § Dico igitur. Circa bene aut male facta creaturæ effectus ejus inter cæteros est ἀντιποδοσις. Quo respiciens Paulus dixit δικαιο: ὁ Θεὸς ἀντιποδοσέτω τοῖς θάλασσι θάλασσαν, hoc est, affligentibus affligentionem retribuere. Et alibi: Omnis transgressio & inobedientia accipit ἑνδοχὴν μισοπαποδοσίαν. Et illud, ὃν ὁ κέλεται ἑνδοχὴν εἶναι. Rom. 3. 8. Syrus transtulit, quorum condemnatio iustitie reservatur. Itaque idem est ἡμέτερος ὁργῆς & ἡμέτερος δικαιοκρυσίας, Rom. 11. 5. Et extremum judicium dicitur futurum ἐν δικαιοσύνη. Act. 17. 32. Et alibi ἐν δικαιοσύνῃ κέλεται, est severe vindicare, quod ostenditur addita voce pugnare, multoque magis iis, quæ paullo post sequuntur: Ex ore ejus prodibit gladius acutus ut percutiat Gentes: ipse enim reget eas in virga ferrea: & ipse est qui calcabit lacum vini exandescentiæ & iræ Dei omnipotentis. Apoc. 19. 11. & 15. Sic & Deus justus & judicia ejus justa dicuntur ideo quod in peccata severe animadverterit. Apoc. 16. 5. 2. Unde & Δίκη vocatur tum illa ipsa justitia Dei puniens, Act. 28. 4. tum poena per eam illata. 2 Thess. 1. 9. Judas 7. Et δικαίωμα: ὁ Θεὸς explicatur à Paulo hoc esse, quod qui mala committunt aut approbant digni sunt morte. Rom. 1. 32. His παραδύμω sunt ἐκδικῶ punitor. Rom. 13. 4. 1 Thess. 4. 6. Et ἐκδίκησις poenæ exactio Luc. 21. 22. 2 Thessal. 1. 8. 1 Petr. 11. 14. cujus vis explicatur verbo ἀντιποδοσίαν. Romanor. 12. 19. Hebr. 10. 30. Scimus justitiæ nomine, sæpe veracitatem, sæpe etiam ἐπιεικείαν significari: sed cum ea voce, ut multis jam testimoniis ostensum est, etiam illa Dei proprietates indicetur, quæ Deum movet ad peccata puniendā, & quæ in ipsa peccatorum punitione demonstratur, dicimus hanc significationem hujus esse loci propriam. Opponuntur enim diversa tempora, nempe ante Christum, & Christi tempus: priori temporī tribuitur πάρεσις peccatorum, quæ etiam explicatur voce ἀνοχῆς. Πάρεσις non remissionem, sed transmissionem significat, cui recte additur ἀνοχῆ, sustentatio, qua voce inducias etiam Græci appellant, quod per eas ad tempus inhibeat bellum. Huic transmissioni atque inhibitioni opponitur demonstratio talis justitiæ, qua Deus sit justus, id est justus appareat. Olim cum Deus pleraque peccata impunita transmitteret, non satis apparebat ipsius ὁ ἀντιποδοστικόν. Tandem ergo ostendit quam justus esset ἀντιποδοστικόν, cum filium suum voluit hoc nomine sanguinem fundere, ut placamen fieret humani generis, redimeretque omnes eos, qui unquam credidissent aut essent in Deum credituri. Ita simul conjunxit Apostolus gratiæ, id est bonitatis divinæ quæ in creaturas fertur, & justitiæ illius, quæ recti ordinis atque etiam ἀντιποδοστικῶς cultus est, apertam demonstrationem. Sane ipsa vox sanguinis, vox placaminis, atque etiam redemptionis ostendunt non de sola bonitatis testatione hic agi. Conjunxit etiam impetrationem cum applicatione: impetratio est per sanguinem, applicatio per fidem: recteque dicitur illa ipsa, de qua agimus, Dei justitia manifestari per fidem: illam nimirum, qua Christi sanguis ad Deum placandum fusus creditur: quæ fides omnem operum glorificationem, omnem in lege fiduciam penitus excludit. Finis

hic, nempe divinæ justitiæ demonstratio ex forma quoque rei de qua agimus recte colligitur. Poenæ enim finis est demonstratio justitiæ ἀνταποδοτικῆς circa peccata: item ex causa antecedente, quam supra ostendimus esse meritorium. Non potest autem alicujus actionis causa impellens esse meritoria, nisi & finis sit, ἡ ἀνταποδοτικὴ.

Finis alter, ut diximus, est nostra impunitas. Hoc significanter dixit Paulus, *δικαιωθῆντες ἐν τῇ ἀμερτίᾳ αὐτῶν, σωθησόμεθα ἀπὸ τῆ ὀργῆς*, Rom. 5. 10. Nam ὀργή, ira Dei, ut & Socinus lib. 1. cap. 1. agnoscit, significat interdum affectum (si ita loquendum est) puniendi. Johan. 3. 36. Rom. 1. 18. Sæpe vero pœnam ipsam. Mich. 7. 9. unde & ἀπωλείας, id est, exitii voce explicatur. Rom. 9. 22. Hinc lex dicitur ὀργῶν operari, hoc est, pœnam parere. Rom. 4. 15. Hinc ἐπιφέρειν ὀργῶν est punire, Rom. 3. 5. & Magistratus dicitur vindex in maleficos constitutus εἰς ὀργῶν, id est, ad pœnam infligendam. Rom. 13. 4. eique parendum non solum ἀπὸ τῶν ὀργῶν, hoc est pœnæ formidine, sed & propter conscientiam. Impunitas autem pœnæ opponitur. Pœna est mors æterna, sive detentio sub morte, cujus fatelles diabolus: qui propterea mortis habens potestatem per mortem (Christi) destructus dicitur. Hebr. 11. 14. Nam de veniæ potius impetratione hic agi, quam de peccati mortificatione, ostendit quæ sequitur mentio liberationis à mortis metu. Et Christus dicitur ἐν ῥύσῳ τοῦ ἡμῶν ἀπὸ τῆ ὀργῆς ἐξελθόντες ab ira futura. 1. Thess. 1. 10. Hæc ipsa impunitas receptissima phrasi Sacræ Scripturæ vocatur peccatorum remissio, quæ proprie mortem Christi consequitur, ut multi loci ostendunt: quales sunt hi: *Hic est sanguis meus Novi Fœderis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*. Matthæi 26. 28. *Habemus in ipso redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum*. Ephes. 1. 7. & Coloss. 1. 14. *Sme sanguinis effusione non fit remissio*. Hebr. 9. 22. Qui loci explicant illum Pauli supra citatum: *Justificat: gratis ipsius gratia per redemptionem quæ est in Christo Jesu: quem proposuit Deus pacem per fidem in sanguine ipsius, ad demonstrationem justitiæ suæ propter dissimulationem peccatorum antecedentium in tolerantia Dei, ad demonstrationem justitiæ suæ, ut sit ipse justus, & justificans eum, qui est ex fide Jesu*: ubi multis verbis idem significantibus res easdem exposuit Rom. 3. 23, 24, 25, 26. Nam sicut demonstrationem justitiæ suæ his expressit & tertio addidit, *ut sit Deus justus* (id est ut justus appareat) quæ pertinent ad finem priorem: ita alterum quoque finem tum repetita voce justificationis, tum redemptionis indicavit. Justificatio, ut notum est, passim in Sacris Literis, sed maxime in Epistolis Paulinis abolutionem significat, quæ præsupposito peccato consistit in peccatorum remissione, ipso Paulo semet clare explicante, præsertim Rom. 4. 2 & 6. Quare his locis remissionem peccatorum sanguini Jesu adscribentibus adjungendus ille, quem modo citabamus, *Justificati in sanguine ipsius*, Rom. 5. 9. Item hi, qui abluionem peccatorum sanguini aut morti tribuunt. *Sanguis Christi mundat nos ab omni peccato*, 1. Johan. 1. 7. *In purgationem sanguinis Jesu Christi*, 1. Petr. 1. 2. *Christus lavat nos à peccatis nostris in sanguine suo*, Apoc. 1. 5. Quamquam enim abluere, mundare, & voces similes significare possint aut efficere ne peccata committantur in posterum, aut commissa ne appareant. posterior tamen interpretatio Scripturæ phrasi est convenientior. Sic delere iniquitates exponitur peccatorum non recordari, Esai. 43. 25. & mundare ab iniquitate idem esse ostenditur quod condonare. Jer. 33. 8. Et ἐξαλειφθῆναι τὰς ἀμερτίας manifeste eundem habet sensum, Act. 3. 19. Planeque pro eodem sumuntur ἀφέναι τὰς ἀμερτίας peccata remittere, & καθαρίζειν ἀπὸ πάσης ἀδικίας, mundare ab omni iniquitate, 1. Johan. 1. 9. Et alibi ponuntur ut συνώκηται, τὸ καθαρίζεσθαι, id est mundari, & γίνεσθαι ἀφῆσι, remissionem contingere. Hebr. 9. 22. Quare & Socinus fateri cogitur lib. 2. cap. 17. apud Johannem Apocalypseo cap. 1. 5. ubi τὸ καθαρίζειν tribuitur sanguini, rectius liberationem à pœna quam animi emundationem intelligi. His adjungatur illud Esaiæ modo citatum: *Cusignatio pacis nostræ super eum*, id est, pœna ejus nobis pacem apud Deum parit. De qua pace agunt Angeli. Luc. 11. 14. Et illud ejusdem Esaiæ: *Livore ejus sannaas nobis*: id est, per pœnam ejus impunitas nobis. Ex his ergo testimoniis manifestum est impunitatem peccatorum nostrorum finem esse mortis Christi, atque etiam ejusdem mortis effectum.

Socinus qui hanc connexionem mortis cum remissione peccatorum nobis facta non vult agnoscere, alias adfert, mirum quam alienas à vocibus & scopo Scripturæ. Videntur autem omnes istæ, quas passim libro tuo inferfit Socin. lib. 1. cap. 2. & 3. reduci posse ad quatuor hæc capita. Primum.

est quod Christus, cum prædicasset pœnitentibus patere peccatorum remissionem, ad ei prædicationi testimonium perhibendum, mortem non recusaverit. Sed hic sensus mortem Christi magis effectum facit remissionis, quam remissionem mortis. Nam rei existentia causa est testimonii, non contra. At Scriptura dicit nos remissionem consequi per sanguinem Eph. 1. 7. Coloss. 1. 14. & sanguinem delere peccata nostra 1 Johan. 1. 7. Item sanguinis effusionem esse aliquid antecedens, sine quo non fiat remissio. Hebr. 9. 22. Deinde si vera esset hæc interpretatio, possent & Martyres dici sanguinem fuisse in remissionem peccatorum, & nos per ipsorum sanguinem consequi remissionem: cum tamen Scriptura hoc privilegium soli Christo tribuat. Accedit quod causa interfectionis Christi quoad homines non proprie fuerit prædicationis pœnitentiæ & remissionis peccatorum, sed quod Deum dixisset Patrem suum, parem se faciens Deo, Johan. 5. 18. ac proinde Deum se profiteretur. Joh. 10. 33. Quamobrem mors ejus proprie huic professioni, non prædicationi veniæ testimonium præbuit. Testatio denique de doctrina non minus, imo magis etiam per miracula Christi facta est, quam per mortem. At miraculis nusquam tribuitur effectus hic, quod per ipsa habeamus peccatorum remissionem. Secundum quod adfert Socinus lib. 1. cap. 6. est quod Christus sua morte consecutus sit jus donandæ remissionis. Sed everit hanc positionem Socinus ipse lib. 2. cap. 4. qui ostendit Christum in terris viventem hoc jus habuisse atque exercuisse. Quod autem meum est, id amplius meum fieri non potest. Ac requis existimet (quod Socinus innuit magis quam affirmat) hanc Christi potestatem ad pœnas duntaxat spectasse temporales & vitæ præsentis, notandum est, cum Christus dicitur jus habuisse remittendi in terra peccata, non illo additamento *in terra* effectum restringi, sed actionis locum *in terra* denotari: nam & Apostolis dicitur, *quæcunque solveritis in terra*: Ubi quanquam solvere est solum declarare, illud tamen *in terra* locum tantum actionis designat: sequitur enim *soluta erunt in cælo*. Illud ergo voluit Christus, sibi, quantumvis in terris agenti, jus tamen illud adeo eximium ac cœlestē competere: neque aliud miratur populus, quam jus tantum hominibus (hoc est, *ἡμεῖς ὡς ἄνθρωποι*), uni ex hominum numero) datum. Ipse etiam Christus prius peccata remittit paralytico, quam paralyticum, pœnam scilicet temporalem, tollit; aperteque jus utrumque distinguens, alterum per alterum probat, invisibile per visibile. Non est ergo Christus morte demum sua jus remittendi peccata consecutus, ac proinde huc trahi non possunt sententiæ, quæ morti ascribunt effectum remissionis peccatorum. Præterea Scriptura modum connexionis inter mortem & remissionem explicat voce placaminis, aliisque similibus, quæ ad jus donandæ veniæ aptari nequeunt. Tertium Socin. lib. 1. cap. 4. est, quod in Christi morte exemplum nobis patientiæ & obedientiæ proponitur. Sed exemplum hoc ad sanctificationem, & quæ eam sequitur gloriam æternam aliquo modo, ad remissionem vero peccatorum plane non pertinet. Christus enim sua obedientia & patientia nullam sibi veniam est consecutus, ut qui peccatum non haberet. Quare ubi Christus imitandus nobis proponitur, ut viam, quam ille ingressus est, insistentes, ad eandem metam perveniamus, nihil esset magis alienum quam remissionis peccatorum ullam mentionem facere. Et phrasēs Scripturæ, Sanguis nos mundat, Per sanguinem ipsius habemus remissionem, plane hunc sensum respuunt. Restat quantum quod maxime placuit Socino lib. 1. cap. 5. & passim. Ita ut hoc ipsum plurimis locis velut causæ suæ statumen inculcet: Est autem hoc, quod mors Christi nobis id ipsum persuadeat, quod ad remissionem peccatorum obtinendam requiritur, fidem scilicet, sive, ut Socinus ipse explicat, spem consequendæ vitæ æternæ. Sed profecto quid magis est à vero alienum, quam mortem innocentissimi hominis tam cruentam per se ad hoc valere, ut nobis persuadeat, sancte viventibus summa gaudia à Deo esse præparata? Quare hujus commenti absurditatem videns Socinus, ait mortem quidem hoc non efficere, sed resurrectionem Christi, & quæ porro resurrectionem ejus sunt consecuta. Mortem autem debuisse præcedere. Sed hoc si vellet Scriptura, resurrectionis aut potius eversionis in cœlos & sessionis ad dextram Dei perpetuo meminisset, ubi de remissione agitur peccatorum; non mortis & sanguinis, certe non tam sæpe, & verbis tam significantibus. Illa enim tam frequens, tam usitata conjunctio sanguinis cum remissione, effectum aliquem non communem, sed proprium, non longe remotum, sed propinquum indicat. Quæ enim istæ sunt ambages? Re-

missio peccatorum non contingit nisi sanctis viventibus (ita enim loquitur Socinus lib. 3. cap. 11.) ad sanctimoniam vitæ facit fides & spes certa præmii: hanc fidem ingenerat exemplum Christi ob vitæ sanctimoniam (ut vult Socinus lib. 2. cap. 2.) à mortuis excitati & glorificati: istam excitationem mors antecessit: recte ergo apteque dicitur remissio per Christi mortem obtineri. Nonne hoc vere est, quod ipse in aliis reprehendit lib. 3. cap. 8. *Utinam ne in nemore Pelio?* Pro causa enim non propinquum aliquid aut saltem modico intervallo remotum, sed quod longissime ab effecto diffitum est, adfertur: quod si uno in loco Scripturæ fieret, esset forte minus mirum. Sed toties, tam obscure, imo tam frigide loqui Scripturam, quis sanus crediderit? Multum dissimile est Pauli illud, Christum à mortuis excitatum ad nostri justificationem Rom. 4. 25. quod ut explicetur nihil opus est tam longo Socini ambitu. Resurrectio enim Christi, fidem & fiduciam in Deum & Christum nobis ingenerat; cui fidei promissa est peccatorum remissio. Et hæc series manifeste ostenditur, Actor. 13. 33. 38. Rom. 1. 4. & x. 9. Mors autem tantum abest ut apta sit fidem ingenerare, ut contra maxime homines ab ea fide absterreat. Ideoque in prædicando Evangelio Apostoli ignominia crucis & mortis miseriæ resurrectionem semper opponunt. Per mortem vero, & quam plerumque Scriptura in hoc argumento exprimit, sanguinis effusionem, quæ causa proprie non est resurrectionis sed antecedens duntaxat, ipsam resurrectionem velle indicatam, quid est aliud quam noctem nominare ut per eam intelligatur dies? Præterea si ad remissionem peccatorum mors non pertineret nisi propter resurrectionem secutam, quomodo accidere potuisset, ut remissio hæc ad resurrectionem raro admodum, ad mortem autem innumeris locis referretur? Adde jam quod morti etiam seorsim, hoc est quæ à resurrectione & gloria Christi abstrahitur, effectum impetratæ redemptionis Paulus tribuit. Ait enim: *Si cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filii ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ipsius*. Rom. 5. 10. Opponitur mors vitæ gloriose, & ut illi reconciliatio, ita huic conservatio distincte ascribitur. Reconciliatio impetratur inimicis per mortem ut actum Sacerdotalem: reconciliati custodiuntur regia virtute, ad quam aditum fecit resurrectio. Sic & alibi reconciliationem ipsa prædicatione, quæ fidem ingenerat, idem Apostolus priorem statuit. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata ipsorum: & posuit in nobis sermonem reconciliationis: itaque nomine Christi legatione fungimur, & velut Deo rogante per nos oramus Christi nomine, reconciliamini Deo*. 2 Corinth. 5. 19, 20. Duplex hic reconciliatio ponitur, prior quæ sermone annuntiatur; altera quæ fit per sermonem: illa est impetrationis: hæc applicationis: illa sermone prior: hæc sermone posterior. Nos de priore illa agimus, meritoque negamus eam referri posse ad fidei ingenerationem quæ fit per sermonem. Accedat illud Johan. 3. 16. ubi Christus dicitur, *datus* (in mortem scilicet) *ut credentes non pereant*. Ad aliud ergo prodest, quam ut credant. Et sane si libeat attendere, idem non obscure monstrat is ipse Pauli locus, qui à Socino citatur firmandæ suæ sententiæ: is nempe de quo jam egimus: *Qui traditus fuit* (in mortem scilicet) *propter peccata nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*. Cum peccata sint malum, justificatio bonum, apparet vocem *propter* in utroque membro non similiter sumi: & in posteriore quidem membro finalem causam notari convenit; in priore significari impulsivam, satis, ni fallor, supra ostendimus: plane ut si dicam pharmacum sumi propter morbum & propter sanitatem. Justificatio ergo finis est resurrectioni propositus, nempe per ingenerationem fidei, fatente Socino. Quanquam equidem nescio, an resurrectio hoc loco spectetur ut argumentum ad persuadendam fidem, an potius totum Christi statum gloriosum designet, qui hunc sibi finem propositum habet, inter cæteros, ut Evangelii præcones mittantur, & uberrima vi spiritus ipsorum opera promoveatur, eumque in modum effecta fide homines peccatorum veniam adipiscantur. Ita enim Christus ipse: *Datus est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Profecti ergo docete omnes gentes. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Matt. 28. 18, 19, 20. Antea vero, ut Johannes ait, *nondum erat Spiritus* (ea nimirum vi ac copia) *effusus*. Causa additur: *quia Jesus nondum erat ad gloriam evectus*. Johan. 7. 39. Paulus quoque de Christo: *Cum in sublime ascendisset, captivam dixit captivitatem & dedit dona hominibus: dedit alios quidem Apostolos, alios vero Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem pastores & doctores: ad compactionem sanctorum*. Ephes. 4. 8. 12. Utro au-

tem modo sumas, apparet resurrectioni, quæ à morte distinguitur, finem aliquem ascribi peculiarem. Vicissim mortis traditioni in mortem separatim ascribitur quod ob peccata contigerit. Id autem ipsum & resurrectioni nusquam ascribitur, & hoc loco eidem non obscure adimitur. Mors ergo Christi in hoc negotio & à resurrectione & à fidei ingeneratione sequestranda est: & in iis locis, quæ ex morte Christi remissionem deducunt peccatorum, distinctus quidam effectus intelligendus est, quem præ se fert ipsa verborum simplicitas, consentiens cum aliis Scripturæ vocibus, quæ Christum ob peccata nostra mortuum cruenta morte, poenæque nostrorum criminum ab ipso exactas fuisse pronunciant: de quibus jam egimus: cumque illis quæ Deum nobis per Christi sanguinem placatum ac reconciliatum, sanguinem ejus pretium fuisse pro nobis datum, Christum vice nostra mortuum, & piament fuisse nostrum non obscure testantur, de quibus infra agendi erit locus.

CAPUT II.

Quomodo in hoc negotio Deus considerandus sit: & ostenditur considerandum ut rectorem.

Intelleto controversiæ statu, & firmata Scripturis eâ sententia, qua fides Ecclesiæ nititur, ad disjiciendas objectiones, quas Socino sua ratio, aut, ut verius loquar, abusus rationis dictavit, imprimis opus est intelligi, quæ partes sive quod officium sit Dei in hac re, de qua agitur. Fatetur Socinus, agi de liberatione à poenis; nos addimus insuper agi etiam de poenarum inflictione. Unde sequitur, omnino hic Deum considerandum, ut rectorem. Nam poenas infligere, aut à poenis aliquem liberare quem punire possis, quod justificare vocat Scriptura, non est nisi rectoris qua talis primo & per se: ut puta in familia patris; in republica Regis, in universo Dei. Hoc etsi manifestum est omnibus, probari tamen facile potest ex eo quod poena sit ultimum in coactione: coactio autem non competat nisi superiori, *τῇ ἀπορροχῇ ἐξουσίᾳ*. Unde Seneca clementiam definivit lenitatem superioris adversus inferiorem in constituendis poenis. Nec obstat quod vindictio interdum privatis & nulla superiori potestate instructis tribui videtur. Nam ista vindictio, aut facti est, non juris, quæ pugnat cum ipsa naturali æquitate, aut jus aliquod significat non primo aut per se alicui competens, sed aliena concessione; quomodo raptorem raptæ pater, proscriptum quisvis interficit: aut denique non significat ipsum puniendi actum, sed postulationem duntaxat poenæ infligendæ aut à Deo aut ab alio rectore: quibus vindicandi modis totidem modi respondent peccatorum remissionis sive condonationis, quam privatis sæpe & Scriptura & communis sermo tribuit. Sed hæc assertio eo minus probationis indiget, quia ipse Socinus lib. 1. cap. 1. alicubi fatetur Deum in puniendis, absolvendisque hominibus statuendum esse tanquam Principem: quo nihil verius dici potuit. Nec aliud significavit Jacobus, cum dixit, unum esse legislatorem qui possit servare & perdere, Jacob. 4. 12.

Habemus ergo veram Dei in hoc negotio *ῥῆσιν*, quæ reperta facile est alias omnes removere. Primum ergo damus hoc postulanti Socino, Deum non esse spectandum ut judicem sub lege constitutum. Nam talis qui sit iudex in nocentem non posset à poena liberare etiam poenam in alterum transferendo: non quia id per se injustum sit, sed quia legi non congruat, cujus ipse Minister electus est. Quod his verbis expressit Lactantius de ira Dei cap. 19. *Judex peccatis veniam dare non potest, quia voluntati servit alienæ: Deus autem potest, quia est legis suæ ipse disceptator & iudex, quam cum poneret, non utique ademisti sibi omnem potestatem, sed habet ignoscendi licentiam.* Recte Seneca, *Clementia*, inquit, *liberum arbitrium habet: non sub formula, sed ex æquo & bono judicat.* Æquitas enim est etiam adstricti formulæ judicis: at clementia proprie ita dicta non est nisi summi in quaque communitate rectoris. Idem Seneca Principem hoc jubet cogitare: *Occidere contra legem nemo non potest, servare nemo præter me.* Agnovit hoc discrimen Augustinus: *Judicibus statutum est, ne liceat in reum datam sententiam revocare. Nunquid & ipse Imperator sub hac erit lege? nam ipsi soli licet revocare sententiam & reum mortis absolvere & ipsi ignoscere.* Et Symmachus: *Alia est conditio Magistratum, quorum corruptæ videntur esse senten-*

tia, si sint legibus mitiores: alia Divorum Principum potestas, quos decet acrimoniam severi juris inflectere. Quo & Cicero respexit, cum pro Ligario ad Cæsarem dixit: *Non feci, non cogitavi. Ad judicem sic agi solet, sed ego ad parentem loquor, Erravi, temere feci, pœnitet; ad clementiam tuam confugio: delicti veniam peto: ut ignoscas, oro.*

At Socinus, quamquam loco supra citato Deum ut summum Principem statuit, passim tamen in omni hoc actu longe aliam ipsi *ῥῆσιν* tribuit, nimirum partis offensæ. Vult autem partem omnem offensam esse poenæ creditorem: atque in ea tale habere jus, quale alii creditores in rebus sibi debitis, quod jus sæpe etiam domini voce appellat: ideoque sæpissime repetit Deum hic spectandum, ut partem offensam, ut creditorem, ut dominum, tria hæc ponens tanquam tantundem valentia. Hic error Socini cum per totam ipsius tractationem latissime diffusus sit, & dici ferme possit in hac materia esse ipsius *τὸ πρῶτον ψῶδον*, accurate refelli debet.

Id ut fiat prima hæc ponatur assertio: Punire non est actus competens parti offensæ qua tali. Probatur hoc quia alioqui oporteret omni parti offensæ competere per se jus puniendi: quod falsum esse ex eo apparet, quod punire probavimus actum esse *ἡ ἀπορροχῇ*: ipso etiam Socino fatente, cum Deum hic spectandum dicit ut Principem, unde aliud argumentum nascitur firmissimum. Si punit Deus & poenam tollit ut Princeps, non ergo ut pars offensæ. Non potest enim idem duobus diversis tribui qua talibus. Interim non negamus Deum, qui peccata punit vel impunita dimittit, recte dici partem offensam: sed punire, aut impunitum dimittere, ei tribui qua pars offensæ est, negamus. Notissimum enim est, posse aliquid de aliquo dici quod ei non conveniat qua tali: sicut Jurisconsultus canit, non qua Jurisconsultus: sed qua Musicus. Notavit hoc recte Lactantius: *Surgimus ad vindictam NON QUIA LÆSI SUMUS, SED UT DISCIPLINA servetur, mores corrigantur, licentia comprimat. Hæc est ira justa, quæ sicut in homine necessaria est, sicutique in Deo à quo ad hominem pervenit exemplum.* Est quidem recepta regula, neminem esse idoneum in sua causa judicem: sed hæc regula non est juris naturalis, sed positivi, ideoque nec universalis. Placne enim locum non habet in summis rectoribus, sub quo nomine & parentes quo ad familiæ curam comprehendo. Imperatores in sua causa judicare, notant Jurisconsulti ad l. Et hoc Tiberius D. de hæred. infit. Hoc accidere etiam in criminibus potest, ut in judicio Læse Majestatis, & in bellis quæ ob injuriam illatam Regi à Rege indicuntur: cujus rei insigne est exemplum 2 Reg. cap. 10. Puniunt ergo aut impunita dimittunt crimina Principes etiam læsi, non tamen qua læsi. Nam si id facerent ut læsi, jam & aliis læsis idem esset juris, qui tamen lædentem nec punire possunt, nec impunitum præstare. Rursum si punire aut impunitum dimittere Principibus qua læsis competeret, jam jus illis non esset puniendi crimina, in quibus læsi non sunt, cujus contrarium ratio monstrat & experientia. Ac nequis existimet ideo à Principe maleficos puniri, quod Reipublicæ noceant, cujus ipse præses est; videmus subditos etiam qui extra territorium & in hominem extraneum graviter deliquerunt, recte & cum laude puniri. Unde apparet manifeste jus puniendi non competere læso qua læso, cum nec posita læsione statim ponatur, nec remota removeatur: contra vero superiori ut superiori idem jus competere. Nam simulatque *ἡ ἀπορροχῇ* ponis, & jus puniendi ponis: eaque remota removes. Quicquid autem de jure poenæ irrogandæ dicitur, id simul de jure dandæ impunitatis necesse est intelligi. Hæc enim naturali nexu inter se cohærent. Fefellit forte Socinus, quod interdum in Sacris Literis, atque inter cætera in Dominica preceatione nobis exemplum Dei peccata remittentis proponitur, ut nos quoque læsi aliis peccata condonemus. Sed cogitare debuit exempla sumi non tantum à rebus quæ genere proximo sint eadem, sed & ab iis quæ aliquid habeant similitudinis, præsertim cum rebus similibus, etsi genere proximo diversis, idem aliquod nomen ob similitudinem imponitur. Sic vetat nos Christus judicare, immisericorditer nimirum, ne & ipsi judicemur: additque, qua mensura alios mensi fuerimus, eadem nobis remensum iri. Matth. 7. 1, 2. ubi judicare illud prius ab altero distat toto genere. Nam prius est judicium libertatis: alterum judicium potestatis. Eodem modo longe aliud est in Deo & in aliis rectoribus remittere peccata: aliud vero in privatis ab altero læsis. Illi enim oppositum est punire: huic vero poenam postulare aut optare aut etiam conquiri. Coloss. 3. 13. Distant ergo intrinsecus, sed extrinsecus quodammodo conveniunt. Nam causa impellens ad

utrumque est benignitas sive *φιλανθρωπία* : effectus vero est, quod is qui peccavit ab incommodo aliquo liberetur : aut re ipsa, aut certe quantum est in remittente. Quæ convenientia sufficit ut exemplo sua vis constet.

Altera hæc sit assertio : Naturaliter pars offensa qua talis nullum jus habet in poena. Hoc plus aliquanto est quam quod prima assertio collegerat. Ibi enim negavimus actum ipsum puniendi competere parti offensa : hic negamus jus aliquod ipsi competere, non modo ad actum per se exercendum, sed etiam ad obligandum alterum ut exerceat : hoc est, partem offensam non esse in poena vere creditorem : quod tamen putat Socinus, & tanquam certissimum sæpe repetit. Creditorem hic intelligo non stricta significatione juxta vocis originem, eum qui fidem alterius secutus est, sed generalius juxta juris definitionem : Creditores sunt quibus ex qualibet causa debetur. Verum autem esse quod dicimus, sic probatur. Notissimum est duplex esse jus, naturale aut positivum. Quare debitum quoque omne aut hinc aut illinc oriri necesse est. Jus naturale consistit in ipsa rerum inter se adæquatione. Tale ergo est & naturale debitum. At jus positivum est, quod ex libero actu voluntatis nascitur : qui est duplex, contractus & lex. Contractus est effectus ejus potestatis, quam quis habet in se & sua; lex vero effectus ejus potestatis, quam quis habet in alium & aliena. De positivo debito hic non agimus : ideo addidimus vocem naturaliter. Cujus rei causam infra explicabimus. Natura vero ex facto tuo mihi nihil aliud debetur, ac ne deberi quidem potest quam æqualitas secundum rem, hoc est, ut quantum mihi per te abest, tantundem reddatur. Hoc uno verbo vocare licet indemnitate aut restitutionem. Hinc creditorem *ὁ ἀποπληροῦν* recte vocavit Aristoteles. Habet autem hoc locum tum in acceptionibus *ἐκαστοῖς*, tum in *ἀνθρώποις*, ut idem Aristoteles notat. Sicut enim reddere teneris mutuum aut depositum, ita & rem furto sublatam. Et hætenus naturaliter etiam ex delicto creditores fieri possumus. Neque id locum habet in his duntaxat delictis, in quibus rei corporalis acceptio intercedit : sed in aliis etiam factis alicui noxiis. Ita qui alterum vulneravit debet & mercedem medicis præstitas & impendia ob curationem facta, & operarum intertrimentum. L. ult. D. de his qui effud. Mirati sunt quidam quod Aristoteles homicidium quoque posuerit inter *συναλλάγματα*, in quibus versatur *ὁ διορθωτικὸς νόμος*. Sed recte notavit Eustathius, non alia id ratione fieri, quam quia uxori, liberis aut cognatis occisi aliqua soleat fieri damni compensatio : de qua videre est in l. 4. Paragr. 1. ad L. Corn. Sic & is qui mendacio famam læsit alterius, veri professione refarcire debet id quod de dignitate ipsius delibavit. Ex quibus omnibus apparet id quod ex delictis naturaliter debetur diversum esse à poena. Causa enim naturalis istius debiti est primo & per se non vitiositas actus, sed quia mihi aliquid abest : nam etiam si citra vitium absit, ut in deposito, non eo minus mihi restitutio debetur. Causa autem poenæ est ipsa actus vitiositas, non autem quod aliquid mihi absit. Nam etiam si nihil absit cuiquam, recte actus puniatur, ut in gravibus delictis, quæ inchoata tantum & non consummata sunt. Est & aliud discrimen non minus insigne, quod restitutionis modum & quantitatem ipsa rei natura determinat : poena etiam in genere suo causam habet naturalem aliquomodo (ut infra dicemus) determinari tamen non potest, nisi per actum liberum voluntatis. Adde quod ante condemnationem, poena, quatenus in dando aut in faciendo consistit, non debetur ordinarie : at restitutio omnino debetur. Restitutionis debitum in hæredem transit, poena non transit. Quæ ideo duntaxat referre libuit, ne quis id quod læso proprie debetur, cum poena temere confundat. Interea verum esse lege positiva, ut & contractu, introduci posse ut creditori jus aliquod quæretur in poenam, quam tunc quoque à rei seu damni persecutione jura manifeste distinguunt. L. Si pignore parag. cum furti. D. de furtis. Insit. de lege Aquilia parag. his autem verbis. Sed hoc plerumque confitui solet in poenis pecuniariis, quæ scilicet non modo damnum adferunt ei qui læsit, sed & læso lucrum. In poenis autem corporalibus, in quibus nullum est verum lucrum læsi, hoc ipsum vix usurpatur. Ideoque videmus Reges aliosque summos rectores poenam remittere fontibus etiam invita parte læsa, injuncta ipsis sola damni restitutione. Quod injustum nemo judicat. Esset autem hoc injustum, si poena læso deberetur, præsertim ubi nulla Reipublicæ necessitas remissionem postularet. L. 2. C. de in jus vocando. Quare quod minores Magistratus poenas corporales nequeunt remittere, non id evenit ob jus aliquod læsi in poena (nam læso consentiente

nihilo magis possent) sed quia lex superioris illam potestatem ipsis non concessit, imo expresse negavit : quod similiter intelligendum est de Regibus cum Deo comparatis, in iis delictis quæ omnino puniri ab ipsis lex divina imperat. Hæc eo spectant, ut appareat Deum quoque à nobis læsum in poena proprie non esse creditorem. Nam id qui affirmat, aut eo jure nititur quod ex rebus ipsis nascitur, aut jure constituto. Eo jure quod ex rebus ipsis oritur læsum non esse in poena creditorem, satis ut arbitror ostendimus. Jus autem constitutum, non quo poena, sed quo creditum tale poenæ sit introductum nec allegatur, nec, si allegetur, probari poterit : neque ulla cur ita constituendum fuerit dari potest ratio. Objiciet forte aliquis, quod Deus poenam peccatorum remittens alicubi cum creditore de jure suo cedente comparatur. Ut Matth. 18. 35. Sed ut supra ostendimus, comparatio non exigit ut res genere proximo convenient, sed quavis similitudine contenta est. Sic Christus pedes discipulorum lavans exemplum dedit discipulis, ut quemadmodum ipse fecerat, sic & illi facerent : hoc est infervirent alter alteri. Similitudo autem Dei peccata remittentis, & creditoris de jure suo credentis major est quam Dei ejusdem peccata remittentis, & læsi condonantis offensas, qua de similitudine modo egimus. Conveniunt enim Dei & creditoris actus non tantum causa movente, quæ est benignitas, & effecto, quod est liberatio à miseria aut molestia ; sed eo insuper, quod in utroque præcedit jus aliquod, in Deo ad puniendum, in creditore ad exigendum creditum : & utrimque contingit dissolutio quædam obligationis antea existentis. Quanquam in ipsa obligatione, ut & in dissolutione aliquid sit dissimile, quod cum ad eam rem ad quam adfertur id exemplum proprie non pertineat, similitudinem sive *ὁμοειδίαν* vitiare non potest.

Tertia assertio hic esto : Jus puniendi in rectore non est aut jus absoluti domini aut jus crediti. Probatur hoc primo ex fine, qui optime solet distinguere facultates. Nam jus absoluti domini, ut & jus crediti comparatum est ejus gratia, qui id jus habet. At jus puniendi, non punientis causa existit, sed causa communitatis alicujus. Poena enim omnis propositum habet bonum commune ; ordinis nimirum conservationem & exemplum : ita quidem ut rationem expetibilis, non habeat nisi ab hoc fine, cum jus domini & crediti per se sint expetibilia. Hoc sensu Deus ipse dicit se poena eorum qui puniuntur non delectari. Rursus nunquam cum justitia pugnat de jure domini aut crediti cedere. Quia natura hæc est proprietatis, ut ea tam uti quam non uti liceat. At quædam peccata impunita dimittere (puta non resipiscendum) esset injustum in rectore, etiam in Deo, ut fatetur Socinus lib. 1. cap. 1. Non est ergo jus puniendi idem cum jure domini aut crediti. Præterea nemo ob id justus dicitur ac justitiæ nomine laudatur, quod dominio suo utatur, aut quod creditum exigit. At quisvis rector, atque ipse Deus, justus ob id dicitur, & justitiæ nomine laudatur, quod poenas non remittat, sed severe exigit. *Justus es Domine quod sic judicasti*. Apoc. 16. 5. quod pluribus locis supra probatum est. Iterum, virtutum diversitas oritur diversitate objectorum. At virtus qua de dominio aut de credito nostro cedimus, liberalitas vocatur : non clementia : illa vero qua impunitas conceditur, non liberalitas, sed clementia.

Quærat forte aliquis cum deberi poena dicatur, quis hic sit creditor? Vix enim videtur posse intelligi debitor, ubi creditor sit nullus. Sed notandum est, vocem *debere* non semper notare relationem inter duas personas. Sæpe enim, debeo hoc facere, nihil aliud est, quam convenit hoc à me fieri, sine respectu ad personam alteram. Ita debeo poenam, id est dignus sum poena, & pati eam teneor absolute : non autem relate ad hunc aut illum. Ideo perinde est in qua republica, sub quo rectore aliquis poenas delicti luat. Æque enim apud omnes liberabitur. Quod non ita procederet, si, ut aliarum rerum, ita poenæ certus existeret creditor. Uni enim illi, non etiam aliis nisi jussu ipsius facta solutio debitorem liberaret. Contrarium ferme in præmio apparet. Recte enim dicitur, debetur illi præmium. At certa persona quæ debeat (seposita lege positiva) non apparet. Nam si quis dicat Rempublicam esse certam quæ debeat præmium, quia beneficium acceperit, is gratiam à præmio non distinguet. Quin ipsa experientia docet, à rectoribus eos etiam præmiis ornari, qui non suæ reipublicæ speciatim, sed qui humano generi profuerunt, ut rerum in commune utilium repertores : imo etiam consilii præclare susceptis etiam successus defuerit, ac proinde utilitas ad neminem redundarit, reddi præmia videmus. Ergo ne hic quidem ulla est inter definitas personas relatio, qualis

qualis in illo debendi genere, quod est ἐν συναλλαγῇ. Si quis tamen cupiat in poena aliquid sibi dari, quod sit creditori ἀνέλογον, non inepte forte dicetur, ordinem rerum, bonumque publicum fungi vice creditoris, cujus ordinis bonique dispensatio rectori permessa est. Hoc enim indicare videtur trita sententia, *Delicta puniri publice interest*. Atque hinc evenit, quod cum in causis aliis iudex inter duas partes cognoscit, in causis criminum sæpe reus appareat, actor non appareat. Quia ordo ipse seu bonum publicum quasi actoris loco est: quod & Scriptura videtur innuere, cum dicit peccatum clamare contra peccatorem. Et ubi quis agit ad poenam, agit aut ut quilibet (quemadmodum iis in locis ubi accusationes promiscue omnibus patent) aut ut à lege ad hoc ordinatus: quod iis locis contingit, qui publice constitutos accusatores habent: quorum utrumque certum est indicium natura, & reipsa nullum hic esse definitum adversarium & poenæ quasi flagitatorem.

Sequitur alia dubitatio, quæ vis sit ejus vocis cum rector aliquis dicitur peccata aut quod idem est poenam ἀφίεναι aut χαλῶσαι. Hac enim voce decepti multi existimarunt dominium hic aliquid aut creditum antecedere. In quo multum falluntur. Nam vox Græca ἀφίεναι proprie significat à se amovere: atque ita sumitur Matth. 4. 20. & alibi sæpe. Unde sumpta metaphora significat & deferere & dimittere & permittere, frequentissime autem rationem alicujus rei non habere: quod Latini simili locutione dicunt, missum aliquid facere. Itaque Scholiastæ Græci passim τὸ ἀφίεναι exponunt pro τὸ ἀμελεῖν. Ita sumi hanc vocem apparet Matth. 15. 14. XVIII. 12. XXI. 23. Marc. 7. 8. Itaque & ἀμελείναι ἀφίεναι est peccata missa facere: quod alibi longius hanc translationem persequens Scriptura vocat peccata in mare projicere Mich. 7. 19. Sicut & Latini Poætæ ea quæ extra curam poni significant dicunt, ventis tradi in mare raptanda. Quare sicut opposita sunt missum aliquid facere & retinere, ita opponuntur inter se ἀφίεναι τὰς ἀμαρτίας & κρατεῖν Joh. 20. 23. Missa ergo facere peccata, ut & delere peccata & tegere, idem est quod alibi planius effertur, non recordari. Jerem. 31. 34. Non recordari autem, ut Latinum ignoscere, significat punire nolle. Quare sicut in illis vocibus non recordari, tegere, delere, retinere nolle, non est dominici juris aut crediti significatio, ita nec in voce ἀφίεναι. Sed quia vox ista quæ missum facere significat, generalis est, ideo & ad ea quæ in dominio habemus, & ad nomina, & ad res alias pari jure aptatur. Sic & vox χαλῶσαι ad omne gratificandi genus pertinet Christus cæcis & βλέπειν, χαλῶσαι, Luc. 7. 21. χαλῶσαι vobis pro Christo pati, Philip. 1. 29. Ita & iudex qui in gratiam alicujus hominem condemnat, aut absolvit, dicitur cum alteri χαλῶσαι. Actor. 3. 14. xxv. 2. & 16. Quæ omnia declarant nullum ea voce aut dominium aut creditum necessario significari. De Latinis vocibus, quæ in hoc argumento usurpari solent donandi, condonandi, remittendi, minus nos necesse est esse sollicitos, cum in Sacris Literis non existent. Et tamen earum quoque facile est rationem reddere. Accidit enim istis vocibus quod aliis pluribus, imo ferme omnibus, ut à similibus ad familia producantur. Donare proprie est quod suum dominio sit, id gratis alienum facere. Poena ergo proprie non donatur. Nam quod donatum est antea existit & postea manet. Poena nec fuit antequam donaretur, & donando efficitur ne existat. Sed in eo est similitudo, quod sicut donator jus habet in re, ita rector in poena: non tamen idem jus aut æque liberum. Nam jus domini, ut ante diximus, est domini causa: jus puniendi boni communis gratia: cujus ut aliarum rerum communium dispensatio ad rectorem pertinet. Secunda convenientia in eo est, quod tum in donatione jus donantis, tum in impunitatis concessione jus quod fuerat rectoris ad puniendum tollitur. Tertia quod & donatio & impunitatis concessio nascitur ex eodem fonte benignitatis: & alteri prodest. Neque hic tantum, sed & alibi sæpe donandi vox ad ea transfertur, in quibus jus dominicum locum non habet. Ita donari dicitur aliquis à Magistratu civitate, vacatione, honore, præmio: ita Seneca moram donare dixit pro auferre moram in alicujus gratiam: ita tempus nostrum dicimur donare aliis. Remittere autem primigenio significatu est, ut Græcum ἀφίεναι, à se amovere. Sic librum remittit arbor: eques frenâ. Sic aures remittuntur, & per translationem custodia, disciplina, animus: passimque opposita sunt remitti & intendi. Hinc creditum remitti dicitur, cum ejus nulla habetur ratio: nec aliter poena. Neque ea vox poenæ aptatur propter creditum, neque credito propter poenam: sed utri-

que propter aliud, in quo illa inter se conveniunt. Addi potest aliquo modo dici etiam posse poenam deberi alicui. Non proprie: quia nemo hic est vere creditor: sed ob similitudinem quandam. Quia enim ut creditor jus habet sibi debitum exigendi, ita rector jus habet puniendi, & accusator poenam flagitandi, propterea κατηχησικῶς interdum dicimur poenam debere aut rectori ut Deo, aut accusatori ut diabolo. Quamquam nec diabolo fiat injuria, si poena non infligatur homini, neque cum Dei justitia consistat, ut de poena quavis infinitum remittat: quorum neutrum in veris creditoribus locum potest habere.

CAPUT III.

Qualis sit Dei actus in hoc negotio, & ostenditur esse legis relaxationem, sive dispensationem.

Examinatis partibus, quibus in hoc negotio Deus fungitur, facile erit nomen aliquod ipsi actui dare. Ac primum, cum Deus hic, quemadmodum probavimus, sit spectandus ut rector, sequitur actum hunc esse actum jurisdictionis generaliter dictæ. Unde sequitur, non agi hic de acceptilatione, ut putat Socinus. Illa enim actus non est jurisdictionis. Propius ut designetur suum huic actui genus, potest is ipse actus considerari, aut cum relatione ad divinam sanctionem, sive, ut recentiores Jurisconsulti loquuntur, legem poenalem, aut citra eam relationem: quod ideo adjicimus, quia etiam si lex nulla poenam expressisset, naturaliter tamen ipse actus humanus, sive intrinsecam habens pravitatem ex rei natura immutabili, sive etiam extrinsecam ob contrarium Dei præceptum, eo ipso poenam aliquam, & quidem gravem, merebatur: hoc est par erat hominem peccatorem puniri. Hic si subsistamus, erit actus Dei de quo agimus, punitio unius ad impunitatem alteri consequendam: de cujus actus justitia mox agemus. Si vero præterea respiciamus sanctionem sive legem poenalem, erit actus ipse via ad indulgentiam seu temperamentum ejusdem legis, quam indulgentiam hodie dispensationem vocamus: quæ definiri potest, actus superioris, quo legis manentis obligatio circa quasdam personas aut res tollitur. Sanctio hæc est: Homo comedens de vetita arbore omnino morietur. Genes. 2. 17. ubi per unam speciem peccati omne peccati genus indicatur, ut exprimit Lex eadem clarius explicata, *Maledictus qui non manserit in omnibus præceptis legis*, Deuter. 27. 26. Galat. 3. 10. Mortis autem & maledicti vocis his locis intelligimus præcipue mortem æternam. Perinde ergo se res habet, quasi in hunc modum Lex esset concepta, Omnis homo peccans poenam ferat mortis æternæ.

Non est ergo hic legis istius executio. Nam si legem Deus omnino exsequeretur, non posset quisquam peccator servari à poena mortis æternæ. At nunc scimus fidelibus non esse κατὰ κρῆμα, quia liberati sunt à morte Rom. 8. 2. & redempti ab execratione Galat. 3. 13.

Non est etiam hic actus legis abrogatio. Nam Lex abrogata vim nullam habet obligandi. At infideles adhuc obnoxii sunt eidem legi. Ideo scriptum est, quod ira Dei manet ἐπὶ τὰς ἀπειθήντας. Johan. 3. 36. & quod illos occupat ira Dei ad finem usque 1 Thess. 2. 16.

Non est etiam interpretatio Legis κατ' ἐπιείκειαν. Nam ea interpretatio ostendit aliquod factum aut personam sub legis obligatione nunquam fuisse comprehensam: sicut opera religionis & misericordiarum sub interdictione operandi in Sabbatho nunquam fuerunt comprehensa, Matth. 12. 5. & 6. At vero omnes homines (quippe conclusi sub peccatum Rom. 2. 32. Galat. 3. 22.) etiam hi qui liberantur, natura sive per se filii sunt iræ, Ephes. 2. 3. hoc est obligati legis sanctione. Non ergo declaratur nulla esse obligatio: sed hoc agitur, ut ea, quæ fuit, tollatur: id est, ut relaxatio seu dispensatio legis contingat.

Quæri hic possit, an lex ista poenalis sit relaxabilis. Sunt enim leges quædam irrelaxabiles, aut absolute, aut ἐξ ὧν ὅσους. Absolute irrelaxabiles sunt, quarum oppositum immutabilem in se pravitatem continet ex rei ipsius natura, ut puta lex quæ vetat pejorare, aut falsum testimonium contra proximum ferre. Sicut enim dicimus Deum non posse mentiri, Hebr. 6. 18. aut semet abnegare, 2 Timoth. 2. 13. ita non minus recte dicemus, Deum non posse actiones per se

Pravas facere, aut approbare, aut jus ad eas concedere. Ἐξ ἀπολύσεως vero irrelaxabiles sunt leges, quæ feruntur ex definito decreto, quod Scriptura vocat τὸ ἐκλῆς ἀμετέθετον, sive ἀμετέθετον, qualis est Lex de damnandis his, qui nolunt in Christum credere. Hebr. 3. 18. Leges autem positivæ omnes absolute sunt relaxabiles: neque ad necessitatem hypotheticam ex definito decreto confugiendum est, ubi nota talis decreti nulla exstat. Quod quidam verentur, ne si id concedamus, injuriam faciamus Deo quasi eum statuamus mutabilem, in eo multum falluntur. Nam Lex non est aliquid internum in Deo, aut ipsa Dei voluntas, sed voluntatis quidam effectus. At voluntatis divinæ effectus mutabiles esse certissimum est. Neque vero Deus legem positivam promulgando, quam aliquando velit relaxare, aliud se velle significat, quam re ipsa velit. Serio enim Deus ostendit velle se, ut Lex rata sit atque obliget, salvo tamen jure relaxandi, quod legi positivæ suapte natura cohæret, neque ullo signo à Deo abdicatum potest intelligi. Imo quod est amplius, ne abrogandi quidem jus Deus à se removet, ut exemplo legis cæremonialis apparet. Aliud sane est, si legi positivæ adhæreat aut juramentum aut promissio, quorum utrumque notatur Hebr. 6. 18. Nam juramentum signum est immutabilitatis rei cui adjicitur. Psalm. 95. 11. cx 4. Hebr. 3. 11. 18. vi. 17. vii. 21. Promissio autem jus dat parti quod ab ea auferri sine injuria non potest. Quanquam ergo promittere est liberum, tamen liberum non est promissa frangere: ideoque id ad ea referri debet, quæ immutabilem in se pravitatem continent. Hoc ergo Deus non potest, qui fidelis propterea dicitur, quod promissa servet. 1 Thess. 5. 24. Videamus ergo, an in dicta lege pœnali insit aliquid, quod relaxationem plane repudiet.

Ac primo objici potest, justum esse naturaliter ipsos fontes puniri pœna tali, quæ delictore respondeat: ac proinde id non subiacere libero arbitrio, neque esse relaxabile. Ut huic objectioni respondeatur, sciendum est non sequi injustum ex quavis negatione justī, etiam positīs iisdem circumstantiis. Quemadmodum enim non sequitur, si liberalis Rex dicens est, qui alicui mille talenta dederit, ideo si non dederit, illiberalem fore: ita non est perpetuum ut id quod juste fiat, non nisi injuste omittatur. Naturale autem aliquid, ut in physicis, ita in moralibus aut proprie aut minus proprie dicitur. Naturale in physicis proprie est, quod rei ejusque essentiae necessario cohæret, ut animanti sentire: minus proprie vero, quod alicui naturæ conveniens & quasi accommodatum est, ut homini dextra uti. Sic ergo in moralibus sunt quædam proprie naturalia, quæ necessario sequuntur ex rerum ipsarum relatione ad naturas rationales, ut perjurium esse illicitum: quædam vero improprie, ut filium patri succedere. Quod ergo is qui deliquit pœnam meretur, eoque punibilis est, hoc ex ipsa peccati & peccatoris ad superiorem relatione necessario sequitur, & proprie naturale est. Ut vero puniatur quivis peccator pœna tali quæ culpæ respondeat, non est necessarium simpliciter & universaliter: neque proprie naturale: sed naturæ satis conveniens. Unde sequitur, nihil ob stare quo minus Lex hoc ipsum imperans sit relaxabilis. Nota definiti decreti sive irrevocabilitatis in ea, de qua agimus, lege non apparet: neque est Lex promittens. Ergo ne horum quidem quicquam relaxationem impedit. Neque enim admittendum est, ut comminatio promissioni adæquetur. Nam ex promissione jus aliquod acquiritur ei cui facta est promissio: at comminatione apertius duntaxat declaratur meritum pœnæ in peccante, & jus puniendi in comminante. Neque metuendum est, ne Dei veritati aliquid decedat, si minas non omnes impleat. Omnes enim minæ, quibus non adest irrevocabilitatis signum, intelligendæ sunt ex suapte natura de jure comminantis ad relaxandum nihil imminuere, ut antea expositum est: & divinæ adversus Ninevitas clementiæ exemplo manifeste apparet. Non est hic omittendum, Philosophos veteres ex lumine rationis judicasse, nullam esse materiam magis relaxabilem lege pœnali. Itaque Aristoteles ἐν ἐπικρίσει ait esse συζητητικὴν: & Sopater in Epistola ad Demetrium sic ait: Ὁ λεγόμενος ἐπικρίτης δίκαιον τὴν αὐτοῦ τῶν νόμων φωνὴν ὡς ἀντιθέμενον, ἀμεταφύτης ἐμὴς ἐκείνῃ χαρίτων ἀλλοθινῶν καὶ ἐλευθερίων ἀποφασίς. Τὸ μὴ ἔπὶ τῇ συλλαβάσει τῇ δίκῃς ἐπινορηστικὴν ἐκφράζει πεισιπλοῦς τῶν χαρίτων ἡμῶν. Ὁ δὲ ἐπὶ τοῖς ἐγκλήμασι κείμενος οὐκ ἀναινεταὶ τὸ πρῶτον καὶ φιλανθρωπὸν τῶν χαρίτων ἀποσώπων. Ex his, quæ huc usque dicta sunt, legem istam Dei positivam & pœnalem dispensabilem fuisse apparet. Sed hoc non obstat quo minus rationes quædam fuerint, quæ hanc relaxationem possent (ut more humano balbutiam) dissuadere. Hæ autem peti possunt aut à natura legum univer-

sarum, aut ex propria legis materia. Legibus omnibus commune est, quod relaxando aliquid videtur de autoritate legis deteri. Proprium hujus legis, quod etsi ea Lex, ut diximus, inflexibilem rectitudinem non habet, est tamen ipsi rerum naturæ atque ordini perquam conveniens. Ex quibus sequitur, non quidem omnino non relaxandam fuisse legem, sed non facile, neque levi de causa. Atque id secutus est solus ille πάντοτε νομοθέτης. Causam enim habuit gravissimam, lapsa in peccatum genere humano, legem relaxandi. Quia si omnes peccatores morti æternæ mancipandi fuissent, periissent funditus ex rerum natura duæ res pulcherrimæ, ex parte hominum religio in Deum, & ex parte Dei præcipuè in homines beneficentiæ testatio. Neque vero Deus in relaxanda lege causas duntaxat, & quidem gravissimas, secutus est, sed & relaxationi modum adhibuit singularem, de quo infra agendi aptior erit locus.

CAPUT IV.

An injustum sit Christum puniri ob peccata nostra, & ostenditur non esse.

Argumenta, quibus Socinus hoc dogma it labefactatum, non satis recto ordine ab ipso posita, hoc modo nobis digerenda videntur, ut prima sit classis earum ratiocinationum, quæ id quod factum defendimus injustum fuisse colligunt: secunda earum, quæ causam negant fuisse ita faciendi: tertia, quæ id quod asserimus, à Deo factum negant. Nam si res ipsa injustitiam continet, frustra ejus causæ queritur, cum injusti nulla possit esse rationabilis causa: frustra etiam an factum sit disputatur, cum nihil injusti à Deo possit fieri. Causæ quoque examinatio, cum natura facti antecedit quæstionem, prius quoque tractanda est. Ut ergo ad justī atque injustī veniamus quæstionem, primum separanda sunt ista, An justum fuerit Christum puniri ob peccata nostra, & An id aliquid facere potuerit ad veniam nobis impetrandam. Nam posterius hoc ad secundam classē referendum est, quæ de causa facti disputat: ad primam vero hanc proprie non pertinet. Nam etiam si talis causa pœnæ non fuisset, non inde sequeretur in ipsa pœna injuriam aliquam contineri. Injuria autem videtur quæri posse aut in ipsa materia, hoc est, in gravissimis afflictionibus & morte, comparatis ad ejus qui ista patiebatur innocentiam, aut in forma, hoc est, in pœna comparata ad peccata aliena tanquam causam meritoriam. Ostendemus ergo in neutro esse injuriam.

Primum ergo non fuisse injustum, ut Christus innocentissimus à Deo gravissimis cruciatibus ipsaque morte afficeretur, fatetur Socinus lib. 3. cap. 9. & cap. 10. ut hinc nullum subsidium ipsius causæ possit accedere. Idemque res ipsa manifestissime demonstrat. Nam gravissima passum esse Christum, mortuum quoque, Sacra historia ostendit. Hoc ipsum à Deo factum, non minus clare Scriptura loquitur. Nihil à Deo injuste fieri, sine contumelia divini numinis negari non potest.

Ad alteram ergo partem transgrediens affirmo, contra Socin. lib. 5. cap. 3. non esse simpliciter injustum aut contra naturam pœnæ, ut quis puniatur ob peccata aliena. Injustum cum dico, manifestum est me loqui de injustitia, quæ ex rebus oritur, non quæ ex jure positivo, ut quo nequeat imminui divina libertas. Dictum probo: Exod. 20. 5. & 34. 7. *Deus visitat parentum iniquitates in filios, nepotes & abnepotes. Patres nostri peccaverunt, & nos pœnas eorum ferimus.* Thren. 5. 7. Ob factum Chani execrationi subicitur Canaan Genes. 9. 25. Ob factum Saulis suspensi sunt filii ejus & nepotes, Deo approbante, 2 Sam. 21. 8. 14. Ob factum Davidis perierunt Lxx millia, & exclamat David, *Ego peccavi & inique feci: hæc oves quid fecerunt?* 2 Sam. 24. 15. & 17. Sic ob factum Achanis filii puniuntur, Jos. 7. 24. & ob factum Jeroboami posteritas ipsius, 1 Reg. 14. 10. Hi loci manifeste ostendunt, puniri aliquos à Deo ob aliena peccata. Videat, si cui otium est, Chrysostomum Homil. 29. in Gen. cap. 4. Tertullianum adversus Marcionem.

Objicit Socinus illud apud Ezechielem: *Anima quæ peccavit ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem Patris, neque Pater portabit iniquitatem filii:* Sed his verbis Deus non quid necessario sibi faciendum sit docet, sed quid facere libere decreverit. Non magis ergo hinc sequitur iniquum omnino esse,

esse, ut filius ullam paterni delicti poenam ferat, quam iniquum esse, ut non moriatur peccator. Locus ipse evincit, non agere hic Deum de jure perpetuo & immutabili, sed de ordinario providentiæ suæ cursu, quo se posthac adversus Judæos usurum proficitur ut omnes calumniæ ansas abrumpat.

Neque magis ad rem facit, quod scriptum est Deut. 24. 16. *Ne morte afficiuntur Patres pro filiis: neque filii pro patribus: sed quisque ob peccatum suum morte afficitur.* Cujus etiam fit mentio 2 Reg. 14. 6. Lex enim hæc est ex parte positiva, lata hominibus à Deo, qua Deus non adstringitur, ut qui eam sibi nusquam tulerit, neque vero ulla lege possit adstringi. Manifesta quoque est rationis diversitas. Quia potestas hominum arctior est quam Dei. Quod infra clarius explicabitur, ut jam taceam in hominibus metui abusum potestatis, in Deo non metui.

Excipit Socinus, nusquam in Scriptura reperiri innocentes ob nocentum peccatum punitos. Sed hæc exceptio ad rem non facit. Nam cum legamus punitos aliquos non ob sua tantum peccata (quorum ratione nocentes erat) sed insuper ob aliena, sequitur punitos etiam qua non erant nocentes. Si autem ex parte aliquis potest puniri qua non est nocens, quo minus & in totum possit, natura non obstat. Partium enim & totius jus est idem. Adde jam quod posteri Saulis omnino erant innocentes quo ad peccatum illud ob quod puniebantur. Si autem potest quis puniri qua innocens est, poterit & innocens. Ac si quis recte advertat, innocentia non magis obstat punitioni quam afflictioni: imo illi neutiquam, nili propter hanc. Quare distinctio nocentis & innocentis ad quæstionem illam pertinet, An affligi quispiam jure possit: non autem ad hanc, An afflictio ejus vim possit habere poenæ. Concessio enim non esse de essentia poenæ relationem ad peccatum proprium, concessio etiam innocentem posse affligi (ut à Deo ad tempus posse fieri fatetur Socinus) nihil plane afferri potest, cur ex ipsa rerum natura (nam de lege positiva hic non agimus) injustum sit, innocentem ob noxam alterius tali afflictione puniri, præsertim si ipse ad poenam talem sponte se obligaverit, ejusque suscipiendæ in se potestatem habuerit. Quod infra tractabitur.

Urget Socinus, saltem inter nocentem & eum qui puniatur, conjunctionem aliquam debere esse, quam agnoscit inter patrem & filium, inter Christum autem & nos non agnoscit. Dicit hic posset, non esse hominem homini alienum, naturalem esse inter homines cognationem & consanguinitatem, carnem nostram à Christo susceptam: sed longe major alia inter Christum & nos conjunctio à Deo destinabatur. Ipse enim designatus erat à Deo ut caput esset corporis cujus nos sumus membra. Atque hic observandum est, perperam à Socino eam conjunctionem, quæ ad poenas alteri ob alterius peccata irroganda sufficiat, ad carnem solam restringi: cum mystica conjunctio vim non minorem hic habeat. Quod in exemplo Regis & populi maxime apparet. Supra citata est historia populi Israëliti ob culpam Davidis puniti. Qua de re sapienter differens author vetus quæstionum & responsum ad orthodoxos, quæ Iustini nomine circumferuntur, sic ait, *ὡς σύγκειται ὁ ἀνθρώπος ἐν ψυχῇ καὶ σώματι, ἕτως καὶ ἡ βασιλεία σύγκειται ἐν βασιλεὺς καὶ τῶν βασιλευμένων. καὶ ὡς περὶ ἀμφοτέρων ὁ ἀνθρώπος ἀμφοτέρωθεν διὰ χειρὸς, καὶ τυπῶν ἐῖς τὸν νότον οὐκ ἀδίκει ὁ τυπῶν ὡς αὐτὸν, ἕτως οὐκ ἀδίκει Θεὸς ἐπὶ τοῖς τῶν βασιλέων πᾶσι μέσσοι τοὺς λαὸν ὑμωμένους.*

Tandem huc Socinus devenit, ut dicat hoc saltem non inveniri in Scripturis, punitum innocentem ob eas culpas, quarum ipse nocens impunitatem tulerit. Sed hoc quoque ad rem non facit. Nam cum per se & universaliter injustum non sit nocenti impunitatem dare (quod fatetur Socinus) neque sit injustum punire aliquem ob peccata aliena, ne in his quidem conjunctis injustitia esse poterit. Imo id ipsum injustum non esse, manifestum facit Scriptura Achab exemplo, qui ipse suorum peccatorum accepit impunitatem, quorum poena de filio ac posteritate ejus exacta est. 1 Reg. 21. 29. 2 Regum 8. & 9. & 10. Sed hoc accuratius examinabitur, ubi ad illam veniemus quæstionem, Ecqua causa Deum moverit, ut Christum ob peccata nostra poenis afficeret.

Neutiquam ergo stant à Socino Sacra Literæ, quæ id à Deo factum ostendunt, quod ipse injustitiæ immerito accusat. Sed neque maius illi à recta ratione præsidium, quam mirum est toties ab illo jactari, monstrari nusquam. Sed ut omnis hic error dematur, notandum est, esse quidem essentialia poenæ, ut infligatur ob peccatum, sed non item essen-

tiale ei esse ut infligatur ipsi qui peccavit: idque similitudine præmii, gratiæ, & ultionis manifestum est. Nam præmium saepe in bene meriti liberos aut cognatos, & gratia in propinquos ejus qui beneficium contulit, & ultio in ejus qui offendit amicos conferri solet: neque eo desinunt esse quod sunt, præmium, gratia, ultio. Huic illud accedit, quod si contra naturam esset poenæ, infligi ei qui non peccavit, jam hoc ipsum non injustum esset dicendum, sed impossibile. Atqui vetat Deus ob patris delictum puniri ab hominibus filium, non vetatur autem impossibilia. Præterea injustitia proprie non accedit relationi, (qualis est punitio) sed ipsi actioni, qualis est materia punitionis. Et hic verum discrimen quæri necesse est, cur non æque sit omnibus liberum punire aliquem ob alienum peccatum atque est præmio afficere, aut gratia ob alterius meritum aut beneficium. Actus enim cui inest præmium aut gratia, est actus beneficis, qui sui natura omnibus permittitur. At actus cui poena inest, est actus nocivus: qui nec omnibus, nec in omnes concessus est. Quare ut poena iusta sit, requiritur ut actus ipse poenalis sit in potestate punientis: quod tripliciter contingit, aut antecedenti jure ipsius punientis, aut iusto ac valido consensu ejus de cujus poena agitur, aut ejusdem delicto. Cum per hos modos actus factus est licitus, quominus deinde ordinetur ad poenam peccati alieni, nihil intercedit, modo inter eum qui peccavit & puniendum aliqua sit conjunctio. Conjunctio autem hæc est aut naturalis, ut inter patrem & filium, aut mystica, ut inter regem & populum, aut voluntaria, ut inter reum & fidejussorem.

Provocat Socinus ad omnium Gentium judicia. Sed primum ad Deum quod attinet, non dubitarunt Philosophi puniri ab ipso in liberis parentum peccata: quod Plutarchus facunde explicans libro *τὸ ἐπὶ τῶν πατέρων βροτῶν ὑμωμένων* sic ait, *ἐπὶ δὴ καὶ τοῦ ἐξερπηδίου ἀρχὴς μίαν καὶ δύναμιν ἵνα καὶ χρονοῖαν ἀπαρτιζομένην ἀναφύσῃ: καὶ ὁ γυνθὲν εἶναι ὡς ἐδύμω μὲν ἑρμῆα πεπονημένον ἀπὸ κακῶν ὁ γυνθὲν αὐτῶν εἶναι ὡς αὐτὸν γένοντι, ὡς ἐκ τοῦ καὶ φέρειται τῶν ἐκείνῃ μέρει ἐν αὐτῷ καὶ καλὰ ἔργα καὶ ἀγαθήματα καὶ ὑμωμένους. Et mox: εἰδὲν δεῖν ὅδ' ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων ὅτις ἔχουσιν τὸ ἐκείνῃ. Addit deinde non dissimile quid ab eo, quod ex scriptore Christiano modo citavimus: καὶ τοῦτο ὁ φάσκων ἀδικῶν εἶναι τῶν ἰσίων πονημάτων καὶ ἐν ἀντιχειρῇ. Valerius autem Maximus de Dionysio Siculo agens: *Tametsi debita tibi sacrilegii supplicia non exsolvis, dedecore tamen filii mortuus poenas rependit quas viri effugerat.* Similes sunt loci sexcenti apud historicos & poetas. Sic & populum à Deo puniri ob peccatum regis non minus recepta fuit sententia ab Hesiodi usque temporibus, qui dixerat *Δικὴν* Jovis esse filiam, quæ Jovem interpellaret *ἔφρ' ἀπὸ τῆς*.*

Δῆμον ἀπατάλλας βασιλέων.

Puniri alios ob aliorum delicta non audent negare Socinus. Est enim in poenis pecuniariis res manifesta. Satisfactorem pro reo poena pecuniaria plecti ait Ulpianus l. si quis reum D. de cust. & exhib. reorum. In poenam furti recte accipi fidejussorem ait Cajus, quia poenam ob maleficia solvi magna ratio suadeat. l. Si à reo D. de fidejuss. Atque hoc ipsum sufficit, ut appareat non esse de natura poenæ, ut is & solvat, & necessario plectatur qui deliquit. Cur autem in corporalibus poenis idem jus non sit, hanc adfert rationem Socinus lib. 3. cap. 3. quia pecunia alterius effici possit: atque ideo pro alio soluta brevis manus fictione videatur donata delinquenti, ac deinde ab ipso numerata. Corporalis autem vexatio alterius effici nequeat. Sed hoc subtiliter magis quam vere dicitur. Nam ista ratio nonnihil facit ad pariendam ipsi reo liberationem. Verum ut alteri infligatur poena quam alter sit commertus ista ratio non efficit. Nam ea si valeret saepe ne præmium quidem benemeriti solvi posset conjunctæ personæ: quia scilicet res in qua præmium consisteret, non posset fieri ejus qui bene esset meritus: five quia is esset mortuus, five quia res ipsa esset incorporalis. Athenienses bene meritorum filios publice educabant. Romani veteranorum filiis privilegia indulserunt decurionum: Perfectissimorum (quos vocabant) & nepotes & pronepotes quæstionibus noluerunt subji. Memoriam parentum liberis ad impunitatem profuisse, in Græcis Romanisque historiis legimus. At educatio, privilegium, impunitas liberorum, non potest effici educatio, privilegium aut impunitas parentum mortuorum. Imo si verum esset quod dicit Socinus, jam à fidejussore nolente reum forte absentem ab obligatione poenæ pecuniariæ liberari, poena non posset exigi. Hæc ergo quod ad hanc quæstionem attinet, non est vera differentia inter pecuniarias poenas & corporales. Veriorem mox indicabimus. Illud vero maxime miror, quod

quod Socinus dicat, omnium Gentium ac sæculorum legibus & consuetudinibus probatum, non posse corporalem poenam, quam unus debeat, ab altero perfolvi. Nam apud Persas sane antiquitus ob unius noxam peribat propinquitas, teste Marcollino. Apud Macedonas devota erant capita eorum, qui sanguine perduelles contingerent, Curtio narrante. In Græciæ civitatibus mos fuit cum tyrannis tyrannorum liberos occidi, ut Halicarnassæus & Cicero notant. Non sunt quidem hæc probanda, sed evincunt tamen illud de omnium Gentium consensu non esse usquequaque verum. Et in his quidem exemplis ad poenam sufficere videbatur citra consensum ullum sola personarum conjunctio. Quod merito à Romanis repudiatum notat Halicarnassæus. Cæterum ubi consensus aliquis antecederet, ferme a usum dicere omnium eorum, quos Paganos dicimus, neminem fuisse, qui alium ob alterius delictum puniri injustum duceret. Ostendit hoc jus occidendorum obsidum humanissimis etiam populis usitatum. Thessali olim ducentos quinquaginta obsides interfecerunt, ut narrat Plutarchus. Romani Volscos trecentos securi percussere: Tarentinos dejecerunt de saxo Tarpejo, ut est apud Livium. Gothorum, Dacorum, Anglorum familia exstant exempla. Et ut recte notarunt viri doctissimi, ita jus esse creditum est. Sic & in capitalibus judiciis vades capite plecti solitos, si rei se non sisterent, unde Græcis ἀντίφυγοι appellantur, tum aliunde, tum ex nobili illa Damonis & Pythiæ historia satis apparet. Neque sane mirum est ita ab illis judicatum. Nam quia credebant unicuique homini non minorem esse potestatem in vitam suam quam in res alias, ut docet frequens atque adeo decantata apud Græcos, Romanos, aliasque gentes ἀνταρχεία, plane consequens erat, ut credenter vitam quoque non minus quam cætera valide obligari. Priore enim posito posterius concedi erat necesse. Ac sane si quis omne hoc negotium qua oportet diligentia excusserit, inveniet verum discrimen, cur ex consensu minus aliquis ad poenam corporalem quam ad pecuniariam teneatur, hoc esse, quod consentiens parem in corpus ac pecuniam potestatem non habeat. Neque tamen recentioribus Jurisconsultis assentior, ex Ulpiani quodam responso hoc probantibus qui dixerit, dominum membrorum suorum neminem videri, L. liber homo. D. ad legem Aquil. Domini enim vocem stricte sumit ex usu juris civilis, quatenus servo opponitur. Nam quia Lex Aquilia destitit de servo loquitur, directam actionem quæ verbis legis respondeat negat libero homini vulnerato posse accommodari: ita tamen ut ex paritate rationis dandam putet utilem. Et ut vere dicam quod sentio, quamquam Romanorum æquitatem, in moderanda hac poenarum extensione, maxime mirer, induci tamen non possum ut credam, ab illis existimatum esse rem plane & per se injustam, unum ob alterius noxam corporaliter plecti. Neque eo moveor, quod fidei iurones sub poena capitali ab ipsis interdictæ fuerunt. Vetari enim solent multa, non quod omnino injusta putentur, sed quod periculosa, ut fidei iurones mulierum omnes, aliorum etiam pro dote. Hoc ergo juris fuit civilis: quod cum cesset inter populos externos, ideo in obsidibus aliter ab ipsis Romanis observatum est. Quid quod tanto post Christiani Imperatores statuerunt, ut commentariensis, reo per familiæ suæ culpam carcere elapso, poenam ipsius ferret? L. ad commentariensem. C. de custod. reor. Quid quod hodie quoque, aut non ita pridem, nobiles juris magistri tradiderunt regulam hanc, Ne quis obligare se posset ad poenam capitalem, cessare si Lex aut consuetudo eum morem firmaverit?

Ad eas vero poenas quod attinet, quæ non consensum aliquem, sed solam personarum conjunctionem respiciunt, quamquam vetant leges Romanæ filium paternæ poenæ successorem constitui, aut ulla ob patris crimen macula notari, hoc ipsum tamen, non ab initio, sed ab eo tempore, quo Sp. Cassius tyrannidis damnatus est, obtinuisse notat Halicarnassæus. Quare nec ipsi quidem Romani hoc jus putarunt ex perpetua quadam & immutabili justitiæ regula descendere: quippe cum Arcadius & Honorius imperatores eorum qui Majestatem læssissent filiis vitam videri voluerint non ex juris necessitate sed Imperatoria lenitate concedere, cum aliqui, ut ipsi loquuntur, paterno debuisse perire supplicio. L. quisque C. ad L. Jul. Majest. Omitto jam quod mortem perduellium liberis irrogatam non à Tiberio tantum & Severo, sed & à Theodolio, ex historiis probari potest. Notandum præterea in eadem Arcadii & Honorii lege filiis perduellium auferri jus omne ab intestato, aut ex Testamento cuiquam succedendi, infamiam ipsis iniuri, vetari ne ad honores aut

Sacramenta perveniant: deinde addi: *sint postremo tales; ut his perpetua egestate sordentibus, sit & mors solatium & vita supplicium.* Exclusio ab honoribus circa liberos eorum, qui in Rempublicam peccassent, jampridem Romanis à Syllanis temporibus erat usitata. Ut autem scelera parentum filii sua egestate luant, Cicero ait & antiquum esse, & OMNIUM civitatum. Ac nominatim addit Themistoclis liberos eguisse. Quæ eo duntaxat adferuntur, ut appareat, non eum fuisse consensum gentium, quem pro se adducit Socinus: neque vero Romanos, quorum inter omnes populos conspicua maxime æquitas fuit, id discrimen respexisse in poenis quod pecunia possit fieri alterius, corporalis poena non possit. Nam nec egestas filiorum, nec infamia, nec ab honoribus exclusio potuit fieri parentum egestas, infamia aut exclusio ab honoribus, nisi forte per fictionem quandam, quæ patrem, & liberos pro uno eodemque homine habet.

Illud quoque mirari libet, quod de Zaleuci facti, cujus historia est apud Diodorum Siculum & Ælianum, ita pronunciat Socinus, ut dicat eum pessime audire, ejusque nomen inter impotentes & temerarios principes ac populorum iudices censeri. Antiquitas sane omnis Zaleucum, tum ob leges sapientissimas, tum & istius facti nomine maxime laudavit, ut & ex his quos dixi scriptoribus, & Plutarcho aliisque apparet. Neque puto ullum scriptorem veterem de eo facto aliter judicasse. In oculis est omnium Valerii Maximi sententia: *Nihil illis etiam justitiæ exemplis fortius. Zaleucus urbe Locrensi sum à se saluberrimis atque utilissimis legibus munita, cum filius ejus adulterii crimine damnatus, secunam jura ab ipso constitutum, utroque oculo carere deberet, ac tota civitas in honorem patris poenæ necessitatem adolescentulo remitteret, aliquamdiu repugnavit. Ad ultimum precibus populi evictus, suo prius, deinde filii oculo eruto, usum videndi utrique reliquit. Ita debitum supplicii modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento, se inter misericordem patrem & justum leg. statorem partitus.* Ac profecto si quemadmodum exfulandi, ita oculum sibi eruendi libera esset homini potestas, nihil posset isto Zaleuci facti præclarius reperiri. Præsertim cum legis præcisa obligatio aut propter ipsius principatum, aut propter populi consensum cessaverit. Erravit ergo Zaleucus, ut Pagani ferme omnes, quod jus sibi in corpus suum majus vero asseruit. Cæterum factum istud tantopere celebratum testimonium præbet contra notitiam illam, quam hominum mentibus impressam Socinus patat, non posse quenquam alieni delicti in se poenam suscipere.

Ut quæstionem hanc concludamus, non hoc quæritur, an cuilibet judici liceat cuius poenas quascunque alieni criminis infligere. Nam judicibus inferioribus Lex superiorum hanc potestatem adimit. Neque hoc quæritur, an summæ inter homines potestati in quavis poena, & in quemvis hoc ipsum liceat. Obstat enim interdum aut Lex divina, aut naturalis ratio: sed hoc proprie quæritur, an actus qui sit in potestate superioris, etiam citra considerationem delicti alieni, possit ab ipso superiore ordinari in poenam alieni delicti. Hoc injustum esse negat Scriptura, quæ Deum hoc sæpius fecisse ostendit, negat natura, quia vetare non probatur, negat aperte consensus Gentium. Et ut res nudior ponatur ob oculos, quis injustam putet decimationem usitatam in Romanis legionibus, ubi is qui deliquit & cui posset ignosci non minus quam alteri, punitur non pro suo tantum, sed pro omnium delicto? quis injustum putet, si summa potestate legem relaxante vir aliquis reipublicæ utilis, sed ob culpam exilium meritis, retineatur in Republica, alio tamen sponte sua se ad exilium obligante, ut exemplo satisfiat? quis injustum putet, si Reipublicæ summus rector honores, quibus sustinendis alii æque pares reperiuntur, perduellium liberis, aliqui non indignis, neget? Nihil profecto hic iniqui est. Nam in prima facti specie delictum puniti proprium, in secunda consensus validus ejus cujus res agitur, in tertia rectoris libertas permittebant id fieri, quo rector in poenam utitur. In facto nostro habuit Deus potestatem affligendi Christum innocentem ad mortem usque temporariam, fatente Socino, jure scilicet dominico. Habuit & Christus concessione divina, imo ut Deus ipse, potestatem, quam nos non habemus, in vitam & corpus suum. Ego, inquit Christus, *ἐξουσίαν*, hoc est jus & potestatem, *habeo ponendi animam meam*, Johan. 10. 18. Nihil ergo iniquitatis in eo est quod Deus, cujus est summa potestas ad omnia per se non injusta nulli ipse legi obnoxius, cruciatibus & morte Christi uti voluit ad statuendum exemplum grave adversus culpas immensas nostrum omnium, quibus Christus erat

conjun-

conjunctissimus, naturā, regno, vadimonio. Quod quam non modo iuste sed & sapienter à Deo sapientissimo ac iustissimo fuerit institutum, sequenti capite magis apparebit, ubi divini hujus consilii causam indagabimus.

CAPUT V.

An sufficiens causa fuerit quæ Deum moveret ad Christum pro nobis puniendam, & ostenditur fuisse.

Socinus lib. 3. cap. 1. noluisse Deum, ut Christus poenas pro nobis penderet, sæpe hoc argumento probare nititur, quod cur Deus ita vellet nulla causa appareat. Non utemur hic Jurisconsultorum perflugio, qui negant omnium, quæ à majoribus sunt constituta, rationem reddi posse: quam nobis hoc multo iustius quam ipsis patere debebat, cum humanæ voluntatis causas hominibus indagare ob communis naturæ non sit adeo difficile: divinæ autem voluntatis causæ ipsa sui sublimitate sæpe nos lateant. Quis mentem Domini novit, à consiliis ipsi quis fuit? Rom. 11. 34. Itaque sæpe sunt ἀνέγνωσις αὐτοῦ ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ, Rom. 11. 33. Addi poterat, sæpe voluntatem Dei ipsam sibi pro causa sufficere. Nam his exemptis quæ certam & ad unum determinatam rectitudinem in se continent, quæ Deus vult quia iusta sunt, hoc est quia naturæ suæ congruunt; in cæteris omnibus quæ vult, iusta efficit volendo. Sic, *cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, Rom. 9. 18. Sed ad ista nos confugere nihil necesse est, cum causas nobis sui consilii Deus ipse satis aperte patefecerit. Illud duntaxat præfari nos convenit, non recte Socinum postulare, ut talis causa reddatur, quæ evincat Deum aliter agere non potuisse. Talis enim causa in his, quæ libere Deus facit, non requiritur. Liberam autem esse hanc actionem qui dixerit, habiturus est ad stipulatorem Augustinum: qui non alium modum possibilem nos liberandi Deo defuisse, sed sanandæ miseræ nostræ convenientiorem modum alium non fuisse, nec esse potuisse proficitur. Sed & ante Augustinum Athanasius dixerat, ἡ δὲ ἡμεῖς καὶ μὴ ὁ ὁλως ἐπιδημιῶσα ὁ αὐτὸς μόνον εἰπὶν ὁ Θεὸς καὶ λύσαι τὴν κατὰ ἡμᾶς ἀλλὰ σκοπεῖν διὰ τὸ εἰς ἀνθρώπους λύσαι πλὴν, καὶ μὴ ἐν πᾶσι ἐξ ὁμοιότητος ὁ Θεὸς λογιζέσθαι. Eo autem iniquior est ista Socini postulatio, quod ne ipse quidem cruciatum & mortis Christi causas reddit, quæ aliquam secum necessitatem trahant. Nam ad sanctitatis viam nobis monstrandam poterant sufficere oracula & miracula: poterat & Christus sine morte, & mors sine Christo. Nam Prophetarum quoque & Apostolorum afflictiones & mortes: Christi quoque vita hunc usum abunde nobis præstare poterant. Potuit & Christus post vitam hic innocenter actam, ut Enoch aut Elias, in cælum sine morte transferri, & inde maiestatem suam terris ostendere. Hæ enim sunt causæ, quibus Christi mortem Socinus asseribit, ut cuius appareat, cum isto effectu nulla necessitate connexæ. Quod si ipsi sufficit causas allegare non cogentes, ut ita dicam, sed invitantes & suadentes, ut aliis secum disputantibus duriores legem ferat, æquitas non patitur.

Sufficientem autem causam & quidem gravissimam ex Scripturis assignare nobis non erit difficile, siue id queramus, cur Deus nobis remittere voluerit poenas æternas, siue cur aliter quam Christo punito remittere easdem noluerit. Prius illud causam habet in bonitate, quæ proprietatem Dei maxime Deo propria est. Ubique enim Deus semetipsum hoc maxime attributo describit, quod benignus sit & clemens. Exod. 34. 7. Johan. 4. 2. 2 Chron. 30. 9. Psal. 86. 4. & 14. Psal. 103. 8. cxi. 4. 5. cxlv. 8. Esai. 55. 7. Jerem. 31. 20. Joël. 2. 13. Luc. 6. 36. Rom. 11. 4. Propensius ergo est Deus ad juvandum beandumque hominem, at hoc non potest facere manente illa horribili æternæque poena. Accedit quod si mors æterna cunctis incumbet, felicitatis desperatione religio tota perierat. Magnæ ergo parcendi causæ. Altera ex parte causam Deo, cur Christo poenam imponeret, illā Scripturæ testimonia jam ante nobis adducta evincunt, quæ Christum ob peccata nostra traditum, passum, mortuum loquuntur. Hæc enim loquendi genera, ut ibi ostendimus, causam impulsivam notant. Ex his vero, quæ de fine diximus, intelligi potest, non modo causam fuisse aliquam, sed & quæ illa fuerit: nimirum quod tot & tanta peccata sine insigni exem-

plo transmittere Deus noluerit. Hoc autem ideo quia omne peccatum vehementer Deo displicet, eoque vehementius quod ipsum est gravius. Proverb. 11. 20. Psal. 5. 5. Esai. 66. 4. Rom. 1. 18. Zachar. 8. 17. Psal. 45. 8. Hebr. 11. 2. Cum vero Deus sit activus, & ratione utentes creaturas in id condiderit, ut suas proprietates magis testatas faceret, conveniens est illi, etiam quantopere sibi peccata displiceant, actu aliquo testari: actus autem ei rei convenientissimus est poena. Hinc est illud in Deo, quod quia aliud vocabulum significativius non suppetit, iram vocant Sacre Literæ. Exod. 32. 10, 11. Numer. 11. 1. 16. 22. xxv. 3. & seqq. Psal. 11. 5. vi. 1. Johan. 3. 36. Rom. 1. 18. xi. 8. Ephes. 5. 8. Coloss. 3. 6. Apoc. 5. 16. Hac ira Deus se impediri testatur, quò minus bene hominibus faciat. Gen. 6. 7. Jerem. 5. 25. Esai. 59. 2. Deuter. 32. 29. 36. Præterea omnis peccati impunitas per se hoc habet, quod efficit ut peccata minoris æstimentur, sicut contra ratio expeditissima arcendi à peccato est formido poenæ. Hinc illud, *Veterem ferendo injuriam invitat novam*. Ergo prudentia quoque hoc nomine rectorem ad poenam incitat. Augetur præterea causa puniendi, ubi Lex aliqua publicata est, quæ poenam minatur. Nam tunc ommissio poenæ feruæ aliquid detrahit de Legis autoritate apud subditos. Hinc illud Politicorum præceptum τὸς κειμήλιος νόμος ἀρχεῖς ἀφ' οὐλάτων. Gravissimæ ergo Deo causæ puniendi, præsertim si & magnitudinem & multitudinem peccatorum expendere libeat. Quia vero inter omnes Dei proprietates antelata amor humani generis, ideo Deus cum iuste posset & moveretur ad puniendam peccata omnium hominum digna & legitima poena, hoc est morte æterna, his qui in Christum credunt parcere voluit: parcendum autem cum esset, aut aliquod exemplum aut nullum adversus tot & tanta peccata statuendo, sapientissime eam viam elegit, qua plures simul ipsius proprietates manifestarentur, nimirum & clementia & severitas, siue peccati odium, legisque servandæ cura. Sic Zaleuci factum laudans Ælianus causas ejus refert duas, ἡ αὐτὸς νεανίσκος τυφλωθεὶς πάλως, & ἡ αὐτὸς ἀγροφθαεὶς ὃς ἀπὸ τῆς κεκυρωμένης: quarum causarum illa eo spectat, ut aliquid de lege mutetur per clementiam; hæc vero ne nimium mutetur. Notant qui de legum relaxatione scripserunt, eas esse optimas relaxationes, quibus annexa est commutatio, siue compensatio: quia scilicet eo modo & legis auctoritati minimum perit, & rationi ei quæ causa est legis aliquatenus mos geritur: ut si qui rem teneatur tradere pretium persolvendo liberetur. Proxima enim sunt idem & tantundem. Talis commutatio non modo inter res, sed interdum quoque inter personas admittitur, modo id fieri possit sine alterius injuria. Sic in carcerem filii patribus succedere permitti, ut Miltiadi Cimon. Et ne extra poenalia judicia, & quidem divina abeamus, existant similis facti expressa in Sacris Literis vestigia. Davidi homicidæ & adultero pronuntiatur Dei mandato à Nathane: *Tralatum est à te peccatum* (hoc est peccati poena) *non es enim tu moriturus* (quod alioqui Lex postulabat) *sed quia Dei immittis occasionem omni no dedisti Deo contentim obtrahendi, filius iste qui tibi natus est (tibi scilicet conjunctissimus, tuæque poenæ vicarius) omnino moriturus est.* 2 Sam. 12. 13, 14. Achabus & homicidio se & rapina inquinaverat: denuntiatur ei per Eliam Deus futurum, ut canes lingant ejus sanguinem. Verumtamen mox conspecto ipsius pavore, & quadam divini numinis reverentia, dixit idem Deus: *Non inducam malum illud* (quod scilicet & ipse meruerat, & ego eram comminatus) *diebus ejus. Diebus filii ejus* (qui scilicet præter suas, paternas quoque poenas feret) *inducam malum illud super domum ejus.* Utrobique Deus relaxat legem seu poenæ comminationem, sed non sine compensatione aliqua, ipsam poenam in alterum transferendo: atque ita simul & clementiam suam & severitatem siue peccati odium testatum facit. Sic ergo Deus creditur in Christum volens parcere, causas habuit sufficientes iustas magnasque, cur à Christo volente, poenas peccatorum nostrorum exegerit, nempe, ut verbis Æliani utar, ἡ αὐτὸς ἀγροφθαεὶς τὸ ἀπὸ τῆς κεκυρωμένης, & ne minoris penderentur peccata, si tot & tanta sine exemplo transmittentur. Adde quod hoc ipso Deus non tantum suum adversus peccata odium testatum fecit, ac proinde nos hoc facto à peccatis deterruit, (facilis enim est collectio, si Deus ne resipiscentibus quidem peccata remittere voluit, nisi Christo in poenas succedente, multo minus inultos finet contumaces) verum insigni modo insuper patefecit summum erga nos amorem ac benevolentiam: quod ille scilicet nobis pepercit, cui non erat ἀδιδόχα, punire peccata, sed qui tanti id faciebat, ut potius quam impunita omnino dimitteret, filium suum unigenitum ob illa peccata, poenis tradi-

tradiderit. Plane ut *ὡς συνέλαβεν* dictum est à veteribus, esse eam *ὡς συνέλαβεν νόμον*, *ὡς συνέλαβεν νόμον*, *ὡς συνέλαβεν νόμον* & *ὡς συνέλαβεν νόμον*, id de hac divina gratia sit verissimum. Supra legem est, quia nos non punimur. Pro lege, quia non omittitur poena: & ideo sit remissio ut in posterum legi divinæ vivamus.

His recte intellectis, concidunt omnia illa, quæ de causæ defectu objicit Socinus: ita ut per singula ire minime sit necesse. In quibus tamen non pauci notari possunt errores, ut cum capite primo libri primi, item libri tertii capite primo tradit justitiam punientem non residere in Deo, sed esse effectum voluntatis ipsius. Punire sane effectus est voluntatis: sed justitia illa sive rectitudo ex qua nascuntur tum alia, tum poenarum retributio, proprietas est in Deo residens. Scriptura enim concludit Deum esse justum, quia poenas reddit delictis, ex effecto causam colligens. Sed in hunc errorem inductus videtur Socinus, quod Dei proprietatem effectus quosvis esse credidit necessarios omnino, cum multi sint liberi, intercedente scilicet inter proprietatem & effectum actu libero voluntatis. Sic bonitatis Dei est effectus bona sua communicare. At hoc ante creationem non fecit. Eiusdem bonitatis est, parcere fontibus: at parcere Deum iis quos poenis æternis punit, vix quisquam dixerit. Sunt ergo quædam Dei proprietates quarum exercitium, tum quoad actum, tum quoad tempus & modum actus, imo etiam quoad objecti determinationem, pendet à libera ipsius voluntate, cui tamen semper præsidet sapientia. Neque ideo quia liber est Deo proprietatum istarum usus, dici potest cum iis utitur sine causa facere quod facit. Neque enim quia licuit Deo mundum non condere, ideo frustra mundum condidit: neque quia licuit Deo quosdam non punire (quod in iis præsertim, quorum Deus poenitentiam non expectat, verum esse fatetur Socinus) ideo cum eos punit, sine causa punit. Multa quippe libere fiunt, attamen ex gravi causa.

Alter error est supra quoque indicatus, quod Deum peccata remittentem plane idem vult facere quod homines, qui de jure suo decedunt. Ostensum est à nobis poenam non esse in dominio aut credito, aut illis per omnia posse comparari. Suum donare, creditum remittere, nunquam non per se honestum est. Per se cum dicimus, ea quæ adsunt *κατὰ συμβεβηκός* excludimus, qualis est ipsius donantis indigentia: quæ præterea in Deo locum non potest habere. At poenam remittere interdum non fuerit honestum: ne Deo quidem, ut Socinus agnoscit. Latum ergo hic discrimen est. Origo autem discriminis inde, quod juris dominici & crediti proximum fundamentum est relatio quædam rei ad personam: poenæ autem, relatio rei ad rem, nimirum æqualitas delicti cum nocimento aliquo, conveniens ordini & bono communi. Quare ne illud quidem verum est, quod ut certissimum posuit Socinus lib. 3. cap. 1. Rempubicam nihil commissuram injusti, si nocentem absolvat, nisi jus proprium privati aliqujus simul lædat, aut Dei legem infringat. Nam aut reipublicæ voce multitudinem intelligit eam quæ regit, aut eam quæ regitur. Multitudo quæ regitur, ut jus legum ferendarum, ita & temperandarum non habet. Multitudo autem quæ regit, ut senatus in statu optimatum, aut major pars comitiorum in statu populari, non plus potest quam alii summi rectores, puta in regno reges liberi & respectu familiæ patres. At justitiæ rectoris pars est servare leges positivas & à se latas, quod verum esse tam in universitate libera quam in rege summo probant Jurisconsulti: cui illud est consequens, ut rectori relaxare legem talem non liceat, nisi causa aliqua accedat, si non necessaria, certe sufficiens: quæ itidem recepta est à Jurisconsultis sententia. Ratio utriusque est, quod actus ferendi aut relaxandi legem non sit actus absoluti dominii, sed actus imperii, qui tendere debeat ad boni ordinis conservationem.

Illud quoque reprehensione indiget quod dicit Socinus lib. 3. cap. 10. præter Dei & ipsius Christi voluntatem non posse ullam legitimam causam reddi mortis Christi, nisi dicamus Christum meritum fuisse ut moreretur. Nam inest quidem in antecedente causa meritum, ut supra cap. 2. diximus, sed impersonaliter. Merebantur enim peccata nostra ut poena exigeretur. Quod vero poena in Christum collata fuerit, hoc ita ad Dei & Christi voluntatem referimus, ut ea quoque voluntas causas suas habeat, non in merito Christi (qui peccatum cum non nosset à Deo peccatum factus est) sed in summa Christi aptitudine ad statuendum insigne exemplum: quæ tum in maxima ipsius nobiscum conjunctione, tum in incomparabili personæ dignitate consistit. Socini autem illa collectio manifestis Scripturæ testimoniis refellitur. Cur

mortuus sit infans Davidis causa antecedens aperta redditur: quia David gravissime peccando occasionem impiis dederat contumeliose insultandi divino nomini. Est ergo hic meritum, sed non infantis. Et in Achabi posteritate punienda præter meritum proprium, respexit Deus ad merita peccatorum Achabi: unde apparet causam antecedentem poenæ esse quidem meritum, sed non semper meritum personæ quæ punitur.

CAPUT VI.

An Deus voluerit Christum punire: & ostenditur voluisse: simulque satisfactionis natura explicatur.

Absolutis duabus quæstionibus, An juste potuerit Deus Christum volentem ob peccata nostra punire, & An causa aliqua sufficiens fuerit cur id Deus faceret, restat tertia, An revera etiam hoc fecerit, aut quod eodem recidit, facere voluerit Deus. Id enim negat Socinus, tum alibi passim, tum ex professo lib. 3. cap. 2. Nos cum Scriptura defendimus, voluisse hoc & fecisse Deum. Traditus enim, passus, mortuus dicitur Christus ob peccata nostra, Roman. 4. 25. 1 Cor. 15. 3. 1 Petr. 3. 18. Esai. 53. 5. Imposita est Christo castigatio pacis nostræ. Deus coniecit in Christum peccata nostra, id est poenas peccatorum, quæ ita exactæ sunt, ut ipse eo nomine affligeretur. Tulit Christus peccata nostra, hoc est iterum, poenas peccatorum, Esai. 53. 5. 6. 7. 1 Petri 2. 24. Christus se peccatum fecit, & Deus Christum fecit peccatum & maledictum, hoc est, poenæ peccatorum obnoxium, Esai. 53. 10. 2 Cor. 5. 21. Galat. 2. 13. Christi sanguis effusus est in remissionem peccatorum, ita ut ea remissio non obtigerit sine sanguinis effusione, sed per eam, Matth. 26. 28. Hebr. 10. 22. & alibi passim.

Opponit hic multa Socinus: exempla quædam & promissiones ante Christum: dicta quædam de his, quæ per Christum se dare dixit Deus: vocem remittere & condonare, & ipsam liberalitatis naturam, ex quibus consequi arbitratur, velle Deum impunitatem nobis resipiscentibus concedere, nulla à quoquam poena eo nomine exacta.

Ad exempla indulgentiæ quod attinet (præterquam quod ex iis nihil universale recte concluditur) notandum est ea aut pertinere ad poenas temporarias, aut ad æternas. Si ad temporarias tantum, ut in Achabo, manifestum est discrimen. Nam, ut vulgo dici solet, quod differtur non aufertur. Adde jam quod in ipso Achabi facto, ut & in facto Davidis, contrarium ejus apparet quod inferre vult Socinus, illa ipsa pro se allegans. Poena enim temporaria ita ablata est à Davide & Achabo, ut in alios sit translata. Et in ipsa lege non remittuntur peccata, nisi fuso victimarum sanguine, ut infra explicabitur. Si vero de poenæ æternæ remissione agitur, nullo argumento probat Socinus, eam esse factam cuiquam citra respectum Dei ad Christum.

De promissionibus idem statuendum quod de exemplis: obiterque notandum, cum Deus resipiscentibus promittit gratiam se facturum poenarum temporalium, non id semper intelligendum de totis poenis, sed de tantis. Sæpe enim Deus etiam resipiscentes solet punire, sed paterne & leniter. Sic à Babylonica captivitate populum poenitentia ductum in patriam restituit Deus, sed pristinam libertatem & regni gloriam non reddidit. Ad poenas vero æternas quod attinet, nulla est remissionis promissio, quæ Christi respectum excludat. Huc pertinent illa Sacræ Scripturæ effata, quæ sine ullo temporis discrimine Christum ostendunt pro omnibus gustasse mortem, dedisse se *λύτρον* pro omnibus. Hebr. 2. 9. 1 Timoth. 2. 4. multoque magis illa, quæ per comparisonem aditam omnem temporis restrictionem repudiant, ut cum omnes dicuntur peccasse, & justificari per redemptionem in Christo Rom. 3. 23. & cum per unum Christum ita dicitur in omnes (quotquot scilicet justificantur) venisse justitia, quemadmodum per unum Adamum in omnes venit condemnatio. Rom. 3. 12. 15. 17. 18. 1 Corinth. 15. 22. Hinc est quod Christus dicitur agnus mactatus à jacto mundi fundamento, Apoc. 13. 8. quem locum à Socini interpretatione lib. 2. cap. 26. satis vindicant tum ipsa verborum series, tum similis Petri locus, ubi redemptio dicitur facta per sanguinem Chri-

Christi agni inculpati & immaculati, præcogniti ante jacta mundi fundamenta, manifesti autem facti ultimis temporibus, 1 Petr. 1. 19, 20. Quare alibi Christi mors dicitur intercessisse ad redemptionem etiam earum transgressionum, quæ sub priore pacto fuerant Hebr. 9. 15. & per sanguinem ipsius iustitia Dei demonstrata dicitur ob dissimulationem peccatorum præcedentium, quæ Deustolerasse interim & sustinuisse ostenditur, ipsa iustitiæ demonstratione in Christi tempus dilata, Rom. 3. 25. Accedit illustris ille ad Hebræos locus 9. 25. & seqq. *Non ut sapius offerret seipsum sicut principes Sacerdos in sacrarium intrat quotannis cum alieno sanguine (alioqui oportuisset eum sepe passum fuisse à jacto mundi fundamento) sed nunc semel in consummatione sæculorum ad peccatum per immolationem sui ipsius è medio tollendum factus est manifestus. Et sicut statutum est hominibus semel mori, deinde iudicium: ita & Christus semel oblati, ut sursum ferret multorum peccata, &c.* Cujus loci tota series si recte attendatur, & præsertim conferatur Petri ille locus 1 Petr. 1. 19. ubi de re eadem iisdem prope vocibus agitur, apparebit hoc differre Christi sacrificium à Levitico, quod hujus vis esset limitata annuo tempore, illius vero vis se per omnia sæcula extendat: quippe cujus passio apud Deum ante omne ævum pro peracta sit habita, et si re ipsa certo tempore peracta, & sic decretum Dei nobis apertissime sit revelatum. Ni vero ita esset, oportuisset Christum sæpius subire passionem, non postquam cœpit prædicare, sed ab ipsa mundi origine. Quæ voces nullam plane habent significationem, nisi vis mortis Christi ad omnia peccata se extendat, quæ ab ipsa mundi origine hominibus unquam remissa fuerunt: plane sicut iudicium post mortem ad omnia ea peccata se extendit, quæ vita durante homo commisit. Contraria vero Socini interpretatio lib. 2. cap. 26. non modo voces reddit inanes, sed argumentum quoque Scriptoris enervat. Non enim sequitur, posito Christum sæpius offerendum fuisse, debuisset eum pati non tantum sæpius, sed etiam sæpius à jacto mundi fundamento, nisi simul ponas Christum sæpius offerendum fuisse à jacto mundi fundamento. Hæc enim inter se connexa sunt. Quia non latius porrigitur effectus oblationis, quam immolationis dignitas. At offerri debuisset Christum sæpius à jacto mundi fundamento, posita, quam scriptor Epistolæ ad Hebræos oppugnat, paritate sacrificii Christi & Levitici, non aliunde sequeretur, quam quia effectus oblationis Christi ad ea peccata porrigitur, quæ à jacto mundi fundamento unquam sunt commissa & remissa. Nam si Levitico par esset (hoc est virtutis certo tempore limitatæ (certe à tempore, quo mortuus est Christus, efficacia ejus ad antiquissima peccata non posset pertingere, sed opus plane fuisse inter utrumque, tempus multos ejus generis actus interponi.

Ad ea nunc testimonia ut veniamus, quæ ad Christi & Novi Fœderis tempus Socino videntur proprie pertinere, dicit quidem Hieremias Deum propitium fore peccatis: sed non negat id, quod dicit Paulus, hanc propitiationem fieri in Christi sanguine: sive Christum à Deo respici, imo, omnes Prophetæ (in quibus & Hieremias) testimonium præbent, remissionem peccatorum per nomen, hoc est vim atque virtutem Christi accipi Actor. 10. 43. Et liberatio per Christum obtigisse nobis dicitur juxta fœdus illud quod cum Patribus Deus fecerat, & juxta ea quæ per Prophetas prænuntiaverat, Luc. 1. 68. 70, 71, 72, 73, 34. Baptista quoque divino mandato poenitentia ductis remissionem pollicetur, eamque propter viscera misericordiæ Dei nostri: sed idem Christum esse dixit agnum qui tollat peccata mundi, per mactationem scilicet, quod exprimit Apocalypsis, aut per sanguinem, ut Petrus loquitur. Quibus locis Agni itidem facta mentio clare monstrat quo Baptista respexerit.

Vox remittendi, quam urget Socinus, in Græco est ἀφίστασις, quod vetus interpretes ἡμιπρόσθετος transtulit dimittere. Supra autem ostendimus neque Græcæ, neque Latinæ vocis eam esse vim, quæ juris proprii cessionem omnimodam necessario includat, cum origo & primitiva vocis significatio opposita sit τὸ παρατείνειν, quod est retinere, aut adducere: unde porro similitudine quadam tum ad poenas, tum ad credita transferri cœpit. Nec ad illa tantum, sed & alia. Nam ἀφίστασις Græci vocant etiam rei infantis in iudicio factam absolutionem. Ostendimus etiam supra quantum intersit inter remissionem crediti & remissionem poenæ: & in poenæ remissione, quæ à rectore fiat, nullam esse juris talis proprii ac privati, quale Socinus indicat, dominii scilicet absoluti aut crediti, abdicationem. Hæc igitur illinc peti possunt. Nunc illud duntaxat addendum est, non esse verum quod vult Socinus, remissionem pugnare cum quavis solutione antecedente. Quod ut in-

telligatur, descriptionem quandam ponemus remissionis debiti, quæ species illas duas, nempe crediti & poenæ, sub se contineat: idque juxta ejus vocis usum tum in jure civili, tum in sermone communi. Remittere ergo debitum est actus aut creditoris aut rectoris, poenæ seu crediti obligatione reum liberantis. In gratiam eorum, quibus minus sunt cognita juris vocabula, explicationem fusiolem adhibebimus. Obligationis destructio in jure liberatio dicitur. Hanc præcedere potest solutio, sequi non potest. Quia actus nullus versari potest circa id quod non existit amplius. Contingit ergo liberatio, interdum antecedente solutione aliqua, interdum citra omnem solutionem. Sed alia solutio ipso facto liberat, alia non ipso facto. Ipso facto liberat solutio rei plane ejusdem quæ erat in obligatione. Perinde autem est ipse reus solvat, an alius pro eo hoc animo ut ipse liberetur. Quod ideo notandum est, quia si alio animo alius idem solvat, liberatio non contingit. L. si poenæ. L. in summa. D. de cond. indeb. L. Cassius. D. de solut. Ubi ergo idem solvitur aut à debitore, aut ab alio nomine debitoris, nulla contingit remissio. Nihil enim circa debitum agit creditor, aut rector. Quare si quis poenam pertulerit quam debet, liberatio hic erit, remissio non erit. Ac talis liberationis professionem in jure crediti proprie ac stricte ἀνχλω vocant Jurisconf. L. Si accepto parag. 1. D. de Acceptil. Alia vero quævis solutio ipso facto non liberat, puta si aliud quam quod in obligatione est, solvatur. L. 1. parag. 2. D. de reb. cred. Sed necesse est actum aliquem accedere creditoris aut rectoris, qui actus recte & usitate remissio appellatur. Talis autem solutio quæ aut admitti aut recusari potest, admissa in jure, speciale habet nomen satisfactionis, quæ interdum solutioni strictius sumptæ opponitur. L. Satisfactio. D. de solut. Atque hinc vera causa petenda est, cur poenæ corporalis vicarius ipso facto reum, solvendo poenam, nequeat liberare: hoc enim accidit primo & per se, non quia alius solvit, (id quippe liberationem non impedit, dum ea sit solventis voluntas) sed quia solvit aliud quam quod est in obligatione. Est enim in obligatione afflictio ipsius qui deliquit: unde dici solet, noxam caput sequi. Quod in aliis quoque obligationibus ad factum mere personalibus videre est, ut in sponsalium contractu, & in obligatione operarum officialium. L. operæ. D. de operis libert. In his enim omnibus, si alius solvat, ipso facto liberatio non sequitur, quia simul aliud solvitur. Quare ut ex poena unius alteri liberatio contingat, actus quidam rectoris debet intercedere. Lex enim ipsum qui deliquit puniri imperat. Hic actus respectu legis est relaxatio sive dispensatio, respectu debitoris remissio. Liberatio vero citra solutionem, aut fit substitutione novæ obligationis, aut omnimoda ejus peremptione. Substitutione novæ obligationis quæ fit liberatio, novatio dicitur, & si persona debentis mutetur, delegatio. Illa autem liberatio, quæ citra ullam solutionem debitum plane perimit, si circa creditum verbis quibuscumque solennibus peragatur, in jure civili acceptilatio dicitur. Circa poenam autem nomen proprium (quod solutionem qualemcumque & quantumcumque necessario excludat) non habet, sed communi nomine vocatur, gratia, venia, indulgentia, abolitio. Bis ergo fallitur Socinus, cum ad eam remissionem quam nobis Deus concedit, desumptam ex jure vocem acceptilationis applicat. Primum enim illa vox, etiam cum solutio nulla accessit, ad jus crediti aptari potest, ad poenas nec potest, nec solet. Nemo enim unquam legit ab ullo veteri scriptore indulgentiam criminum acceptilationem vocari. Nam accepto fertur ea res quæ accipi potest. At poenam corporalem rector revera exigit, sed non accipit, quia nihil ex poena ad ipsum proprie pervenit. Deinde vero acceptilatio opponitur qualicumque solutioni: unde figurate definitur, solutio imaginaria. At Christus λύτρον dedit vitam suam pro nobis, Matth. 20. 28. Et pretio empti, hoc est, solutione aliqua liberati sumus, 1 Cor. 6. 20. & 7. 23. de quo infra latius. Non est ergo hic acceptilatio. Non est etiam solutio rei ipsius debite, quæ ipso facto liberet: nostra enim mors & quidem æterna erat in obligatione. Non est etiam novatio aut delegatio. Neque enim post nos liberatos aliud simile debitum aut debitor alius succedit: sed est remissio antecedente satisfactione: quæ inter se pugnare male arbitratr Socinus, cum contra omnis satisfactio (hoc est solutio recusabilis) ideo admittatur, ut remissioni sit locus. Cum vero dicimus satisfactionem antecedere, id intelligendum est aut actu ipso, ut in peccatis Christianorum contingit, aut in decreto certo & irrevocabili, ut in peccatis sub lege commissis & remissis. Quod enim Deus facere decrevit, pro jam facto habetur, & dum debitum vere solvatur, nihil refert quo tempore id fiat, præsertim apud

eum, qui omnia quæ certo futura sunt compertissima habet, & ea tanquam præsentia perpetuo videt atque intuetur, quæ est ipsius Socini confessio lib. 2. cap. 26. Quæ ergo adfert Socinus, ut probet non posse satisfactionem sequi post remissionem, aut omnino simul contingere, neque vero hic ullam esse novationem aut delegationem, item liberationem esse aliquam posse, ubi non sit remissio, frustra dicuntur, neque ad nostram quæstionem pertinent. Illud vero quod dicit, satisfactione omnino & statim tolli debitum, ad rem quidem pertinet, sed verum non est, nisi satisfactio contra juris ulum sumatur pro ipsius rei quæ debetur, ab ipso qui debet, facta solutione: de qua nos non agimus. At ubi alius solvit pro debitore, & ubi aliud solvitur quam quod debebatur, hic ad liberationem duplex actus voluntatis requiritur. Nam & qui solvit hoc velle debet ut debitor liberetur, alioqui non contingit liberatio, ut supra ostendimus, & alterius rei pro altera solutionem debet creditor aut rector velle admittere. Quare cum unusquisque actui ex sua voluntate pendenti legem possit imponere, sicut id quod pure debetur, novari potest sub conditione. L. quoties. D. de Novat. ita etiam possunt, is qui solvit pro alio, & is qui rei alterius pro altera solutionem admittit, pacisci, ut aut statim sequatur remissio, aut in diem, item aut pure aut sub conditione. Fuit autem & Christi satisfaciens, & Dei satisfactio admittentis hic animus ac voluntas, hoc denique pactum & foedus, non ut Deus statim ipso perpeffionis Christi tempore pœnas remitteret, sed ut tum demum id fieret, cum homo vera in Christum fide ad Deum conversus, supplex veniam precaretur, accedente etiam Christi apud Patrem advocacy sive intercessionem. Non obstat hic ergo satisfactio, quo minus sequi possit remissio. Satisfactio enim non jam sustulerat debitum, sed hoc egerat ut propter ipsam debitum aliquando tolleretur.

Voci remissionis, per se inefficaci, fulcrum addit Socinus ex parabola Matth. 18. idque duplici argumento, primum quod Deus comparetur Regi pecuniam debitam servulo remittenti, nulla addita cujusquam satisfactionis mentione: deinde quod nos tacite jubeamur idem facere quod Deus: minime vero nos oporteat ita in nos delinquentibus ignoscere, ut pœnas ab amicis ipsorum expetamus. Sed facilis est responsio, comparisonem ultra id tendi quo respicit: quod in omni argumento à similitudine ducto vitiosum est. Confert se Christus furi, nos vero quæstori de alieno largienti: non quod aut ipse rem alienam subtrahat invito domino, aut quod nos idem facere oporteat: sed se quidem furi, quod superveniat improvisus: nos vero quæstori isti, quod nos de nostro facere oporteat id quod ille fecit de non suo. Sic in ista parabola Matth. 18. commendatur nobis benignitas in proximum, quia Deus in nos benignus sit. In hoc conveniunt rex ille in parabola & Deus, quod benigni sint in eos qui longe infra se sunt positi. Hanc benignitatem Deus testatur pœnas remittendo: rex ille remittendo pecuniam debitam. Ut aliud debendi genus, ita & aliud remittendi. Disconvenit quidem in eo Rex & Deus, quod Rex citra satisfactionem, Deus non citra satisfactionem remittit: sed in eo sita non est comparatio. Ratio quoque est alia. Nam de credito, quod jus ad utilitatem creditoris comparatum est, statuendi quisque habet liberrimam potestatem: & quo minus exigit, eo est liberalior. Exigendo autem nullum actum virtutis exercet. At de pœna, quæ ad bonum commune & ad ordinem pertinet, habet quidem rector potestatem, sed quæ in infinitum non exeat. Et cum pœnam exigit, virtute quadam utitur, quæ dicitur justitia *δίκαιοσύνη*, ut supra ostendimus. Ad alteram vero comparisonem quod attinet, quæ inter Deum & nos in parabola *ἐπιουσίᾳ* instituitur, nihil aliud inde inferri potest, quam æquum non esse ut duriores simus in parem, quam Deus tanto superior est in nos miseros homunciones. Hinc sequitur, non debere nos magis vindictam expetere quam pœnam Deus expetat. Deus autem nos à pœna liberavit. Debet ergo & nobis abesse vindictæ cupiditas. Quomodo autem Deus istam liberationem peregerit, ibi non dicitur, nec ad institutum pertinet. In eo enim non similitudo est, sed dissimilitudo. Deus enim judex est: nos privati. Judici convenit sollicitum esse de exemplo: privatos ea cura non spectat. Judicis officio continetur puniendi potestas: eadem privatis adempta est. Quod si nimium prematur ista comparatio (ut fit à Socino) sequeretur homines quoque judices non debere à fontibus ullis pœnas exposcere.

Remissionis vocem non satis esse validam ad omne genus solutionis sive satisfactionis excludendum, Socinus aliquatenus agnoscens, aliquanto plus subsidii sperat ab altera voce

χαρίζεσθαι, quam in hoc argumento Paulus ter usurpat Coloss. 2. 13. & 3. 13. & Ephes. 4. 31. cujus vocis non aliam esse vim supra indicavimus, quam ut aliquod beneficium præsertim vero indebitum ea indicetur. Quod vero Socinus ut certissimum ponit, ad ejus vocis significationem hoc quoque requiri, ut quisquam sibi aliquid adimat, suoque se commodo privet, id plane verum non est. Ut enim omittam omnia illa, quæ *καὶ τὸ χαρίζεσθαι* & *Θεὸς* passim in Scripturis occurrunt, sicut inter alia, exempli causa, cum nobis dicitur *χαρίζεσθαι* in Christum credere & pro Christo pati: *Ἰησοῦν τὸ βλέπειν*: Numquid id cum faceret ullo se privavit commodo: Hominem infontem in gratiam cujusquam qui condemnat, is illum ipsum hominem dicitur alteri *χαρίζεσθαι*. Actor. 25. 11. & 16. qui tamen proprius damnantis non erat. Paulus Apostolicæ animadversionis severitatem in reum incesti distrinxerat, non ipse læsus, neque ullo suo commodo. Hanc remittens *χαρίζεσθαι* se dicit 2 Corinth. 2. 10. Corinthios quoque admonens, ut eundem hominem in pristinae amicitiae jus admittant, hoc quoque *χαρίζεσθαι* appellat. ibid. 7. & 10. Ex his aliisque plurimis tum Novi Testamenti, tum aliorum quoque scriptorum locis liquido apparet, ad vocis *χαρίζεσθαι* significationem sufficere, ut ad patientem aliquid commodi non debiti perveniat, etiamsi agenti nihil decedat. Accedit quod supra ostendimus, rectorem in pœna nihil proprium atque privatum à se abdicare: idque in hoc argumento eo est manifestius, quia non Deo tantum tribuitur *χαρίζεσθαι*, sed & Christo, Ephes. 4. 32. At peccati injuria proprie in Deum fertur, ita ut si eo nomine Deus remittens peccata dicendus sit suum sibi adimere, idem tamen de Christo qua mediatore dici nequeat. Neque magis verum est quod ex illo ante posito deducit Socinus, nempe *καὶ χαρίζεσθαι* pugnare omnino cum satisfactione quavis. Neque enim pugnat cum ea quæ & libere admittitur cum posset repudiari, & ad quam is qui beneficio afficitur, nihil ipse contribuit: quorum utrumque accidit in Christi pro nobis satisfactione. De Latina voce condonare, cum eo sermone nihil scribi curaverit Spiritus Sanctus, frustra solliciti sumus. Quod si tamen hæc quoque in Sacris Literis appareret, tamen cum in pœna donatio proprie dicta locum non habeat, neque inutilata sit ejus vocis translatio, nihil hinc quoque inferri posset contra satisfactionem, quando condonari, quemadmodum & remitti aliquid recte dicitur, etiam ubi solutio accedit, sed talis quæ sine actu voluntatis vim non habeat pariendam liberationis. Nam & principes cum capitalium criminum reis veniam concedunt, solent & multæ aliquid, & publicam quandam culpæ deprecationem illis indicare. Neque tamen eo minus condonare dicuntur crimina. Quanto ergo justius ea vox hic usurpari poterit, ubi requisita satisfactio à nobis non procedit, sed liberatio contingit plane gratis quoad nos, etsi non gratis absolute: quod Scriptura indicat, cum justificatos nos dicit gratis, & confestim addit *ἀλλὰ τὸ ἀπολυτρώσεως ἵ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*, & quæ sequuntur. Rom. 3. 24. Certe cum Scriptura non uno loco redemptos nos dicat, & quidem pretio, & Christum se, aut carnem suam dedisse ad nos liberandos, harum vocum vim omnem evertere, condonationis *ἡ ἱστορία*, supra quam usus vocis desiderat, urgendo, æquitas nulla patitur.

Ad aliud vero Socini argumentum, quod ab imperata nobis Dei & Christi *ὡς τὸ χαρίζεσθαι* imitatione depromitur, nihil aliud opus est responderi, quam quod ad parabolam Matth. 18. jam diximus: imitandum nobis proponi rem, non omnem modum rei. Res est ipsa benignitas, etiam post peccatum: & ex hac sequens remissio, sive (si ita loqui libet) condonatio: modus diversus: in Deo antecedente satisfactione: in nobis sine illa. Neque mirum, cum judex sit Deus, nos privati. Quod si quis rem subtilius intueatur, reperiet forte, ne ab ea quidem quæ nobis præcipitur, condonatione, omnem omnino satisfactionem removeri, sed eam duntaxat, quæ pro ratione personæ, pariter scilicet, non superioris, modum superet. Nam ipsa culpæ confessio & deprecatio (quam expeti non vetat Christus. Luc. 17. 4. 5.) adeo à satisfactione non abhorret, ut hoc ipsum Latini elegantiores proprio quasi vocabulo, satisfacere appellent. Sic & Paulus vocem *χαρίζεσθαι* de Corinthio usurpat, cum tamen præcessisset *ἐπιτιμία* *κατὰ τὸ πνεῦμα*, 2 Corinth. 2. 7. Et proximis post Apostolos sæculis scimus lapsis publice pacem (quam vocabant) Ecclesiæ non datam, nisi post quosdam demissionis actus publicos, quos propterea satisfactiones vocabant.

Ducta à liberalitate ratio fragili fundamento innititur. Nam ut ante ostendimus, ea virtus, qua Deus in remittendis peccatis utitur, non est liberalitas, sed clementia, quam

Seneca recte definit lenitatem superioris adversus inferiorem in constituendis poenis : Cicero nomen generis pro specie ponens , hanc ipsam clementiam lenitatem vocavit , eamque definiit , justitiam positam in moderatione animadvertendi ; justitiæ nempe voce tam late sumpta ut & pietatem & fidem & amicitiam complectatur . Hæc ergo clementia ad eam virtutem pertinet , quam Aristoteles in Ethicis vocat *πραότης* . Est enim clementia *ἡ ἀρχὴ τῆς πραότητος* . Multum autem disjuncta sunt *πραότης* & *ἐλευθεριότης* . Scriptura hanc Dei clementiam nomine aliquanto generaliore vocat *ρησότης* , Rom. 2. 4. & xi. 22. Tit. 3. 4. *ἐλευθεριότης* autem nunquam . Imo quod amplius est , vox *ἐλευθεριότης* five liberalitatis ne in aliis quidem rebus quæ dari & accipi solent , de Deo usurpatur : sed hæc quoque virtus charitas potius Dei dicitur . Quia liberalitatis proprie est ita dare aliquid , ut danti pereat . Quod autem Socinus magna sermonis intemperantia perpetuam Ecclesiæ sententiam impietatis damnat & sacrilegii , ideo quod ipse , ut dicit , duplicem agnoscat Dei liberalitatem , nos autem simplicem duntaxat , in ea re magnam veritati injuriam facit . Nam duplicem Dei non liberalitatem (ea enim vox ab hoc argumento aliena & Scripturæ inusitata est) sed beneficentiam , nostra quoque sententia agnoscit , & quidem majorem multo quam ista nuper nata Socini opinio . Prior est beneficentia , quod cum Deus magno odio contra peccatum incitaretur , possetque tam nobis parcere omnino nolle , quam peccatoribus Angelis parcere omnino noluit , tamen ut nobis parceret , non modo solutionem talem , quam admittere non tenebatur , admiserit , sed ipse quoque ultro eam repererit . Hoc certe beneficium multo est majus atque illustrius , quam si Deus plane judicans nihil referre exemplum statueret aliquid nec ne , peccata nostra reliquisset impunita , quod vult Socinus . Non ergo clementia Dei poenæ solutione evertitur , cum talem solutionem admittere multoque magis invenire ex sola clementia processerit . Altera beneficentia est , quod Filium suum sibi charissimum , imaginem sui , & (si ita loqui licet) alterum se , morti dederit , non tantum ut doctrinæ veritati testimonium redderet , & sic ad resurrectionem perveniret (intra quæ sistit se Socinus) verum vel imprimis ut eam solutionem five satisfactionem perageret , poenas peccatorum nostrorum ferendo : in qua profecto parte fateri debet Socinus , multo se Christo minus debere velle quam nos debeamus : imo & Dei charitatem à nobis majorem prædicari , vel hoc evincat , quod beneficia non ex solo impendio , sed præcipue ex utilitate , quæ ex impendio ad beneficio affectum manat , par est æstimari . Nos autem præter utilitates quas nobiscum Socinus confitetur , unam eximiam , quam ille abnegat , grato animo agnoscimus . Neque dicimus à Deo impensum esse Filium , ut ipse Deus suum reciperet , ac sic Deum sordidum facimus , quod nobis exprobrat Socinus , sed ideo id factum à Deo dicimus , ut peccati meritum suumque adversus peccata odium palam testata faceret , & simul , quantum ejus nobis parcendo fieri poterat , rerum ordini , legique suæ authoritati consuleret . Neque illud minus iniquum , & , ut ipsius voce utar , immane est , quod à nobis immanem Deum dicit statui . Nam finis iste satisfactionis superadditus nihilo graviores Christi perpeffiones facit : quas sine ulla crudelitate ipsi à Deo inflictas Socinus cogitur fateri . Imo quo fines sunt plures , eo à crudelitatis specie longius absceditur . Nam crudelis est qui frustra aut levi de causa aliquem torquet . Adde jam quod finis hic satisfactionis five poenæ ferendæ , multo apertius , imo multo etiam certiore nexu cum morte Christi coheret , quam isti fines quos agnoscit Socinus . Nam testimonium doctrinæ satis atque abunde præbere poterant miracula : gloria quoque cœlestis conferri Christo non interveniente morte facile potuit . At poenæ luendæ mors , talis præsertim , proprie accommodata est , & poena ipsa pariendæ liberationi .

Quamquam vero hætenus ostendimus Christi poena Deo satisfactum , negare tamen nolumus vim satisfactionis esse etiam in ipsa Christi actione . Solet enim sæpe etiam actio grata admitti velut in poenæ compensationem . *Beneficium superveniens* , inquit Seneca , *injuriam apparere non patitur* : De benef. lib. 6. cap. 5. quo loco ostendit reddere esse rem pro re dare , & solutionem non idem solvi , sed tantundem . Quamvis autem beneficium accipere Deus *ἀνεδέχθαι* non potest , ipsius tamen summa bonitas quaecunque obsequium quasi pro beneficio accipit . Sic Achab poenam temporalem lucrificavit Deum suppliciter venerando . Neque tantum sua actio alicui ad impunitatem solet prodesse , sed & alterius , quicum ipse conjunctus est . Sic posteris Davidis propter ipsum Davidem

poena remissa est , 2 Reg. 8. 19. Non tantum ob promissiones Davidi factas , verum etiam quia Davidis actiones Deo benigne eas æstimanti placuerant , 1 Reg. 11. 13. 2 Reg 8. 19. & x. 6. Sic Æschylum narrat Ælianus à poena liberatum , quia frater ipsius Amyntas pro patria fortiter fecisset . Sic apud Romanos Tito Quinctio accusator profuit patris Cincinnati memoria . Livius de Appio , *majorum merita in rempublicam commemorabat , quo poenam deprecaretur* . Plautio Laterano (inquit Tacitus) *mors remittitur ob patrui egregium meritum* . Et in universum Sallustius : *Si deliquere , vetus nobilitas , majorum facta fortia præsidio adsunt* . Cicero : *Oportebit eum , qui sibi ut ignoscatur postulabit , majorum suorum beneficia , si qua extabunt , proferre* . Quintilianus : *Periculi autem commendans merita majorum* . Sicut autem opera temporaliter bona valent ad temporalem impunitatem , ita Christi opus perfecte & spiritualiter bonum ad liberationem à poena æterna valuit . Quo illud spectat : *Per obedientiam unius , justis constituuntur multi* , id est justificantur , contra Socin. lib. 2. cap. 25. habentur quasi fontes , Rom. 5. 19. Et alterum : *Propter nomen ejus* (Christi scilicet , solius enim Christi , non autem Dei mentio præcesserat , fatente Socino , ac præterea hoc ipsum evincit similis sententia Actor. 10. 43.) *remittuntur nobis peccata* . 1 Johan. 2. 12. Certum enim est hac phrasî *propter nomen alicujus* , denotari causam impulsivam : neque ullo Scripturæ loco diversum Socinus evicerit . Quod vero de satisfactione jam diximus , eam primo quidem poenæ , deinde vero ipsi etiam actioni obsequiosæ tribui , idem de placatione Dei , de redemptione nostra , & de expiatione intelligi debet , ad quæ explicanda jam accingimur .

CAPUT VII.

De placatione & reconciliatione per Christi mortem facta.

N Equis arbitretur de sola voce disputationem institutam , satis cavet ipse Socinus , cum passim profitetur , à se non vocem nudam satisfactionis , sed rem ipsam ea voce expressam oppugnari lib. 2. cap. 26. Itaque hæc omnia , Christus morte sua nobis Deum reconciliavit , Christus nos è manibus justitiæ divinæ sanguinem suum redemptionis nostræ pretium illi dans liberavit , Christus scelera nostra sua obedientia compensavit , Christus ut remissionem peccatorum nobis Deus largiretur digne commertus est , Christus vitæ jactura Dei iram nobis placavit , non minus quam ipsam satisfactionis vocem repudiat . Neque tamen si de voce instituta esset disputatio , æquum foret Ecclesiæ Scripturas interpretandi libertate fraudari , in qua hoc quoque est comprehensum , ea quæ aut Prophetæ Hebraicis , aut Apostoli Græci , vocibus , Hebraismum plerumque aut Syriasmum redolentibus , elocuti sunt , in alios sermones quam commodissime transferre , aut quæ ad idem argumentum pertinentia diversis locis tradidit Scriptura perspicuo verborum compendio in summam redigere . Sic quod Scriptura dixit ob peccata morti traditum Christum , & peccata , id est peccatorum poenas tulisse , fufumque sanguinem ad remissionem peccatorum , Latine & significanter exprimitur satisfaciendi vocabulo . Nam ea dictio in Jure & usu communi significat facti alicujus aut rei exhibitionem , ex qua non quidem ipso facto , sed accedente voluntatis actu liberatio sequatur : soletque non tantum in pecuniariis debitis , sed & in delictis hoc sensu usurpari : quod linguae ex Romana depravatæ appellant , aliquem contentare . Ut autem appareat idem valentes locutiones , imo illas ipsas , quas rejicit Socinus , in Sacris Literis reperiri , ad ea quæ supra in prima sententiæ hujus explicatione ex sacro codice deprompta sunt , addemus aliqua quædam testimonia , ea que referemus ad classes quatuor . Prima classis erit earum locutionum , quæ iræ aversionem designant . Altera eorum , quæ liberationem per redemptionem seu pretio dato factam indicant . Tertia earum , quæ subrogationem innuunt . Quarta earum , quæ morti Christi vim adscribunt sacri expiatorii .

Ad primam classem ut accingamur , notissimum est , iram alicujus avertere , id dici Græce *ἀλάσκειν* , *εἰρηνοποιεῖν* , *καταλάσσειν* , *ἀποκαταλάσσειν* , Latine placare , pacare , conciliare aut reconciliare , item propitiare . Tum actus ipse , tum id quo proprie actus peragitur , Græcis *ἰλασμός* , Latinis placamen dicitur . In Deo ira , ut supra diximus , appellatur *ὀργή* .

πομπῶς puniendi quasi affectus: quam Apostolus ait retegī sive revelari cœlitus in omnem impietatem atque injustitiam hominum, ut qui veritatem in injustitia detineant, hoc est cognitis Dei mandatis reluctantur. Nemo autem excipitur, cum omnes simus natura filii iræ, hoc est iræ divinæ obnoxii. Hæc ira super quosdam manet, Johan. 3. 36. Super quos non manet, ab iis avertitur. Hanc averfionem Christus sua morte impetrat, ideoque placamen rectissime dicitur. Sic cum bis appellat Johannes Apostolus, cum dicit: *Si quis peccavit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum illum innocentem: Et ipse est ἱλασμός pro peccatis nostris: neque vero pro nostris tantum, sed & pro peccatis totius mundi*, Epist. 1. cap. 2. vers. 2. Item: *In eo sita est dilectio, non quod nos Deum dilexerimus, sed quod ipse dilexerit nos, & Filium suum miserit ἱλασμένον pro peccatis nostris*, cap. 4. vers. 10. Cum quo loco conferendus est iste Paulinus; *Commendat Deus suam charitatem, quod cum peccatores adhuc essemus Christus pro nobis est mortuus*, Rom. 5. 10. Uterque enim tam Paulus quam Johannes eodem argumento probant, non priores nos dilexisse, sed dilectos à Deo: & quod Paulus dicit mortuum esse, hoc Johannes vocat placamen esse factum. Addendus præterea locus ille Pauli: *Iustificamur gratis per redemptionem in Christo Jesu, quem Deus proposuit ἱλασμένον per fidem in sanguine ipsius*. Factus est ergo Christus ἱλασμός sive ἱλαστήριον in sanguine suo. Quod quid est aliud quam id ipsum quod negat Socinus lib. 2. cap. 20. placatum à Christo Deum? Nam quod ἱλασμένον apud Johannem expiationem interpretatur, expiationis autem voce peccati destructionem intelligit, id facit nulla de causa, nullo munitus exemplo. Ἰλασκεῖν apud Græcos scriptores omnes, poetas, historicos, alios, est placare, soletque construi cum accusativo designante personam, cujus ira avertitur. Nec aliter apud LXX interpretes, & Luc. 18. 13. usurpatur. Uno duntaxat loco, qui est Hebr. 11. 17. dicitur Christus summus sacerdos constitutus εἰς τὸ ἱλασκεῖν τὰς ἀμαρτίας τῆς λαῆς: ubi est enallage ex Hebraismo veniens ἱλασκεῖν τὰς ἀμαρτίας, cum usitate dici debuerit ἱλασμεῖν τὸν Θεὸν ἀπὸ τῶν ἀμαρτιῶν. Significat ergo ibi expiationem, sed eam quæ fit placando. Alioqui hic vocis usus nihil haberet commune cum natura vocis ac perpetua ejusdem significatione. Quare talem expiationem, qualem Socinus comminiscitur lib. 2. cap. 6. id est peccati destructionem, quæ fit sine placamento, ista quidem vox ἱλασκεῖν & inde derivata ἱλασμός, denotare non potest. ἱλαστήριον autem apud Paulum interpretatur Socinus id, in quo se Deus placatum ostendit. Non negamus posse hanc significationem voci congruere, ac tali aliqua ratione tegmen Arcæ apud scriptorem ad Hebræos vocari ἱλαστήριον. Contra Socin. lib. 2. cap. 2. Sed cum ejus terminationis vocabula proprie vim quandam effectivam, improprie vero declarativam indicent, à proprietate nos hic discedere nulla ratio patitur. Apparet enim Christum ita apud Paulum dici ἱλαστήριον, ut apud Johannem ἱλασμένον. At ἱλασμός omnino significat placamen, non placationis testimonium. Quare Scriptura Scripturam interpretante, vox quoque ἱλαστήριος de Christo active, non declarative exponenda est. Accedit quod hoc ipsum ostendit vox adjuncta sanguinis, cui placandi vis tribuitur: quia ἡμεῖς ἀμαρτηχοῦμεν & γίνεσθαι ἁφροῖς. Trita sunt,

Sanguine PLACASTIS ventos & virgine casa.

Et familia apud Poetas, de quibus infra accuratius agendi erit locus.

Contra Socin. lib. 1. cap. 3. Similis placandi vocis est vox καταλλάσσειν & ἀποκαταλλάσσειν, conciliare sive reconciliare, quam in hoc ipso argumento usurpat Paulus Rom. 5. 10. & 11. & 2 Corinth. 5. 18. & Ephes. 11. 16. & Coloss. 1. 20. Opponit Socinus scriptum esse, non Deum nobis conciliatum, sed nos Deo, idcirco quia non Deus nobis iratus, ideoque placandus, sed nos à Deo averfi fuerimus. Verum quod sibi sumit, eum reconciliari qui infesto sit animo, non autem ipsi alterum, id minime verum est. Nam reconciliandi vox, ut & pacandi vox, promiscue utrivis parti, tum quæ infensa est, tum quæ neutiquam aut minus infensa est, modo dativum, modo accusativum assignat. Idem ergo valet nos Deo conciliari & Deum nobis. Sophocles Ajace:

Αἶψ' ὕλαται τῷ Θεῷ τὸ κέρδιον Τροάης
Γνώμης, ἥτις ἐστὶν ὡς καταλλάχθ' ἤχολα.

Ubi Chorus id exprimit, quod ante Ajax dixerat,

Αἶψ' εἴμι Θεῷ πελαγὸς καὶ ὠκεῖος
Δειμῶνας, ὡς ἂν λιμὸν ἀγνισίας ἐμῆς,
Μῆνιν βαρύναν ἐξαλλόμεναι θεῶς.

Videmus hic manifeste καταλλάσσειν Θεοῖς, Diis conciliari,

idem esse quod iram ipsorum effugere. Et sane de hac rei conciliatione, hoc est, divinæ iræ averfione, aut certe etiam de hac agi, nemo negabit, qui locos ipsos modo citatos diligentius inspexerit.

Nam Rom. 5. Paulus suo more bis idem exprimens, quod ante dixerat, *pro impiis & pro peccatoribus mortuum esse Christum*, vers. 6. & 8. mox his verbis enuntiat, *cum hostes essemus reconciliatos nos Deo per mortem filii ipsius*, vers. 10. Esse autem hoc beneficium prius ipsa conversione, ex opposito membro apparet, si hæc inquit, ita se habent, *multo magis nunc iustificati per ipsum ab ira servabimur*, vers. 9. item, *multo magis reconciliati servabimur in vita ipsius*. A majori procedit Apostolica argumentatio. Si tam bonus erga nos necdum conversos Deus fuit, quis futurus erga conversos? Non potest hic vox conciliationis in membro priore conversionem denotare. Singulare enim aliquid in Christo Apostolus notat. Tale autem non est, peccatores convertere. Neque enim convertuntur unquam nisi peccatores: sed rarum planeque singulare est pro peccatoribus mori, & conciliare per mortem peccatores, cum paucissimi semper fuerint, qui pro amicis viris bonis mortem oppeterent vers. 7. Deinde conversio rectius vitæ Christi gloriosæ, quam morti fertur accepta. At reconciliatio ista morti tribuitur distinctæ atque discriminatæ à vita gloriosa, ut ostendit distinctionis τὸ ἀντίστροφον. Præterea ex posteriore beneficio quale sit prius datur intelligi. Posterior quod conversis contingit, est pacem habere apud Deum. vers. 1. *servari ab ira Dei*, vers. 9. & 10. Hoc ipsum appellat Apostolus, accipere reconciliationem, vers. 11. Quid hic est aliud accipere reconciliationem quam accipere remissionem peccatorum, ut Scriptura loquitur Act. 10. 43. & 26. 18. At conversionem accipere ignotum est loquendi genus. Si ergo in posteriore membro accipere reconciliationem est accipere peccatorum reconciliationem, ipsoque effectu ab ira sive à pœna liberari, in priore quoque membro reconciliari significationem habere debet ἀντίλογον: ut prius beneficium sit jus ad rem, posterius ejusdem rei exhibitio. Adde his omnibus, quod non possit, nisi incommodi aut inepte etiam dici charitas Dei ex eo colligi, quia nos ab odio Dei discesserimus. Nam etiamsi de conversionis nostræ beneficio agere voluisset Apostolus, erat id alia plane voce exprimendum, quæ non nostram, sed Dei actionem significaret. Nostra vero interpretatione nihil planius, nihil Apostoli proposito convenientius. Quod autem Socinus objicit, satisfactionis mentionem non esse hic appositam, imo charitatis laudem per eam imminui, vanum est. Non enim satisfactionis fit mentio quatenus pœna est, sed quatenus modus nos liberandi. Neque potest, ut supra probavimus, ulla ratione manifestius ostendi Dei charitas adversum homines, quam quod iratus, id est, pœnas expetens, nostræ tamen impunitati viam, Christo in id impenso, invenerit.

In loco 2 Corinth. 5. circa finem, ut in illo ad Romanos, duplicis invenitur reconciliationis mentio. Prior reconciliatio est qua Deus omnia, sive mundum sibi reconciliavit per Christum, sive in Christo. vers. 18. & 19. Posterior est ad quam Apostoli, ut ministri reconciliationis, quibus impositus est reconciliationis sermo, homines adhortantur Dei ac Christi nomine, vers. 18, 19, 20. Prior ergo illo non potest esse ipsa conversio. Est enim antecedens & materia præcipua ejus sermonis per quem fit conversio. Deinde Paulus ipse ostendit eam consistere in non imputatione peccatorum, id est in decreto non imputandi. Non imputare autem peccata & remittere idem valent. Rom. 4. 6, 7, 8. Quomodo autem hoc non imputandi decretum in Christo fundatum est? Dicit Paulus: *Eum enim qui peccatum non noverat pro nobis Deus peccatum fecit*. Quod objicit Socinus, non imputationem peccatorum pugnare cum isto reconciliandi modo per satisfactionem, caret ratione. Nam, ut supra explicatum est, præcedit satisfactio; sequitur deinde remissio sive non imputatio: ut jam taceam non absolute dici, Deum non imputare peccata, sed non imputare ipsis, hoc est peccatoribus. Posse autem & huic peccatum remitti sive non imputari peccatum & alteri ob exemplum imputari, sive alterum eo nomine affligi atque puniri, tum ex multis, quæ supra allegavimus, tum imprimis ex eo quod Davidi contigit, satis apparet. Neque vero quia non verbis ἀμείως cohærent, *Non imputans peccata*, Et: *Eum qui non noverat peccatum, peccatum fecit*, ideo non ad eandem rem ista pertinent. Conjunguntur enim ista inter se per voculas συνδιηκώς, καὶ ἡδ. Neque ullus novus, & ab hoc argumento alienus sermo intercedit: sed hoc dicitur, Deum beneficii à se præstiti legatos & ministros fecisse

fecisse Apostolos: in hoc scilicet missos per orbem terrarum, ut ejus beneficii fidem hominibus prædicatione sua inferrent. Ei autem fidei faciendæ argumentum validissimum est, à traditione Christi in mortem. Minime enim credibile est, voluisse Deum filium charissimum & innocentissimum tam graviter affligi, nisi egregio aliquo fine sibi proposito. Hic autem finis, proprius inquam & cum isto facto proxime coherens, Scriptura ubique & ipsa ratione aliquatenus *καὶ ἐπαρρησιάζει* testante, alius esse vix potest, quam impetrandum jus veniæ per antecedentem satisfactionem. Illud vero, *Reconciliamini Deo*, quanquam ex vocis natura potest significare, aut odium in Deum abjicite, aut accipite remissionem peccatorum, (per poenitentiam scilicet, ut ostenditur Marc. 1. 4. Luc. 3. 3. Act. 3. 19. & 5. 31.) ex rei tamen natura de qua agitur, posteriorem sensum rectius admittit. Neque enim solet infirmior rogari, ut potentior in gratiam recipiat: & illa Pauli verba exprimunt ipsum reconciliationis ministerium, quam reconciliationem jamjam non-imputatione peccatorum descripsit. Sic Christus ipse missum se dixit *καὶ ἡμεῖς ἀλλήλους ἀφαισιν*, Luc. 4. 19. & Apostolis præcipit *καὶ ὑμεῖς ἐν ὀνόματι αὐτοῦ ἀφαισιν ἀμαρτιῶν*, Luc. 24. 47. Sic ipse Paulus dicit se *καταργάσαι ἀφαισιν ἀμαρτιῶν*, Act. 13. 38.

Eph. 2. 16. scribitur de Christo, *ὅτι ἀποκαταλλάξῃ τὰς ἀμφοτέρους* (Judæos & Gentes) *ἐν ἑνὶ σώματι πρὸς Θεόν*. Hic dativus Θεῷ non potest regi nisi à verbo ἀποκαταλλάξῃ. Socini autem interpretatio, ut Deo hic per se subsistat, aut reconciliare Deo sit reconciliare ipsos inter se ut Deo serviant, distorta est, dura & sine exemplo. Neque valet argumentum inde ductum, quod eo loco Paulus proprie agat de pace facta inter Judæos & Gentes: neque enim sequitur ab hoc argumento alienam esse mentionem pacis quæ utrisque cum Deo comparata est. Duo enim diversa quæ junguntur, ita junguntur inter se, ut prius ac potius jungantur ipsi vinculo: neque enim junguntur inter se nisi per & propter vinculum. Amici ergo facti inter se Gentes & Judæi per amicitiam cum Deo. Ac mirum est hoc non agnoscere Socinum, cum dicat ipse Coloss. 1. 20, 21, 22. Apostolum instituto sermone de parta inter creaturas concordia, statim *καὶ ἡμεῖς* subjicere mentionem reconciliationis ejus qua homines amici Deo sunt facti, & quidem interjecta voce *καὶ*, quæ non solet res nullo modo coherentes connectere. Unde manifestum est esse hæc inter se conjuncta, ita ut recte Paulus, isto quo de agimus ad Ephesios loco, reconciliationem hominum cum hominibus ad reconciliationem hominum cum Deo, tanquam effectum ad causam suam, retulerit. Illud addendum est, nominari eo ipso in loco sanguinem Christi, tanquam per quem effecta sit reconciliatio. At sanguini Christi passim Scriptura subjungit, tanquam effectum maxime proprium, peccatorum remissionem Matth. 26. 28. Eph. 1. 7. Coloss. 1. 14. Hebr. 10. 22. Rom. 3. 23. Rom. 5. 10. 1 Johan. 1. 7. 1 Petr. 1. 2. Apocal. 1. 5. per vim scilicet placatricem, 1 Johan. 2. 2. & 4. 10.

Isti ad Ephesios loco persimilis mihi videtur is cujus jam injecta est mentio, ad Coloss. 1. 20. plane ut ad explicationem istius hunc potius adferendum existimem quam illum Ephes. 1. 9, 10. Plurima enim congruunt. Quod illic separatim dicitur *per sanguinem Christi per crucem*, hic dicitur conjunctim *per sanguinem crucis*. Ibi est *πῶς ἐξελθόντες*: hic *ἐξελθόντες*. Ibi, ut reconciliaret ambos Deo: hic, reconciliare omnia in seipsum, hoc est, in Deum. Hoc interest, quod ibi duntaxat mentio fiat de hominibus inter se conciliatis, quia conciliati erant Deo, hic vero de hominibus conciliatis & inter se & cum Angelis, ideo quia homines conciliati erant Deo. *Ἐν αὐτῷ*, omnino est in sese, Deum scilicet, ut & Syrus interpretatur *ἑαυτῷ*, hoc est sibi. Nam si hoc vellent istæ voces quod Socinus vult, in unum, scribendum fuerat *εἰς αὐτόν*, aut saltem *εἰς αὐτόν*, non *εἰς αὐτόν*, aut *εἰς αὐτόν*, quod ad personam certam necessario refertur. Neque novum est præpositionem IN cum accusativo poni vice dativi, cum apud Hebræos frequentissima sit particularum *ו* & *ל* permutatio. Quid quod ipso Socino farente, usitata est apud Græcos phrasis *καταλλάττειν ἑαυτὸν πρὸς ἑαυτόν*? At *εἰς* in Apostolico sermone poni vice *πρὸς* negare nemo poterit, qui vel paucos locos diligenter inspexerit, quales sunt Matth. 15. 24. Act. 16. 40. Ephes. 3. 19. Earundemque vocum commutatio in profanis quoque scriptoribus non raro occurrit. Quare verisimile non est, quod vult Socinus, hoc commate de sola agi creaturarum inter se conciliatione: sequenti autem commate de conciliatione hominum cum Deo. Contra

enim quod universim dicitur vers. 20. id 21. ad Colossenses speciatim applicatur: quod notat vox *καὶ ἡμεῖς*, hoc est, *quoniam vos etiam*, sive *vos quoque ipsos*. In hoc vero commate non id dicitur quod ait Socinus, reconciliationem factam nos inculpato reddendo: sed reconciliatos nos ut redderemur inculpato. Socinus ex fine modum fecit, sane prælicenter. Passim indicat Scriptura remitti nobis peccata, ut in posterum sancte vivamus tanto beneficio obligati, Luc. 1. 74. Et notandum in hoc quoque commate corporis Christi fieri mentionem, quod quidem pro nobis factum est, in remissionem peccatorum, 1 Corinth. 11. 24. Matth. 26. 28. & mortis, cui similiter remissionem tanquam effectum passim tribui jam ante ostendimus. Quod autem addit Apostolus, reconciliatos nos esse cum alienati & inimici mente essemus, simile est ei quod alibi dixit, Christum pro nobis, cum peccatores & impii essemus, mortuum esse, Rom. 5. 6. 8. & Deum esse qui justificet impium, Rom. 4. 5. Quare hic quoque de eodem agi beneficio eo justius creditur, quia initium, quo in hunc sermonem Apostolus devenit, hoc fuit, habere nos in Christo redemptionem, peccatorum scilicet remissionem. Et profecto non potest rectius intelligi, quantum nos Deus amaverit & Christus, quantumque nos Deo & Christo debeamus, quam si consideremus nobis sub ira adhuc Dei constitutis, & peccatorum reis, remissionem peccatorum primo impetratam, deinde & applicatam; quæ duo plerumque conjungit Scriptura. Quod autem alio loco dicit Socinus lib. 1. cap. 7. oportuisse Deum nobis esse placatissimum minimeque iratum, antequam Christus mitteretur ad foedus pangendum: id quam sit à vero alienum alibi ipse videtur agnovisse lib. 1. cap. 8. cum Deum statuit eo ipso momento, cum ad amicitiam redintegrandam nobis condiciones offerret, fuisse animo non placato, sed placabili. Et profecto hoc ipsa dicat ratio. In omnibus enim conditionatis conditionalia priora sunt absolutis. Neque vero conditio offerri, sed & impleri debet, antequam sequatur actus absolutus. Quare pacem apud Deum habere nos dicit Scriptura, postquam per fidem sumus justificati, Rom. 5. 1. Antea fumus iræ filii, Eph. 1. 3. peccata enim nostra causa sunt separationis, hoc est, Deum à nobis aversum faciunt, Etia. 59. 2. Hæc ira excludit pacem sive amicitiam: non autem qualemcunque dilectionem generaliter dictam: ut apparet Johan. 3. 16. & 1 Johan. 4. 10. Et sane peccata remitti hominibus ante poenitentiam, ne Socinus quidem sentit. Placatus autem actu, aut qua voce Socinus utitur, placatissimus, dici non potest qui adhuc imputat peccata. Quæ res ut clarius intelligatur, distinguenda sunt omnino tria, ut ita dicam, momenta divinæ voluntatis. Primum est ante Christi mortem, positam aut reipsa aut in Dei decreto & præscientia. In hoc momento iratus peccatori est Deus, sed ita ut non aversetur omnes iræ deponendæ vias ac rationes. Secundum momentum est posita jam Christi morte: in quo Deus jam non constituit tantum, sed promittit iram se depositurum. Tertium est, cum homo vera fide in Christum credit, & Christus ex foederis formula credentem Deo commendat. Hic jam Deus deponit iram, hominemque in gratiam recipit. Cum vero verba activa & passiva iisdem respondentia duplicem soleant habere significatum, aut ut intra vim atque efficaciam consistent, aut ut effectum simul includant, sequitur in primo momento neutrum horum locum habere. Itaque ejus respectu Deum dici posse tantum placabilem: in secundo & tertio recte dici eum placari, distinctis duobus quos jam indicavi sensibus. In priore sensu dicitur, *Deus mundum sibi in Christo conciliasse*: & *nos Deo reconciliati cum hostes essemus*: id posteriore illud, *conciliamini Deo*: & *reconciliationem accipimus*. Eademque vocum redemptionis & expiationis, & ejus locutionis, qua Christus interdum pro omnibus, interdum pro aliquibus mortuus dicitur, est ratio. Illud postremo notandum est, vocem reconciliationis non excludere satisfactionem sive præstationem omnem & impendium. Nam apud Livium est: *Ut eo munere reconciliaret sibi civium animos*: & alibi passim similia occurrunt: ut eo quidem nomine nihilo minus reconciliator noster Christus dici debeat: quod ipsum quoque monstrat Scriptura, cum reconciliationi addit mentionem sanguinis.

CAPUT VIII.

De redemptione nostra per Christi mortem facta.

Contra Socin. lib. 2. cap. 1, 2, 3. Ad secundam testimoniorum classē, quæ de redemptione est, ut veniamus, ante omnia ponendum est extra controversiam, redemptionem similesque voces in Sacris Literis aptari ad liberationem nostram à pœna commērita, quod ita esse apparet Galat. 3. 13. Rom. 3. 24. & præcipue Ephes. 1. 7. & Coloss. 1. 14. neque diffitetur Socinus. Quin & illi loci, qui nos ab iniquitate & vana conversatione dicunt redemptos, ut Tit. 2. 14. & 1. Petr. 1. 18, eodem pertinent, cum peccatum pro peccati pœna poni sit receptissimum: idque in loco ad Titum addita vox καθαρίζειν, i. e. est expiare, quam infra cap. 10. explicabimus, & in Petri loco agni, hoc est victimæ mentio apertum faciunt. Hanc redemptionem morti Christi tanquam causæ adscribi, cum passim testetur Scriptura, ut Ephes. 1. 7. Rom. 3. 24. Hebr. 10. 12. ne id quidem inficiari potuit Socinus. Sed quomodo causa redemptionis sit mors Christi, id est de quo quæritur. Nos enim ideo causam redemptionis esse mortem Christi dicimus, quod ea Deum moverit, ut nos à pœna liberaret. Idipsum vero negat Socinus. Quanquam vero si quid esset ambigui in his testimoniis, in quibus redemptionis sit mentio, satis esset iis interpretandis alia ejusdem argumenti loca afferre, qualia multa citavimus, quæ Christum ob peccata nostra mortuum, pœnas pro nobis tulisse, & sic impetrasse nobis peccatorum remissionem, Deo scilicet per ipsius mortem placato, non obscure significant, confidimus tamen eandem sententiam satis aperte ex iis etiam locis, quæ redemptionis vocem similesque alias usurpant, posse comprobari. Duplex autem in Scriptura φερίσις occurrit, altera, quæ delictorum redemptionem nominat, altera quæ nostram, diverso loquendi genere, at significatu eodem.

Prior illa φερίσις Hebr. 9. 15. ubi Christi mors dicitur peracta εἰς ἀπολύτρωσιν ἡμῶν ἀφ' ὧν ἡμεῖς. Hoc autem loquendi genere ἀπολύτρωσιν πᾶσι τῶν ἁμαρτιῶν, aut Latine, culpas, delicta, crimina redimere, non tantum significari causam moventem ad liberandum, sed talem etiam, quæ compensationem aut satisfactionem includat, tam manifestum est, ut fateri id quoque debuerit Socinus. Cum hæc ergo istius locutionis usitatissima sit significatio, non licet inde nobis recedere, nisi duo probentur, interdum, etsi minus frequenter, aliud ea locutione significari, & causam hic esse justam, cur infrequentior significatio frequentiori præferri debeat. Horum neutrum à Socino probatur. Nullum enim adfert locum aut Sacri aut profani scriptoris, ubi ἀπολύτρωσιν πᾶσι τῶν ἁμαρτιῶν, redimere peccata, culpas, offensas, aliud quippiam ab eo quod diximus, designet. In gnoma Salomonis Prov. 16. 6. est vox Hebræa כָּפַר, quæ voci Græcæ ἀπολύτρωσις proprie non respondet: quod ipsum quoque Socinus agnoscit, cum ait expiationem potius quam redemptionem ea voce designari. Addi potest nativam maxime significationem ejus vocis esse, obtegere, atque inde ad alia similitudine quadam produci. Neque vero sequitur, si vox כָּפַר, quæ apud Hebræos, ut multæ aliæ, ob primitivarum vocum in ea lingua penuriam, est πολύσημος, ita ut cum alia, tum ἀπολύτρωσιν quoque possit significare, ideo & vicissim Græcum ἀπολύτρωσιν omnes habere significationes quas habet כָּפַר, cum vocis ἀπολύτρωσιν simplex sit usus apud Græcos origini suæ respondens, alias autem significationes vocis כָּפַר aliæ Græcorum voces expriment. Apud Daniele 4. 24. est vox Hebræa קָרַב, quæ voci Græcæ ἀπολύτρωσιν minime ἰσοδυναμεῖ: sed & proprie & frequenter significat conterere, frangere, avellere: & propter hoc postremum, etiam liberare. Quanquam etiam si redimere hoc loco cum veteribus interpretemur, nihil nos coget hanc vocem sumere extra eam quam defendimus significationem. Movetur enim Deus pœnitentiæ fructibus ut inhibeat pœnas temporales, ut antea quoque notatum est.

Alterā vero locutio, quæ personam redemptam indicat, sæpissime in Sacris Literis nostro argumento accommodata invenitur, ut Rom. 3. 24. Ephes. 1. 7. & alibi. In Græco est verbum λυτρεῖν & ἀπολύτρεῖν, & hinc verbale λύτρωσις & ἀπολύτρωσις. Quæritur, hic actus Christo proprie, an improprie tribuatur Redemptionem, hoc est, ἀπολύτρωσιν (nam alioqui vox redimendi Latinis est πολύσημος) propriam, definit Socinus, liberationem captivi è manibus detinentis pre-

tio detinenti dato. nimis anguste. Nam vocis & naturæ & usus non ad captivitatem solam restringitur, sed ad omne genus incommodi, ut & liberationis vocabulum. Rectius ergo definias: Ἀπολύτρωσις, sive redemptio, est liberatio alicujus ab incommodo, λύτρω intercedente. Sic Maro redemptionis vocem proprie usurpavit cum dixit,

Si fratrem Pellux alterna morte redemit.

Liberatur Castor à morte perpetua λύτρω intercedente morte fratris alterna. Improprie vero ἀπολύτρωσις & redemptio qualemcumque liberationem significat, etiam cui λύτρω, non intercedit. Sed ut Socinus fatetur, & jura nos docent, non est nisi gravibus de causis recedendum à verborum proprietate. In dubio ergo ἀπολύτρωσις intelligenda est fieri λύτρω intercedente. Sed nunc ne dubitandi quidem est locus, cum Scriptura ipsum λύτρωσιν aperte nominet. Venit enim filius hominis dare animam suam λύτρωσιν pro multis, Matth. 20. 28. Marc. 10. 45. cum quibus locis illi conjungendi sunt, qui per mortem, aut in sanguine factam testantur redemptionem, ut Hebr. 9. 12. Hi loci cum valide Socino refragarentur, nihil aliud comminisci potuit lib. 2. cap. 2. quam ut diceret λύτρωσιν, sive pretium hic dici improprie. Proprie autem dictum λύτρωσιν, seu pretium definit, id quod à detinente accipitur. Hic primum id quod modo diximus repetendum est, non debere deferri proprietatem, nisi res urgeat. At causas comminiscendæ improprietatis Socinus si quas attulit, eas à nobis c. 4. 5. & 6. solutas confidimus. Nam Moses cum Christo instituta collatio, responsione vix indiget, cum omnis similitudo certos habeat terminos, quos extra protendi nequeat. Comparantur illi, qua liberatores, non ob liberandi modum. Neque magis ex eo sequitur, Christum satisfaciendo nos non liberasse, quia Moses id non fecerit, quam Christum nos liberasse per hostium mortem, quia id fecerit Moses. Quod si ad modum quoque liberandi comparatio pertineret, ea ut rectius procederet, dicendum esset, Christum nos liberasse miraculis, (ut Moses) non autem sua morte suo sanguine, quod Mosi nec adscribitur, nec adscribi potest. Sed præcipuum est, quod vox λύτρω, de cujus vi hic agimus, liberationi per Christum partæ additur à Scriptura, liberationi per Moysen partæ nusquam additur. Quid quod ne ex Socini quidem sententia modus liberandi idem est? Nam Moses, Josue & alii liberarunt, non aliquid faciendo circa liberandos, (quod Christo Socinus tribuit) sed amovendo eos qui libertati obstabant, hostes scilicet. Retinenda est ergo ἡ κυριολογία: definitione tamen Socini nonnihil correctā: ut proprie λύτρωσιν sit res aut factum, quo movetur quispiam, ut aliquem incommodo alioqui affecturus, eo liberari patiat. Quod λύτρωσιν definimus factum aut rem, in eo nobis cum Socino non disconvenit, qui fatetur proprie dici λύτρωσιν sive pretium, non pecuniam modo, sed omne id quo alteri satisfit. Sed immerito ille λύτρωσιν ad solam captivitatem restringit, cum & servituti, & exilio, & morti, & omni incommodo, à quo liberari possumus, ea vox conveniat. Nam & origo, λύω scilicet, ad ea quoque pertinet, & communis usus non refragatur. Illud quoque non probamus, quod λύτρωσιν proprie dictum omnino velit ab aliquo accipi. Nam si vox accipiendi rigide sumatur, ut in definitionibus fieri solet, aptari factis non potest, sed rebus solis. At factis quoque potest satisfieri & liberatio impetrari. Atque hoc præcipue apparet in ea liberatione, quæ fit per pœnæ translationem. Pœnam enim proprie non accipi à quopiam, ex iis apparet quæ supra dicta sunt, ubi ostendimus in pœna neminem esse proprie & naturaliter creditorem. Fraterea acceptionis vox proprie sumpta, si non dominii translationem, certe utilitatem aliquam accipientis indicat. At in pœna non spectatur propria utilitas punientis, sed bonum commune & ordo rerum. Acceptor ergo hic nullus est, nisi libeat admodum improprie acceptorem dicere judicem, tanquam juris & æqui ac boni communis curatorem. λύτρωσιν nihilominus proprie locum habet & in pœna. Ita Zaleuci oculus λύτρωσιν fuit oculi filii. Et in decimatione qui puniuntur λύτρωσιν sunt totius legionis. Latini veteres, quorum lingua tota Græcæ erat depravatio, litera una interposita, λύτρωσιν lustrum dixere, & λυτρεῖν lustrare. Lustrare ergo urbem est eam à pœna liberare per lustrum, hoc est, per pœnam succedaneam, quod & piaculum dicitur. Sic ex fatua Gentium opinione, Decii lustrarunt Romanum exercitum: Thebas olim Menteceus, de quo mater apud Papinium,

LUSTRALEMNE feris ego te, puer inclyte, Thebis,

Devotumque caput, vultu seu mater alevam?

Ad quem locum Lucetius, aut quisquis ille est Scholiastes vetu.

vetus: *Lustrare civitatem humana hostia Gallicus mos est.* Lustrare dixit, quod Cæsar dixerat placare Deorum immortalium numen. Est ergo idem in pœnis placamen & lustrum, Græce *ἱλασμός* & *λύτρον*: quæ ut Pagani in re falso credita, ita in revere credita Apostoli sensu eodem usurpant. Itaque in Epistola ad Hebræos pro eodem ponuntur *λύτρωσις* & *καθαρισμός*, ut apparet cap. 9. vers. 12. 14. 15. 22, 23. Neque vero ex eo tantum infertur, *λύτρον* in hoc argumento sumendum proprie, quia nulla efficax ratio nos cogit ad improprietatem descendere, sed hinc etiam multo magis, quod neque ex profano, neque ex Sacro Scriptore locus ullus proferatur, in quo *λύτρον* significatio extra descriptionem à nobis positam porrigatur. E Græco locum nullum proferit Socinus, ex Hebræo unum duntaxat Prov. 13. 8. in quo est *כֶּכֶר*. Sed præterquam quod latius potest patere *כֶּכֶר* quam *λύτρον*, quia *λύτρον* est à *λύειν*, quod liberare significat, cum *כֶּכֶר*, ut supra diximus, verbum sit *παλύσμεν*, non potest ullo argumento probari isto in loco voce *כֶּכֶר* aliud designari quam id quod nociturum movere potest ne noceat, sive ille potentiam & affectum nocendi tantum habeat, sive insuper jus etiam & potestatem. Simile enim est Salomonis istud: *כֶּכֶר*, aut si ita placet, *λύτρον* viri sunt divitiarum ejus: isti sententiæ apud Jobum 2. 4. *quicquid habet aliquis, id pro vita sua daturus est.* Est enim hic inter cætera divitiarum usus, quod multorum iram aut justam aut injustam possunt placare, atque ita noxam imminentem avertere: juxta illud,

Munera crede mihi PLACANT hominesque Deosque.

Ac plane est in ista gnoma commodorum, quæ secum fert utraque fortuna, elegans comparatio: Dives habet quo placet iratum: Pauper iræ alienæ minus est obnoxius. Quod si maxime verum esset, *λύτρον* accipi posse pro qualicunque impendio, etiam quo ad liberandum nemo moveatur, (quod nullo exemplo probatum est) tamen vox *ἀντὶ λύτρου* quæ Paulus utitur 1 Timoth. 2. 6. significatior est, quam ut tam frigidam interpretationem admittat. Vox enim *ἀντὶ*, in compositione, aut contrarietatem, aut commutationem significat. Hic contrarietas locum non habet: significatur ergo compensatio. Neque alia forma Græce dicuntur *ἀντὶ ψυχῆς*, qui pro altero morti se devovent, ut ipsum liberent. Sic *ἀντὶ λύτρου* est tale *λύτρον*, in quo liberator simile quiddam subit ei malo, quod ei imminebat, qui liberatur: estque egregia ejus vocis quasi *ἀντὶ φρεσίν* Galat. 3. 13. *Christus ἐξηγόρασεν redemit nos ab execratione factus pro nobis exsecratio*: de cuius loci sensu supra egimus. Ad hæc accedit, quod sanguinem Christi Petrus auro & argento comparat, tanquam majus quiddam eo ipso qua pretium est, 1 Petr. 1. 18. Solent autem aurum & argentum esse vere pretium, non figurate. Quare & sanguis æque aut multo etiam magis vere sit pretium, necesse est. Est autem pretium id cuius impendio res aut jus aliquod acquiritur: eaque est pretii natura, ut sui valore aut æstimatione alterum moveat ad concedendam rem, aut jus aliquod, puta impunitatem. Addi his possunt illi loci, qui ostendunt à Christo datam carnem suam, aut seipsum, pro vita mundi, & ut nos liberaret, Johan. 6. 51. Tit. 2. 14. Est enim hæc phrasis, dare aliquid propter aliquid, vero pretio accommodatissima.

Socinus hæc, aliaque loca plura, in quibus mors aut sanguis Christi pretium liberationis nostræ vocantur, aliter eludere non potest, quam ut dicat, esse quidem effectum mortis Christi liberationem nostram à pœnis, (de liberatione enim à servitute peccati hic agendi non est locus) sed quo ad nos, non quo ad Deum: id est non Deum per eam adduci ut nos liberet, sed nos ut ad liberationem perveniamus. Sed hoc effugium tum ea quæ diximus, tum alia multa ei præcludunt. Primum enim vox *λύτρον*, multoque magis *ἀντὶ λύτρου*, ejus sunt naturæ, ut rem denotent, cuius prior sit effectus circa liberatorem, quam circa liberatum. Deinde quanquam emere interdum sumitur pro acquirere simpliciter, ut vendere pro mancipare, tamen addita voci emptio- nis vox pretii (ut 1 Corinth. 6. 20. & 7. 23.) propiorem similitudinem requirit. Est enim pretii maxime proprium, ut ab aliquo tanti æstimetur, quanti res. Præterea Apostolus *ἀντὶ λύτρωσιν* exponit per *ἱλασθῆναι*, Rom. 3. 24. Est autem *ἱλασθῆναι* actus, qui versatur circa liberatorem prius, quam circa liberandum. Et alibi Hebr. nempe 9. 12. *λύτρωσις* exponitur per *καθαρισμὸν*, id est expiationem. De cuius vocis vi postea agemus. His adde, quod cum effectus alicui rei tribuitur admodum frequenter, atque ita ut nusquam inveniat tributus rebus aliis (quemadmodum effectus redem-

tionis ad mortem & sanguinem Christi refertur, Gal. 3. 13. Matth. 20. 28. Marc. 10. 45. Tit. 2. 14. Hebr. 9. 15. Apoc. 5. 9. & 20. 28. Rom. 3. 24. Ephes. 1. 7. tum necesse est finem proprium magis & propinquum, quam communem & remotum intelligi. At circa nos effectus liberationis & multis gradibus est remotus à morte Christi, & adeo non proprius, ut aliis rebus, quibus ascribi non solet, multo magis conveniat. Quidquid enim Socinus de nexu liberationis nostræ cum morte Christi loquitur, ita summam explicari potest. Liberatio (ut ipse sentit) ex sanctimonia vitæ sequitur: sanctimonia ex spe præmii: spes primo ac potissimum ex resurrectione nascitur: morti autem tribuitur, aut qua via est ad resurrectionem, aut qua resurrectioni conjuncta ac comparata spem eandem confirmat. Unde sequitur, fatente etiam Socino lib. 2. cap. 3. multo magis liberari nos resurrectione Christi quam morte. Imo, si veium agnoscimus, mors isti effectui non nisi per accidens coheret: quia resurrectio fidem non facit, nisi qua est pars gloriæ Christi: at gloria summa Christo etiam non mortuo potuit contingere. Quod autem Christus patiendum exemplum nobis quod sequeremur præbuit, id ad remissionem peccatorum, quæ Christo non conigit, aptari omnino non potest. Quo ergo illa toties repetita mortis mentio in hoc redemptionis negotio? Duo adfert Socinus: primum quia in morte est impendium aliquod, quod non est in resurrectione, ideoque mortis mentio redemptioni est aptior: deinde quia charitas Dei & Christi in morte magis indicatur. Ad primum quod attinet, eodem relabimur. Nam si ex morte Christi per se liberationis nostræ effectus non est consecutus (quæ est ipsius Socini lib. 3. c. 3. claris verbis edita professio) nihil opus erat Christum & Apostolos aut redemptionis aut pretii meminisse, præsertim toties: cum liberatio aliis verbis commodius posset explicari. Altera vero illa consideratio, ut ad illas pertineat sententias, quæ charitatem Dei commemorant, ad alias certe quæ non hoc agunt, & ad ipsam redemptionis vocem explicandam parum commode adfertur. Omitto jam, quod ne ostenditur quidem charitas ea re, quod boni nostri non tam causa fuerit, quam nuda occasio. Putat se Socinus nostram sententiam premere, cum dicit, ita de redemptione per Christi mortem facta agere Scripturam, ut quiddam apertum ante oculos ponat, non autem ut occultam quandam indicet virtutem, qualem esse eam putat, quam nos ex Scriptura deducimus: sed hoc cum dicit nos non vulnerat, & in se potius telum subministrat. Ea enim quæ sunt Dei, quis novit, nisi Spiritus Dei, & cui ille voluerit revelare? 1 Corinth. 2. 10, 11. At mortem Christi in hoc à Deo procurari, ut de ipso pœnæ peccatorum nostrorum exigerentur, & ipse *λύτρον* nostrum fieret, dixerat multo ante Elaias, dixerat Christus ipse, nec aliud adumbrant sancti ritus in prisco foedere: ita ut qui ad ista attenderet, non posset Dei circa hoc negotium voluntatem ac decretum ignorare; ut jam taceant, ipsam quodammodo naturam loqui, mortem esse peccati stipendium. Hac Dei voluntate ex oraculis cognita, colligitur deinde ingens Dei erga nos charitas, ut Johan. indicat 1 Epist. 4. 10. & Paulus Rom. 5. 10. Nec aliud est quod voce *καρπὸς* indicatur 1 Timoth. 2. 6. ut ex his quæ antecedunt vers. 4. promptum est cognoscere. Et hæc quidem sine ullo quærendi labore ipsa verba Sacra Scripturæ simpliciter intellecta secum ferunt: cum istam liberationis ex morte consequentiam, quam per tot gradus, ac tam varie deducit Socinus, adeo ex ipsis Scripturæ verbis nemo possit colligere, ut ne ex Socino quidem facile possit intelligi, quem esse in istis locutionibus proprium Scripturæ sensum velit.

Probata ergo est à nobis vera redemptio, sicuti modo probata est vera placatio. Utrovis autem horum probato, probatum est id quod intenditur, nos scilicet liberatos pœna Christi, quam ob peccata nostra pependerit: non quod omnis redemptio, aut reconciliatio talis sit, sed quod subiecta materia aliam non admittat. Inane ergo est, & abs re alienum, quod aliquoties dicit Socinus, tum placari aliquem posse, etsi nihil præstetur, tum redimi aliquem vere posse, qui nihil debeat, ac proinde citra solutionem. Nos enim de ea agimus placatione & redemptione, quam rei alicujus præstatione, morte scilicet fieri Scriptura indicat, & de redemptione, qua nos à pœna commerta liberari eadem Scriptura testatur. Talis autem præstatio, quæ debitorem pœnæ à pœna liberet, & recte & proprie satisfactio appellatur. Quod videns Socinus, ut satisfactionem tolleretur, placationem quoque & veram redemptionem sustulit.

Libet hic obiter in alia quædam animadvertere, quæ non quidem dum argumentum tractat redemptionis, ad hoc tamen argumentum pertinentia, alibi disseruit lib. 1. cap. 7. *Μεσίτης* vocem in Sacris Literis nihil aliud vult significare quam Dei interpretem. Mihi aliud plane persuadent loci duo: alter 1 ad Timoth. 11. 5. ubi unus dicitur *Μεσίτης* Dei & hominum Jesus Christus, qui se dederit *ἀντιπαρασθῆναι* pro omnibus. Alter vero Hebr. 9. 15. ubi Novi Fœderis *μεσίτης* dicitur Christus, ut morte intercedente ad redemptionem transgressionum, vocati vitam æternam adipiscerentur. Quibus merito addatur tertius Hebr. 12. 24. de quo infra agetur. Apparet hic *ὁ μεσίτης* statui in ipsa redemptione, aut etiam in ista. Neque vox repugnat. Nam ad *μεσίτης* officium non minus pertinet hominum vice apud Deum fungi, quam Dei vice apud homines. Neque apud ineruditos tantum, sed & apud eos, qui elegantius loquuntur, *μεσίτης* dicitur is, qui placat aliquem. Unde Suidas eam vocem voce *εἰρνωποῖς* interpretatus est.

Alibi dicit Socinus lib. 3. cap. 4. personæ dignitatem nihil facere ad poenæ æstimationem, atque adeo divinam Christi naturam & summam ipsius perfectionem ad poenæ valorem nihil asserre ponderis. Nos vero aliter credimus; nempe poenam hanc inde fuisse æstimandam, quod is qui poenam ferebat, erat Deus, etsi eam non ferebat qua Deus. Huc enim spectat illa locutio, qua Deus dicitur acquisivisse Ecclesiam *ΠΡΟΠΡΙΟ* sanguine Actor. 20. 28. Quomodo & alibi Dominus gloriæ crucifixus dicitur. 1 Corinth. 2. 8. Personæ quoque totius, hoc est Christi dignitas, non parum ad hanc æstimationem contribuit. Ideo *ἐμφανιζόμενος* in Scriptura dicitur sanguis Domini 1 Corinth. 2. 27. sanguis Christi Hebr. 9. 14. sanguis Jesu Christi filii Dei 1 Johan. 1. 7. Venit in eandem æstimationem & perfectissima Christi innocentia ac sanctitas. Hinc pretiosus dicitur sanguis, utpote agni inculpati, 1 Petr. 1. 9. allusione facta ad morem, non Hebræis tantum, sed & gentibus receptum, ut Sacris adhiberentur pecudes candore omnique corporis forma præstantes, quæ quod à toto grege eximerentur, inde vocabulo nato in sacris, sed mox ad profana translato, eximie dicebantur. Eodem & ista pertinent: *Justificabit servus meus justus multos*. Esa. 53. 11. *Eum qui peccatum non novit, fecit peccatum*, 2 Corinth. 5. 21. Quod autem Socinus argumentatur, quia divinitas ipsa non patitur, ideo hanc in poenæ considerationem non venire, perinde est ac si dicas, nihil referre privatum an Regem, item ignotum, an patrem verberes, quia verbera in corpus dirigantur, non in dignitatem aut cognationem; cui crasso errori jamdudum occurrit Aristoteles. Commune etiam iudicium à Socino dissentit. Nam populi, quorum instituta maxime laudantur, poenas æstimantur ex personarum dignitate, & attributis aliis. Quare ex Romanorum legibus, quas constat æquitatis esse plenissimas, poenæ variantur pro conditione personarum, atque ea vera æqualitas creditur, si inæquales inæqualia patiantur. L. Moris. parag. istæ. L. in servorum. & L. Aut facta. parag. persona. L. Capitalium, parag. ult. D. de poenis. L. 1. parag. ult. & L. Qui eadem. D. Ad L. Corneliam de fideiis. L. ult. parag. 1. D. de incendio. L. 3. D. de Privil. vet. L. ult. D. de sepul. viol. L. 1. & ult. D. de furib. balneariis. Neque aliter statuisse gentes alias sapientie nomine celebratas, ab his qui de Republica scripserunt, abunde demonstratum est. Probantque id ipsum juris Romani interpretes.

CAPUT IX.

Quid sit Christum pro nobis esse mortuum.

Contra Socin. lib. 2. cap. 8. In tertia classe posuimus ea testimonia, quæ subrogationem indicant, ut cum Christus dicitur pro omnibus mortem gustasse, Hebr. 2. 9. mortuus pro populo, Johan. 11. 50. passus pro nobis, 1 Petr. 2. 21. pro nobis impiis & peccatoribus mortuus, Rom. 5. 7, 8. unus pro omnibus mortuus, 2 Corinth. 5. 14. Receptum est in omni lingua, ut cum aliquis aliquid fecit aut passus est vice ac loco alterius, id pro illo passus aut fecisse dicatur. Sic apud Terentium est: *Pro illo te ducam: Ego pro te molam*. Neque hæc phrasis personis tantum accommodatur, sed & rebus. Dicitur enim hoc pro illo dari, poni, haberi, quod ejus vice ac loco datur, ponitur, aut, habetur. Declin-

nat hanc interpretationem Socinus ambiguitate voculæ *pro*, quæ sæpe utilitatem duntaxat alterius significat: quod de Latina voce verum est, ut & de Græca *ὑπὲρ*. Sed vocula *ἀντι*, quæ reperitur apud Matt. 20. 28. & Marc. 10. 45. hanc significationem plane repudiat: & commutationem requirit. Sic dicitur reddi *καθὼς ἀντὶ κακῆς* 1 Petr. 3. 9. Rom. 12. 17. *ὁφθαλμὸς ἀντὶ ὁφθαλμοῦ, ὁδὸς ἀντὶ ὁδοῦ*, Matt. 5. 38. Sic dari *ὁφίς ἀντὶ ἡβδούκας* Luc. 11. 11. *τὰ πρὸς τοὺς ἀντὶ βρώσεως μισῶς* Hebr. 12. 16. *ἡθὺς ἀντὶ τοῦ ἀπολαύειν* 1 Corinth. 11. 15. Quoties vero personis applicatur ea particula, significat alterum successisse in alterius locum. Sic Archelaus in Judæa regnasse dicitur *ἀντὶ Ἡρώδου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ*, hoc est ipsi in regnum successisse, Matth. 2. 22. Sic Petrus jubetur dare staterem pro se & Christo, Matth. 17. 27. quia ipse unus in ea actione duorum vicem sustinebat. Neque aliter apud profanos scriptores *εἰς ἀντὶ πολλῶν*, & similia. Constrictus hic Socinus, negare non audet illo *ἀντὶ πολλῶν* commutationem quandam indicari: sed misere effugium quærit. Cum de redemptione agitur, inquit locus est isti præpositioni *ἀντι*, etiam si captivus nihil pro redemptione debeat. Verum hoc est, sed præter rem. Non enim ex voce *ἀντι* directe inferimus solutionem: sed inde colligimus vice nostra Christum mortuum, hoc est nisi Christus esset mortuus, nos fuisse morituros, & quia Christus mortuus est, nos non morituros morte æterna. Omnino enim vox *ἀντι* juncta personæ, & verbo *δέναι*, requirit ut persona in genitivo indicata idem in genere aut specie datura fuerit, quod nunc alius dedit. Neque refert, jurene, ut in nexu ob debitum, an injuria, ut in capto à prædonibus. Hoc vero posito, futurum scilicet ut nos morte afficeremur, ni mortuus esset Christus, solutio deinde recte colligitur ex ipsa rei natura. Aut enim injuria eramus morte afficiendi, aut jure. Non injuria. Mortem enim commeriti eramus. Jure igitur. Si jure, eramus igitur mortis debitores. Ab hoc debito liberationem nobis Christus impetravit aliquid dando. Dare autem aliquid, ut per id ipsum alter à debito liberetur, est solvere aut satisfacere. Commutationem ergo illa locutio *δέναι ἀντὶ πολλῶν* veram indicat, ut semper: non metaphoricam, quam Socinus sine exemplo comminiscitur.

Ad alteram vero præpositionem *ὑπὲρ* quod attinet, primum notandum est illam quoque non quidem semper, at sæpe idem valere quod *ἀντι*. Optat Paulus *ἀντὶ ἡμῶν* esse *ὑπὲρ ἡμῶν*, hoc est vice Judæorum, quos alioqui perseverantes in incredulitate sciebat futuros *ἀντὶ ἡμῶν*, Rom. 9. 3. Apostoli *ὑπὲρ Χριστοῦ παροδοῦντες*, hoc est legati sunt ipsius Christi vice, 2 Corinth. 5. 20. Quare cum *ἀντι* necessario commutationem designet, *ὑπὲρ* autem pro eodem poni nonnunquam soleat, quid vetat vocem notationis dubiæ ex certa interpretari, præsertim cum eodem de argumento agitur? Imprimis vero eam interpretationem videtur requirere locus ille 2 Corinth. 5. 14. *Si unus pro omnibus mortuus, omnes ergo mortui*. Deinde vero etiam si non vox per se ambigua *ὑπὲρ* in locis esset usurpata, sed aperte esset dictum, Christum bono nostro mortuum, hoc ipso tamen commutatio illa non excluderetur, imo collatis aliis locis includeretur potius. Nam & qui in hoc moritur, ut eo ipso alterum à morte liberet, ejus bono moritur. Neque potest hic sensus rejici, quia alicubi Christi factum nobis in exemplum proponitur. Nam ad exemplum sufficit generalem quandam esse similitudinem, etli differentia sit in modo speciali, cujus tamen mentio fit interdum rei certius denotandæ gratiâ. Quod manifestum liquet ex Petri adhortatione. 1 Petr. 2. 19. Vult nos patientes esse in tolerandis afflictionibus, quas insontes patimur. Adfert Christi exemplum: qui inquit & ipse passus est. Satis hoc erat ad comparisonem. Sed addidit, *ὑπὲρ ἡμῶν*, quod ad comparisonem non pertinet, sed rem ipsam, hoc est Christi passionem clare designat. Commune ergo est patientia: modus ille differt. Alioqui frustra Paulus quæreretur, an Paulus pro fidelibus esset crucifixus, 1 Corinth. 1. 13. Poterat enim & ipse pro Ecclesia, hoc est, in usum Ecclesiæ crucifigi, sicut pati se dixit pro Ecclesia Coloss. 1. 24. & postea magno Ecclesiæ bono ipse gladio percussus est, Petrus, alique Apostoli crucifixi. Sed eo modo, quo Christus crucifigi, poenas vice nostra ferendo, nec Paulus poterat, nec alius quisquam. Vox ergo illa *pro* peculiare hic aliquid denotat, quod Apostolis communicari non potest. Possent autem, si mortis Christi utilitas gradu tantum à morte Apostolorum, non etiam fine proprio segregaretur. Sic in epistola ad Hebr. 2. 10. exemplum in eo est, quod Christus per passionem ad gloriam pervenit: modus specialis in eo, quod

*Paratus omne Cæsaris periculum
Subire, Mæcenas, tuo.*

C A P U T X.

Sed tota res manifestior fiet collatione sacrificiorum legis veteris cum hoc sacrificio, cujus collationis author est nobis

Contra Socin. lib. 2. cap. 9. Quod ad priorem considerationem attinet, sacrificia Legis expiatoria sanctificabant ad carnis puritatem, Hebr. 10. 13. quod quale sit explicabimus. Lex Dei hanc habuit functionem: *Exsecrabilis est quisquis non manserit in omnibus verbis legis*, Deuter. 27. 26. Galat. 3. 10. Reus ergo poenæ erat quisquis vel minimum à lege deflexisset, ut offendit Jacob. 2. 10. Poena hæc juxta carnalem sensum erat mors violenta: quod ex contrarioliquet, quia Legem implenti vita promittitur. Levit. 18. 5. Galat. 3. 12. Sicut autem in omni republica recte instituta Rex poenas exigit per judices suos, & hi si cessent, per se ipsum; ita & in Hebraica republica, quam *ἡσραήλ* recte dixit Josephus, (quia Deus erat Rex ejus, Judic. 8. 23. 1 Sam. 8. 7.) Deus ordinarie poenas legis per judices exigebat: ita tamen ut ipsemet exigeret poenas easdem, si judices in officio cessarent. Populus, inquit, obruunt eum lapidibus, aut ego opponens iratam faciem viro illi exscindam illum, Levit. 20. 3. Neque hoc tantum comminatus est, sed & præstitit sæpe, ut multis exemplis Veteris Testamenti apparet. Sed quia legislatori licet suam legem, præsertim poenalem, nonnihil relaxare, Deus Rex Hebræorum in quibusdam delictis victimas expiatorias admisit vice ipsius peccatoris, & per illas ac non aliter peccatorem à mortis poena liberare voluit. Temere jurans mortem merebatur ex lege Exod. 20. 7. sed per victimam expiari poterat. Levit. 5. 5. *Expiabit eum sacerdos*, inquit lex, & remittetur ei, Levit. 5. 13. Sic qui fidem depositi aut societatis fefellisset, aut alium dolo decepsisset, aut furatus esset quippiam, reus erat inquit lex Levit. 5. 23. Ex edicto nimirum, quod exstat Exod. 20. 15. xvi. 17. Sed idem reus præter damni restitutionem, ad quam tenebatur læso, victima data expiatur, & remittebatur ei quod fecerat. Levit. 5. 26. Et passim conjunguntur ista, expiatio & remissio. Num. 15. 28. Levit. 4. 20. Levit. 5. 13, 18. 26. In quibusdam ergo delictis quod ad poenam carnalem attingebat, admittebatur placamen, redemptio, satisfactio, compensatio denique mortis bestię cum morte hominis alioqui debita. In universum autem pro delictis omnibus lex talem relaxationem poenæ carnalis non admittebat. Quo respiciens Paulus, dixit per Jesum remissionem peccatorum (spiritualem scilicet) annunciari: & credentem justificari in ipso ab omnibus à quibus Judæi in Legge Moïsi justificari (etiam carnaliter) non poterant. Actor. 13. 38. quod ita explicat scriptor sane vetustus responsum ad Orthodoxos, quæ Justino solent adscribi: *τὸ δὲ ἄλλαν πῶς αἰσμενῶν καὶ ἡσραήλ εἰς βλάπην πολιτείας* (gravem scilicet & minus tolerabilem) *ἢ ζωῆς ἀνθρώπων, τὸ ἔστιν πῶς αἰσμενῶν ἐπὶ δόξῃ (ὁ νόμος scilicet) συζύρεται, ἔτι ἀφ' ὧ βαπτίσματος, ἔτι ἀφ' ἧς τὸ ἄλογον ἡσραήλ, ἀλλὰ δικαίαν τε καὶ ἀξίαν ἀμείβω δίδωσι τοῖς πῶς αἰσμενῶν ἀφ' ὧ ἴσως ἀντιποθέσθαι. ψυχῇ, φησὶν, ἀντὶ ψυχῆς, ὁ φθαλμὸς ἀντὶ ὁφθαλμοῦ, ὁ ὤτος ἀντὶ ὠτοῦ. ὅπως δὲ τοῖς ἴσως τοῖς ἀντιποθέσθαι ἐστὶν ἀντιπαρὶ, καὶ τὸ ἀφ' ὧ πῶς, ἢ λίθος, ἢ ξύλον ἡσραήλ ἀντὶ ἀντιποθέσθαι τοῖς πῶς αἰσμενῶν. τὸ μὲν ὅτι ἡσραήλ ὧ ἰερεῖς πορεύσασαν ἀφ' ὧ πῶς ἀναλίσκει. τὸ δὲ ὧ λαοὶ αἰετοὶ, ἀφ' ὧ λίθος. τὸ δὲ ὧ πῶς ἀνδρῶν, ἀφ' ὧ ξύλος. καὶ ἐδαμὲν ἰσχυρὸς τὸ νόμος ἐκ φιλευθέρειας ἀφ' ὧ βαπτισμῶν τε καὶ ἡσραήλ πῶς αἰσμενῶν τὸ ἔστιν ἡσραήλ.* Neque male observarunt Hebræorum magistri ad Psalm. 51. 18. Davidem pro homicidio atque adulterio victimam non polliceri, quia lex nullam pro istis delictis expiationem prodiderat. Quod autem supra diximus, in expiatione mortem pecudis morti hominis subrogari, id ipsum manifestum quoque est ex eo, quod Deuter. 21. constituitur, ut homicida non reperto populus expietur pecude cæsa: ubi & expiandi vox explicatur: *Expia populum tuum Deus, & ne imputes sanguinem innocentem.* Alioqui vero non poterat terra expiari à sanguine effuso, nisi per sanguinem effusoris, ut ait lex Numer. 35. 34. Huic loco addatur alter Levit. 17. 11. *Animam cujusque carnis in sanguine; ego vero destinavi vobis cum in altari, ad expiationem faciendam pro animis vestris: Nam sanguis est qui pro anima expiationem facit.* Item tertius Levit. 10. 17. ubi victima dicitur reorum iniquitates portare, cujus phrasæ vim alibi explicavimus. Hanc subrogationem Socinus lib. 2. cap. 10. non vult agnoscere, neque fateri per victimas ullo modo Deum motum, ut peccata puniret. Idque ut probet, duo hæc adfert: non potuisse errata hominum in bestiis puniri, quia nulla inter homines & bestias sit speciei communio. Neque Deo dari quicquam posse, qui est

omnium Dominus: quorum prius falsum est. Nam quemadmodum differentia individualis (ut loquuntur) non impedit, quo minus alter possit luere poenas peccati alieni, modo ipsa mali inflictio per se injusta non sit (ut supra ostensum est) ita nec speciei diversitas impedit, quo minus bestia, quæ alioqui etiam iuste poterat occidi, impendatur exemplo, ut in ipsius morte appareat, quid homo sit commertus. Neque conjunguntur homo & bestia solo genere animantis, verum ea quoque relatione, quæ est inter possessorem & rem possessam. Est enim bestia in universum sub humano dominio: & specialiter expiandus de suo dare victimam jubebatur, Levit. 5. 6. 7. Alterum vero nihil ad rem pertinet. Neque enim sequitur, Si Deo nihil accedit per sacrificium, ideo Deum sacrificio non moveri. Hoc ipso enim διακρίσας Θεός, quod homo re sibi concessa in honorem divini numinis semet ipse defraudat. Solere autem satisfieri ut per poenam, ita per aliquam actionem gratam ac placentem, alibi demonstratum est. In victimis sane non rem solum spectari, sed & offerentis animum, cum Sacra Scriptura indicat, tum Gentes ipsæ crediderunt. *Ne in victimis quidem*, inquit Seneca, *licet optime sint auroque præfulgeant, Deorum est honos, sed pia ac recta voluntate venerantium.* Unde & de Christi morte agens Scriptura, modo charitatis, modo obedientiæ facit mentionem. Ex his quæ diximus, perspicuum jam est, quomodo victimæ pro peccato in Veteri Fœdere peccata expiarint, nimirum Deum movendo, ut poenam carnalem remitteret, idque per satisfactionem quandam. Quod autem typi præstiterunt carnaliter, hoc δὲ ἀντίτυπον Christus præstat spiritualiter, & quod typi in quibusdam duntaxat delictis, id Christus in omnibus, Deum scilicet movendo, ut spiritua-lem poenam remittat, idque per satisfactionem perfectissimam. Plus enim non minus semper est in re typo designata, quam in typo; ut ratio monstrat. Commune est sacrificio expiatorio legali & sacrificio Christi illud, quod sine sanguinis effusione non fit remissio, Hebr. 9. 22. Hanc imperationem remissionis per sanguinem ibidem divinus scriptor appellat modo ἀγασµόν 13. modo καθαρισµόν vers. 14. & 22. & 23. Sed in veteri lege victimæ erant pecudes, vers. 12. in hoc nostro Christus ipse non Sacerdos tantum, sed & victima. vers. 14. & 24. Legalis illa expiatio hujus celestis sive spiritualis ὑποδείµα 23. & ἀντίτυπον 24. quomodo? quia illa præstabat carni munditiem, 14. id est reatus ablationem: non autem Spiritui sive conscientiæ 9. hæc autem ipsi conscientiæ 14. Quia quod in veteri lege erat mors temporalis, hoc in Novo Fœdere est mors æterna. Hebr. 10. 29. ac proinde illic liberatio erat temporalis, hic vero αἰώνιον λύτρωσις, Hebr. 9. 12. Quare sicut eodem loco ab effectu legalis victimæ ad effectum hujus per Spiritum oblatæ argumentum produci-
tur, *Quanto magis*, &c. vers. 14. sic & nobis licet hunc in modum certissime argumentari: Victima legalis reatum carnalem sustulit, Deum movendo ad remissionem, ergo multo magis reatum spirituale, Deum itidem ad remissionem movendo, tollit oblata per Spiritum victima.

Eodem respiciunt loci, in quibus Christus agnus dicitur Neque multum ad rem faceret etiam si non soliti essent in lege agni pro peccato immolari. Nam etiam sic licuisset viris Sanctis pro pecude pecudem alteram nominare, ut simul & in generali pecudis significatione comparatio consisteret, & tamen agno potius, quam arietem aut capram nominato innocentia victimæ exprimeretur. Ideo enim & Petrus addidit ἀμώμους & ἀσπίλους, 1 Petr. 1. 19. potuitque simul & quodam verborum compendio respici ad vaticinium Esaiæ 53. 7. in cujus interpretatione Græca erat vox ἀμνός, ut apparet Actor. 8. 32. contra Socin. l. 2. cap. 9. Verum insuper liquet agnum in contaminationibus expiandis fuisse usurpatum, Levit. 14. v. 12. Numer. 6. 12. quæ quidem contaminationes in Lege Veteri peccato eousque æquabantur, ut & peccati nomen acciperent. Unde & agnus ille in reatum sive delictum offerri utrobique dicitur: & altero loco diserte additur, *quia peccavit circa cadaver.* Effectus quoque idem aliquatenus. Nam contaminati non admittebantur ad Societatem πολιτείαις Judicæ, nisi per talem expiationem. Quin & Paschalis victima (quam plerumque agnum fuisse constat, Exod. 12. 5) in prima institutione aliquid habuit expiatorii. Ait enim Deus se respicientem ad ejus sanguinem averfurum ab Hebræis id exitium quod alioqui cum Ægyptiis (quorum imitatione se contaminaverant) habituri erant commune, Exod. 12. 13. Hebr. 11. 28. Sed & pro peccato, puta, temerarii juramenti, agnam offerri solitam ostendit lex, Levit. 5. 4. 6. Agnus autem cum dicitur Christus, sacrificium notari non tantum

Petrus ostendit, redemptos nos dicens agni sanguine, 1 Petr. 1. 18. sed & Johannes in Apocalypsi multis locis, atque inter cæteros ubi mactatum eum dicit Apoc. 5. 6. 5. 12. xii. 8. Sacrificium autem aliud quam pro peccato intelligi non potest, quia Petro teste, fuit redemptorium.

Contra Socin. lib. 2. cap. 17. Tale est solum sacrificium pro peccato. Unde plus quam manifestum est, cum dixit Baptista Christum esse Agnum, qui auferret Mundi peccata Johan. 1. 29. de peccatis ibi præteritis agi, non de futuris; & de auferendo reatu per remissionis impetrationem apud Deum, non autem per fidei ingenerationem. Neque verum est, quod dicit Socinus & cap. 9. lib. 2. solum Sacerdotem summum Christi, solamque anniversariam expiationem sacrificii ipsius figuram gessisse. Quanquam enim in summo Sacerdote, & illo solenni sacro figura quædam fuit excellentior, quam propterea singulari cura Spiritus Sanctus in epistola ad Hebræos persequitur, negari tamen non potest, quin & Sacerdotes alii, & sacra alia expiatoria obscurius eodem respexerint. Monstrat hoc eadem illa epistola cap. 9. vers. 13. ubi omnis carnalis per victimas purificatio cum Spirituali per Christum purgatione confertur, multoque magis vers. 21. & sequentibus, ubi cum dictum esset universaliter, omnia ferme in lege sanguine purgari, neque aliter quam fuso sanguine contingere peccatorum remissionem, subjungitur deinde, ἀνάκλη ἐν τῷ αἵματι ὑποδείσματος ὅτι ἐν ἁγίοις, τέτοις καθαρίσας. Sic & cap. 10. vers. 11. quotidiana sacrificia cum Christi sacrificio comparantur: cujus loci sententiam ever-
tit Socinus lib. 2. cap. 16. *quotidie exponens quotannis*, nullo exemplo. Nam quod locum Hebr. 7. 27. adfert huic interpretationi firmandæ, frustra est, cum falso sumat Sacerdotem in solo anniversario sacrificio pro se offerre debuisset. Contra enim offerre pro se debuit, quoties peccati sibi erat conficius, Levit. 4. 3. Paschale quoque sacrificium sacrificii à Christo peracti figuram fuisse, ostendit Johan. 15. 36. & Paulus 1 Corinth. 5. 7.

Quanquam autem hæc sufficere poterant, libet tamen ex communi Gentium notitia, aut potius ex vetustissima traditione per omnes terras diffusa, sacri expiatorii naturam paulo uberius explicare. Quin ante Legem Moysi sub statu legis naturalis qui dicitur, sacrificia fuerint, dubitari non potest, quorum ritus à Deo traditos hi, qui diluvio superfuere, per terras omnes dispersi ad posteros transmiserunt: mansitque aliquamdiu non tantum apud Semi, sed & apud Japheti, (forte & Chami) posteros incorrupta religio, donec plurimum ideoque falsorum Deorum cultus in ejus locum succresceret. Sed tunc quoque Deo mutato mansere ritus & ceremoniæ à pio usu ad impium translatæ, magnum adversus ipsos testimonium acceptæ veritatis, sed per injustitiam detentæ; ut inquit Apostolus Rom. 1. 18. Persuassimum ergo habebant Gentes istæ, delictis hominum offendi & irasci Deos. Ex hac ira sequi solere magnas calamitates, qua privatas, qua publicas. Videatur egregius Plutarchi libellus περὶ τῶν ὑπὸ θείας βρομίας ἡμωρημένων, in quo si pro Diis Deum rescribas, plurima invenies digna, quæ à Christiano dicantur. Ira ista colligebatur ex causis aut effectis. Ex causis, si qua facinora ad notitiam pervenissent. Ex effectis, portentis, prodigiis, signis celestibus. Videatur Cicero de Haruspicio respon-
sis. Lucanus 1. Pharsaliæ. historici Græci, Romanique passim. Iram tamen hanc sperabant averti posse quibusdam victimis. His dicebatur placari numen, reus ipse, aut homo, aut populus purgari, sive antiquo verbo februari, peccatum ipsum piari atque lustrari.

Quare eadem sacrificia dicebantur ἱλαστικά, ἀγνιστικά, κα-
ταρκτικά; Latine placamina, februa, piamina. Vox ἱλάσκεσθαι ad victimas ab Homero, aliisque sæpissime aptatur. Ἀγνίζειν τὴν πόλιν καθαγεμνός est apud Plutarchum in Romulo. Hoc ἀγνίζειν ἀγνίζειν quoque & ἀγνίζειν dicitur. Apud Herodotum lib. 1. Phryx Adraitus homicidio pollutus καθαράσας ἰδέσθαι, opus habuit sacro expiatorio: Cræsus ipsum ἐκάθηρε, expia-
vit. Similem autem dicit esse καθαγεῖν, expiandi rationem, apud Lydos & Græcos. Apud Hermogenem est, μηδὲ καθαγεῖν δὲ τὸν ἄστυν. Plato 2. de Rep. pro eodem ponit λύσεις & καθαγεμνός ἀδικημάτων. Plutarchus in Romanis καθαράσαι interpretatur ἀποκαθαίρειν, hoc est averrunca, iram divinam avertentia. Placandi voce apud Virgilium aliof-
que in sacris nihil frequentius: cujus vim Horatius ita ex-
pressit,

Mactata venit mitior hostia.

Livius sæpe: *Pacem Deos exposcere.* Plinius pecori gratiam esse ait in Deorum placamentis. Ovidius Fastorum primo
per

per victimas ait homini Deos CONCILIARI: quam vocem cum placandi voce idem valere supra ostendimus. Purgare & purificare ex Græco ἀγνίζειν, translatum inde sumitur, quod reatus immunditia quædam videtur. Purificandi vox est apud Suetonium & Plinium. Purgare mœnia lustrò, dixit Lucanus: sed receptius est lustrare. De cuius origine supra diximus. Sic exercitum suovetaurilibus lustrare est apud Livium. Ovidius per expurgare exposuit XIII. Met.

— Ego lustror ab illis,

Expurgante nefas novies mihi carmine dicto.

Servius apud Virgilium, *Lustramque Jovi*, 3. Æn. exponit, purgamur, piatur. Seneca in Troadibus, lustrale sacrum, explicat ipse, quo piantur rates. Et Papinius Mencecea dixit, caput lustrale, quod sic exponit,

Terrigenam cuncto patria PRO SANGUINE poscunt:

Item:

— Date gaudia Thebis

Quæ pepigi, & toto quæ SANGUINE prodigus EMI.

Lustrale ergo sacrum, est quod sanguinem emit, hoc est, redimit sanguine. Quod pertinet ad ea comprobanda, quæ de redemptione superius à nobis sunt disputata. Notandumque imprimis, sæpissime, cum de sacris expiatoriis agitur sanguinis fieri mentionem, quia ex vetustissima Dei lege Noacho data, Genes. 9. 4. Atque inde ad populos omnes propagata, sanguis est vice animæ, ac propterea animæ nomine appellatur: Hinc illud Virgilii:

Sanguine querendi reditus, animæque litandum:

Quæ verba explicans ex Trebatio Macrobius eas hostias ait animales fuisse appellatas. Piari proprie dicuntur ipsa peccata, hoc est, lui: sive solvendo poenam debitam, sive aliud quod poenæ debitæ in locum succedit. Ut ecce apud Virgilium:

— *Es culpam miserorum morte piabunt:*

Hoc est, efficient ut luantur. Plinius: *Luxum populi expiare solent bella.* Cicero: *Tua scelera Dii immortales in nostros milites expiaverunt.* Apud eundem sæpe est scelera supplicio expiare: & apud Sallustium, cædem cæde, sanguinem sanguine expiare. Imo & supplicii vox primum in sacris fuit, unde ad poenas translata est. Contra Socin. lib. 2. cap. 13. Sed in sacrificiis piare, est luere per successionem rei alterius in locum poenæ debitæ. Hinc Plautus:

Men' piaculum oportet fieri propter stultitiam tuam,

Uti meum tergum stultitiæ tuæ subdas succedaneum.

Hinc author distichorum, quæ Catonis nomen præferunt, ait:

Cum sis ipse nocens, moritur cur visluma PRO TE?

Ubi, pro te, est tuo loco. Atque ibidem eos, qui victimas offerunt, ait morte alterius suam salutem sperare. Hinc piacula proprie ipsa sacrificia: *Ex prima piacula sunt.* Virg. 6. *Teque piacula nulla resolvunt.* Horatius: quæ & piamina Ovidio:

Februa Romani dixerè piamina Patres:

Cujus vocis vim ipse mox exprimit, *quo crimina nostra piantur:* Et piamenta Plinio. Improperie piacula crimina, propter quæ piacula debentur, ut recte Servius ad illud Virgilii,

Distulit in seram commissâ piacula mortem.

Quamquam autem, ut diximus, piare proprie est luere, ideoque de ipsa poena aut peccato, id est reatu & debito, proprie dicatur, cœpit tamen sumi pro significationis propinquæ vocibus placare & lustrare. Sic Cereris numen expiandum, dixit Cicero. Sic Livius: *Ut cædes manifesta aliquo piaculo lueretur, imperatum est patri, ut filium empiaret,* id est, lustraret. Sic Seneca in Troadibus dixit, piare rates, id est, classem lustrare. Prodigia, quoque piare, dixit Tacitus, pro facinoribus ob quæ orta ira prodigiis indicabatur. Locus est ubi de Judæis agit: *Evenerant prodigia, quæ neque hostiis, neque votis piare, fas habet gens superstitioni obnoxia, religionibus adversa.* Ubi obiter notari potest, quod supra diximus, non esse ad quamvis iram divinam placandam in lege Judæorum piamenta prodita. Ex his manifesto apparet, sacra lustralia, sive piamenta, pertinuisse ad placandum numen, & sic impetrandam impunitatem ante commissorum. Quod Plinius ita exprimit, *Vetus prisca temporibus opinio obtinuit, februa esse omnia, quibus malefactorum CONSCIENTIÆ PURGARENTUR, DELERENTURQUE PECCATA.* Neque vero omittendus est insignis de expiatoriis sacrificiis Porphyrii locus: Πάντες γὰρ ἐν τῇ τῷ ἀμολόγησαντοὶ θεολογοί,

ὡς ἔπειτα ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς ἀποστολικαῖς θυσίαις τῶν ἡμετέρων καθάρσεων περὶ τῶν. μὴ γὰρ οἱ πρὸς αὐτοῦ, μὴ δὲ εἰς οὐρανὸν, μὴ ἀπὸ τῶν ἐν οὐρανῷ καὶ ἐν τῷ ποταμῷ, ἢ πηγῇ ἀποκαθάρσεις, φασι. Quod ait convenire Theologis, iis qui attigerint victimas expiatorias lavanda esse vestimenta, plane cum Lege per Moysen Hebræis tradita congruit, ut apparet. Levit. 16. 26. & 28. Quia vero Gentes istæ non ignorabant naturæ ductu, quo majus esset quod daretur Deo eo facilius posse veniam impetrari, præsertim si ἀνιπλότες cum eo quod redimeretur, aliqua esset æqualitas, ideo à pecudum maculatione in piaculis faciendis ventum est ad maculationem hominum. Causam explicat Cæsar de Gallis agens: *Pro vita hominum nisi vita hominis reddatur, non posse Deorum immortalium numen PLACARI arbitrantur.* Primi omnium hoc fecitasse reperiuntur Cananæi, hoc est, Phœnices. Nam de his in Sacris Literis legimus, solitos eos Molochum placare liberorum suorum maculatione. Is Molochus fuit Saturnus, ut Hebræorum magistri recte explicant. Phœnicum historiam à Sanchuniathone conscriptam plenam fuisse ejusmodi sacrificiorum narrationibus, narrat is, qui apud interpretem Philonem Byblionem legit, Porphyrius. Pars horum fuerunt Tyrii, apud quos antiquitus usitatum, ut ingenuus puer Saturno immolaretur: Narrat Curtius lib. 3. Idem recte notat, Carthaginenses, colonos Tyriorum, id sacrum à conditoribus accepisse: de quibus est illud Ennii,

Illi suos Divis mos sacrificare pueros,

Narrat idem de Pœnis Diodorus, & Justinus his verbis: *Homines ut victimas immolabant, & impuberes aris admovebant PACEM Deorum SANGUINE eorum expostentes.* lib. XVIII. Silius Italicus solitos eos dicit, *Poscere cæde Deos VENIAM.* Lactantius ex Pescennio Festo narrat, Carthaginenses, IRATUM sibi DEUM putantes, ut PIACULUM SOLVERENT, immolasse ducentos nobilium filios. Meminit & Minutius Felix: & Tertullianus Apologetico, qui Saturnum propterea appellatum ait tumulum filiorum, & Plutarchus libello de superstitione. In Ægypto quoque homines, & quidem formæ exquisitæ sacrificatos fuisse antiquitus, scripsit Manethos, addiditque, servatum morem ad Amosis tempora, qui pro hominibus cæreas imagines substituerit. Et de Heliopoli traditum, diligenter ibi inquisitum, an mundi essent, qui macrandi destinabantur. In Cypro similiter homo macatus ad Diphili Regis tempora, qui bovis immolationem subrogavit. Idem factum olim in Rhodo, Chio, Tenedo, Salamine: item Laodiceæ: & apud Arabas Dumathios. Persæ vivos defodiebant. De Albanis hoc specialiter proditum, solere ab ipsis immolari eum, quem crederent sanctimonia maxime pollere. Iones, teste Pausania, virginem & puerum immolabant, ut iratam Dianam placarent. De Blemysis, Massagetis, Tauris, Neuris & in universum de Scythiis, similia legimus: quæ pro Asia Africaque possunt sufficere. Quibus addi potest, eundem ritum repertum tum in veteri India, (de qua idem jam olim Mela tradiderat) tum in Americano orbe ab his, qui illas oras notitiæ hominum reddiderunt. In Canariis quoque insulis non diu esse, cum id fieri esset desitum. Ad Europam ut veniamus, olim in Cræta Saturno pueros, Lacedæmone hominem Marati immolatum, Ister & Apollodorus tradiderunt. Quin Græcis communiter omnibus morem fuisse eundem Phylarchus tradidit, Plinio assentiente, exstantque exempla etiam belli Persici temporibus. Romæ etiam quotannis macrati Græcus & Græca, Gallus & Galla: Latiaris quoque Jupiter humana victima colebatur: nec minus Diana Aricina. Olimque usitatissima fuisse per Italiam & Siciliam id genus sacrificia, narrat Plinius: neque Romæ abrogata ante annum urbis Sexcentiesimum quinquagesimum Septimum. Nec aliam habent originem Deciorum devotiones, quibus antiqui, ut Cicero ait de Natura Deorum tertio, PLACATOS Deos censebant: Livius vocat Decios piacula omnis Deorum IRÆ: item piacula LUENDIS periculis publicis. Nec omittendus insignis Juvenalis locus:

Plebeja Deciorum animæ, plebeja fuerunt

Nomina: PRO totis legionibus hi tamen, & PRO

Omnibus auxiliis, atque omni plebe Latina

SUFFICIUNT DIS infernis, Terræque parenti:

PLURIS enim Decii, quam qui servantur ab illis.

Quo in loco primum is conspicitur usus particulæ, pro, quem nos supra frequentem admodum esse indicavimus, & hujus argumenti quasi proprium, ut idem sit quod, loco alterius. Apparet deinde, creditum à Romanis, sacrificii æstimationem ab ejus, qui macratur, dignitate augeri. Postremo ex

collatione authorum manifestum fit, ista *ισθωαμειν*: Deum placari aliqua victima: Deorum iram expiari: aut animam cuiuspiam Diis sufficere pro aliorum animis. Gallorum mos ex Cæsare notissimus, de quo supra attigimus: quem mansisse ait Plinius ad Tiberii principatum. De iisdem Cicero: *Galli humanis hostiis Deos PLACANT*. Placare Deos, dixit Cicero, ut & Cæsar: Lustratus, lustrare civitatem. Idem Cæsar interpretatur, pro vita vitam reddere. Sic Thraces Zamolxin, sic Germani Mercurium, Deosque alios colebant: de quibus ita Lucanus:

*Et quibus immitis PLACATUR sanguine divo
Teutates.*

In Britannia quoque celebrata hujus generis sacra, Tacitus & Plinius prodiderunt. Procopius ad sua, hoc est, ad Justiniani usque tempora idem factitatum scribit in Thule insula. Alias vero per gentes non exolevisse eum morem ante Adriani imperium, Porphyrius scriptum reliquit. De Massiliensibus specialiter memoriæ est proditum, quoties pestilentia laborarent, solere pauperem ali publicis sumptibus, qui verbenis ornatus & sacris indutus vestibus, per urbem duceretur cum execrationibus, ut in ipsum omnia civitatis mala reciderent: & sic Diis immortalibus immolaretur. Queis omnibus in unum collectis, videbitur haud immerito de his sacris Plinium exclamasse: *Ad eo ista TOTI MUNDO consensere quamquam discordi & sibi ignoto*. Et hæc quidem de humanis victimis obiter dicta sunt: in quibus non ideo tantum peccarunt Gentes, quod Diis falsis sacra fecerunt, verum etiam, quod divinum numen ista ratione colendi mandatum nullum habebant, quale Abrahamus habuit. Cæterum mos ille Gentium in expiandis peccatis hominum aut pecudum mactatione, non parum affert lucis ad intelligendam ipsam sacrificii expiatorii naturam, & vocabula propria ejus argumenti. Eoque minus sperni potest hic labor, quod dicat Socinus lib. 2. cap. 9, Baptistam, cum Christum agnum Dei appellavit, ad sacrificia in universum respexisse, quibus non solum apud Hebræos, sed & apud Gentes peccata expiari credebantur. Neque vero dubitandum est, cum in hoc ipso sacrificii expiatorii argumento voces Græcas *καθαρίζειν* & *ἀγιάζειν* sæpissime usurpat divinus scriptor ad Hebræos, quin eo sensu usurpaverit, quem Græca lingua receperat.

Unde jam promptum est intelligere, quid illud significet, quod Christus sacrificium pro peccato sive expiatorium dicitur. Nam cum tres interpretationes afferat Socinus lib. 2. cap. 16, 17; primam, quod Christi mors fidem nobis ingenerando nos à peccatis in posterum retrahat: alteram, quod mors ipsa antecedens sit quiddam ad peccatorum remissionem consequendam lib. 2. cap. 20: tertiam, quod ipsi remissioni aut decreto de ea facto testimonium quasi præbeat; ex his tribus sola secunda huc pertinet: non quod non alia quoque illa Christus fecerit, & quidem multo quam Socinus opinatur efficacius, sed quia ista ad sacrificium pro peccato non pertinent. Similitudinem enim legalium sacrificiorum pro peccatis (quibus conjungi possunt similia sacrificia Gentium, non secundum rem, sed secundum Gentium opinionem considerata) & sacrificii à Christo peracti, fatetur Socinus lib. 2. cap. 10, consistere in ipsa expiatione. At sacrificia illa non abstrahabant à peccato, præsertim fidem alicujus rei faciendo: neque etiam remissioni peractæ, aut certo decretæ testimonium præbebant, sed, ut ipse Socinus agnoscit, erant aliquod antecedens requisitum ad remissionem. Quod ostendunt illa legis verba: *Expiabit & remittetur*. In hoc ergo versatur comparatio, planeque necesse est idem significare expiationem, cum sacrificiis legalibus, & cum Christo applicatur, quia utranque deducit scriptor ad Hebræos ex eodem decreto, nempe ut sine sanguinis effusione remissio non fiat, sed expiatio fiat in sanguine, Hebr. 10. v. 21. Non obstat, quod dicitur ad Hebr. 10. 4, fieri non posse ut sanguis taurorum & hircorum tollat peccata. Repetendum enim est ex superiori *κατὰ τὴν συνείδησιν*, ut manifeste appareat, si cum hoc loco similes conferas cap. 9. 9. & 14. Sanguis pecudum tollebat peccata, id est reatum temporalem, non autem tollebat reatum spirituales. Ut supra ostensum est. Neque in Apocalypsi illud *ἀσπασιν ἡμῶς ἀπὸ πῶν ἀμαρτιῶν ἡμῶν* 1. 5. contra Socin. lib. 2. cap. 17. sine insigni detorsione interpreteris, qui lotos nos declaravit, aut 1 Joh. 1. 7, ubi est, Sanguis Christi *καθαρίζει ἡμῶς ἀπὸ πῶν ἀμαρτιῶν*, exponere licet, mundos nos esse declarat. Repugnat enim manifeste & verborum proprietates, & perpetuus Scripturæ usus in hoc argumento. Immunditiæ nomine

significari passim reatum, fatetur Socinus. Hinc *καθαρίζειν* & *ἀγιάζειν*, est cum reatum tollere, sive efficere remissionem, ut ipse scriptor ad Hebræos exponit vocem *καθαρίζειν*, 10. 22. Christus per se ipsum fecit hunc *καθαρισμόν* Hebr. 1. v. 3. Christus *καθαρίζει* conscientiam ab operibus mortuis Hebr. 9. 14. hoc est, ipso Socino interprete, à reatu & pœna, pœnæque timore conscientiam liberat. In veteri quoque Testamento *קָדַשׁ* eundem habet sensum. Psalm. 51. 9. Quod autem his in locis est *καθαρίζειν*, hoc ipsum simili ratione dicitur *βαπτίζειν* 10. 22. & *λάειν*, hoc est lavare, vers. eodem: quo respicit etiam vaticinium Zach. 13. 1. Cur ab hoc sensu discedatur duobus illis locis Apostoli Johannis, ratio plane nulla est. Non enim, si Jesus testis fidelis dicitur Apoc. 1. 5. ideo *lavare* illud ad testimonium referri debet. Non enim cohærent *ἀμύσας*, illud, *μύσας ὁ πῶς*, & *ἄλυσεν*, sed intercedit mentio primogenituræ mortuorum, regni, deinde charitatis: ut vel cæco appareat, multa officia ac beneficia Christi ad illustrandam ipsius dignitatem una conjungi, contra Socin lib. 2. cap. 13. In Epistola autem Johannis omnino absurdum est *καθαρίζειν*, de declaratione mundationis, non de ipsa mundatione interpretari, cum paulo post jungantur *ἀφίεναι* & *καθαρίζειν*. Argumentatur Apostolus à conjunctis: Si in luce ambuletis, habetis mundationem hoc est, remissionem per sanguinem Christi: quia nemini in luce ambulanti imputantur peccata. Baptistæ vero prædicatio, Christum agnum nominantis qui mundi peccata tollat, cum sacrificia expiatoria respiciat tum Hebræorum, tum Gentium, agnoscens Socino lib. 2. cap. 9. plane non permittit nos, Tollere peccata, aliter interpretari, quam reatum tollere. Hoc enim faciebant expiatoria sacrificia, non autem abstrahabant à peccando. Neque aliud est *αἵς ἀθέτησιν ἀμωρτίας* Hebr. 9. 26. quam *ὡς τὸ καθαρίζειν ἡμῶς, πρὸς τὸ γίνεσθαι ἡμῶν ἁφίεναι*, ut ex vers. 22, apparet. Illa autem *ἀθέτησιν ἀμωρτίας* facta est *ἀφ' ἧς ἡ σωτὴς αὐτῶν*. d. vers. 26.

Quamquam vero Socinus quosdam locos vero sensui conatur eripere, tamen, multis aliis convictus, agnoscit indicari in Christi sacrificio expiationem factam, quæ antecedit remissionem peccatorum, tanquam requisitum aliquod. Attamen negat, Deum isto sacrificio moveri ut remittat, sed nobis fidem quandam ait ingenerari, qua, perducti ad emendationem vitæ, porro remissionem peccatorum consequamur lib. 2. cap. 10. in quo primum parum meminit ejus quod dixerat, figuram cum figurato congruere debere in eo in quo fit collatio. Neque ejus quod ostendit Scriptura, illud *πάντα καθαρίζεται ἐν αἵματι*, eodem modo ad legalia sacrificia, & ad Christum pertinere, Hebr. 10. 12. Sacrificia autem legalia plane talem fidem non ingenerabant. Neque tolerabilis est illa vocis expositio, expiare, esse aliquid facere, quod ad remissionem requiratur. Contra enim voces istæ omnes, *καθαρίζειν*, *ἀγιάζειν* & similes quibus utuntur Apostoli, suapte natura & usu perpetuo non solum ordinis antecessum, sed & efficaciam quandam designant. Alia quoque evertendæ huic à Socino repertæ interpretationi certissima argumenta nobis Scriptura suppeditat. Dicit enim opus fuisse novo Sacerdote ex ordine Melchisedech, Hebr. 7. 11. At fidem in Deum prædicare, imo & prædicationem hanc morte confirmare potuerant etiam Levitici sacerdotes. Quare si nihil præterea efficit Christi Sacerdotium (quod vult Socinus) sequitur eo opus non fuisse. Præterea hoc ipsum, Christum esse mortuum pro peccatis nostris, ad salutem creditur, 1 Corinth. 15. 2, 3. Contra Socin. lib. 4. cap. 10. Non ergo Christi expiatio ad hoc primo comparata est, ut ad credendum adlucet aliquem, cum ipsa sit inter credenda, quod enim ad fidem duntaxat alicujus rei faciendam inservit, id à re credenda diversum sit, necesse est. Præterea post insitam demum fidem expiatio Christi in nobis effectum habet. Christus enim Pontifex est constitutus ad expianda peccata populi sui, id est credentium, Hebr. 2. 17. Non potest ergo, expiare, esse ad fidem perducere.

Jam vero, ut non tantum demoliamur Socini falsam interpretationem, sed veram simul adstruamus, quæ hæc est, Christi morte ad remittenda peccata Deum moveri, notetur illud ad Hebræos 12. 24. ubi sanguis Christi purgatorius dicitur melius loqui, quam sanguis Abel. Sanguis Abel clamabat ad Deum pro vindicta. Sanguis Christi clamat ad Deum pro remissione. Negat Socinus placari Deum sacris expiatoriis. At contrarium testantur scriptores supra à nobis allegati, qui placandi vocem ad exprimenda ea sacra usurpant: unde & illa nata est phrasis in epistola ad Hebræos posita, *ἀλυσκοῦς ἀμωρτίας*, placare peccata, id est, placando

Deum

Deum peccata expiare. Satisfactionem nullam Socinus in facris expiatoriis agnoscit. Atqui vox ipsa piandi sive expiandi nihil aliud proprie significat quam luere; passimque authores à nobis citati, cum expiare volunt *ἀφαιρῶν* dicunt dare sanguinem pro sanguine, vitam pro vita, animam pro anima: sanguine aliquid emere, morte alterius salutem consequi. Neque voces Hebrææ hinc dissident. Contra Socin. lib. 2. cap. 11. Nam *כִּפֹּר* non modo est tegere, sed & redimere, Exod. 21. 36. Psalm. 40. 7. & placare Genes. 32. 19, atque inde porro expiare. *כִּפֹּר* est luere Genes. 31. 39. unde & hoc coepit ad expiationem significandam usurpari. Tribuitur autem expiatio primo victimis, ut apparet Hebr. 9. 13. & 23. deinde Sacerdoti propter victimas quas exhibet, ut sæpe in Levitico: postremo etiam Deo istam luitionem admittenti. Sicut autem redimendi vox improprie pro quavis liberatione coepit usurpari, ita & expiatio dici coepit ob similem effectum, etiam ubi luitio nulla intercedit, Psalm. 51. 8. Christo autem expiatio tribuitur ut victimæ, ideoque additur vox sanguinis: sanguis autem in victimis, ut supra probatum, datur vice animæ peccatoris. Unde non potest hic non proprie sumi vox expiationis. His adde, quod si verum esset, quod vult Socinus, expiationem multo magis fieri per resurrectionem ac ascensionem in cœlos, quam per mortem & fusionem sanguinis, (quia illa aptiora sint persuadendæ nobis fidei quam mors ipsa) saltem aliquo Scripturæ loco istis actibus expiatio tribueretur: quod nusquam fit.

Falsum est quod ait Socinus lib. 2. cap. 10. patefactioni divinæ voluntatis expiationem aut *καθάρσιον* tribui: neque hoc evincunt loca allegata. Nam Hebr. 1. 3, Christus omnia verbo suo portare dicitur, quia illius imperio omnia parent: sicut vox *ῥήμα* eodem sensu invenitur cap. 11. vers. 3. & Lucæ 5. 5. capite vero 10. vers. 26, & 29, non pro eodem ponuntur cognitio veritatis & sanctificatio per sanguinem, sed plura beneficia conjunguntur, ut eo spectabilius sit crimen hominis ingrati. Adjicitur quidem aliquando sanguinis fœderis mentio lib. 2. cap. 13. & passim, sed sæpius multo *τῆς θυσίας*. Quare ea sumenda est interpretatio, quæ ista conjungat. Hoc autem fiet, si fœderis illam spectemus partem, qua Christus stipulatus est, si mortem subiret, fore ut remitterentur peccata in se credentibus, Deus autem id ipsum promisit, ut apparet Esaiæ 53. 10.

Quod vero Christus dicitur in cœlo offerre sanguinem, hoc est, Patri mortem suam ostendere, & quasi ejus Deum *ἀπαμύνησκειν*, quod insuper interpellare pro nobis legitur, hæc expiationem in cruce peractam non tollunt. Expiatio enim in Cruce peracta, Deum movet ad remittendum & jus nobis acquirit, sed sub certa conditione & modo: in quibus comprehenditur ex parte Christi interpellatio, ex parte nostra fides vera, ut explicatum est, cum de satisfactione ageretur lib. 2. cap. 13. & cap. 15. Pugnat autem cum Scriptura Socinus manifeste, cum expiationem negat esse factam antequam Christus cœlum ingrederetur. Contra Soc. lib. 2. cap. 21. Passim enim Scriptura *τὸ ἀπολύτῳσιν, τὸν καθάρσιον*, *τὸν ἀγίασµόν, τὸν ἀθέτησιν τῆς ἀμαρτίας* tribuit morti, eaque ipsa jam peracta indicat: Oblatio vero in cœlo quidem facta est, sed ita ut nec morti in terris peractæ eum titulum denegare debuerit Socinus contra clara verba Pauli Eph. 5. 2. ubi Christus se dicitur tradidisse pro nobis *ὑποσφοδρῶν*. Solam verborum seriem inspexisse, ipsius interpretationem abunde refutasse est. Ibidem merito conjunguntur *ὑποσφοδρῶν* & *θυσία*. Peragi autem *θυσίαν* tunc cum morti datur hostia omnes Græcorum, omnes Latinorum libri indicant. Unde evenit, ut mactare tum sacrificare significet, tum etiam à sacrificiis ad alia porrecta significatione quovis modo interficere. Hinc

Ammonius *θύναι* & *σφαγεῖν* distinguit, ut appellationes generis & speciei. *θύναι* ἰδὲ γὰρ ἐστὶν ἐπὶ ζῴων θύναι, σφαγεῖν δὲ τὸ δι' ἡνικαὶν αἰτίαν φονεύσαι. Et Plutarchus Gallis & Scythias ait creditum, *θύναι* εἶναι καὶ θνήσκειν ἀνθρώπων ΣΦΑΤΤΟΜΕΝΩΝ αἵματι, & ταύτην πελειοπατίαν ΘΥΣΙΑΝ. Est ergo *θυσία* ἐν τῷ σφαγεῖν, in mactatione sacrificium. Neque aliter in hoc argumento loquitur Scriptura. Jussus Abraham offerre filium, Genes. 22. 2. parat eum occidere, vers. 10. atque adeo, quia mactationem etiam non manu, animo jam peregerat, obtulisse filium dicitur Hebr. 11. 27. Est & ubi *θύναι* simpliciter & extra sacrificium mactare significat, ut Johan. 10. 10. Et Johanni Christus dicitur *ἀμνὸν ἐσφαγισμένον*, agnus ille mactatus sive occisus Apoc. 5. 6. 12. xii. 8. quod Paulus sic enuntiat, *πλάκα ἡμῶν ἐν τῷ Χριστῷ*, 1 Corinth. 5. 7. non solebat autem Pascha in adytum inferri. Est ergo *ἐν τῷ* idem quod *ἐσφαγισθῆναι*, ut *πλάκα* idem quod *ἀρνίον*. Et apparuit Christus in cœlo apud Patrem *ἀφ' ἧς θυσίας* Hebr. 9. v. 26. præcessit ergo sacrificium, secuta est apparitio. Sic alibi in eadem epistola dicitur Christus in sanctuarium cœlestē intrasse per sanguinem suum *ἀιωνίαν λύτρωσιν δι' ἡμῶν*, id est, *reperit æternam redemptionem* Hebr. 9. 2. & sedisse ad dextram divini solii *καθάρσιον ποιησάμενος ἡμῶν, ἡμῶν, ἡμῶν*, facta peccatorum nostrorum expiatione: quibus in locis voces antea citi temporis ostendunt, contra Socin. lib. 2. cap. 23, factam redemptionem aut expiationem, priusquam Christus cœlestem regiam intraret. Quauquam ergo Christus ejusmodi est Pontifex, qui non in terra manere, ut sacerdotes Levitici Hebr. 8. 4, sed cœlum penetrans ipso cœlo celsior debuit evadere, Hebr. 4. 14. vii. 26. quippe cujus Sacerdotium debuit esse æternum & ἀπαρχαίων 7. 24. verus tamen Sacerdos fuit & vera victima, jam tum cum in terris mortem se traderet. Ideoque dicitur venisse in mundum, Hebr. 10. 5. (hoc est in orbem terrarum, ipsa Scriptura interprete, Johan. 18. 37. 1 Timoth. 1. 15.) ut voluntatem Dei faceret, vers. 7. & 9. hoc est, ut corpus suum à Deo aptatum, id est sanctificatum vers. 6, offerret Deo vers. 10, pro peccatis, vers. 8. & 12. Quo loco observandum simul est, sanctificatos nos dici oblatione *ἐφ' ἡμῶν*: cum interpellat Christus toties, quoties opus est nobis: ita ut hic non interpellatio, sed mactatio sit intelligenda. Est ergo duplex, ut legalium quarundam victimarum, ita Christi oblatio: prior mactationis, altera ostensionis. Legalium victimarum prior peracta in templo, altera in ipso penitenti: Christi prior in terris, posterior in cœlo: prior tamen illa non sacrificii præparatio, sed sacrificium: posterior non tam sacrificium, quam sacrificii facti commemoratio. Quare cum apparitio & interpellatio non sint actus proprie Sacerdotales, nisi quatenus peracti sacrificii virtute nituntur, sacrificium illud qui tollit, ne Sacerdotium quidem Christo verum relinquit, contra manifestam Scripturæ autoritatem, quæ distinctam à Prophetica & Regia Pontificiam dignitatem Christo assignat: non figurate dictam, sed maxime veram, quippe cum Sacerdotium ipsius Levitico sacerdotio, quod verum fuit Sacerdotium, opponatur, ut ejusdem generis species perfectior alteri speciei minus perfectæ. Neque recte inferri potuerit, necesse fuisse ut haberet quod offerret Christus, Hebr. 8. 3. nisi ex veritate ejus in quod constitutus erat Sacerdotii. d. vers. 3. Sed profecto minime mirum est, si qui Christo gloriam naturalem, hoc est veri nominis Deitatem, sustulerunt, iidem & officia ipsius imminuunt, & beneficia ipsius precipua recusant agnoscere. Tibi Domine Jesu ut vero Deo, ut vero redemptori, ut vero Sacerdoti, ut vero pro peccatis victimæ, cum Patre & Spiritu, uno tecum Deo, sit honos & gloria.

quia nullum culpæ contagium perpetravit. Sed si ipse indebitam mortem non susciperet, nunquam nos à debita morte liberaret. Pater ergo cum justus sit, justum puniens omnia juste disponit: quia per hoc cuncta justificat, quod eum qui sine peccato est pro peccatoribus damnat.

Ilychius in Levitici cap. xvi. Lex filios Israël reos maledictio & morti constituit, ut propterea necessariam haberent expiationem, & pro eis quidem principaliter unigeniti immolatur sacrificium. Immolatur autem & pro omnibus hominibus, ita ut Caiphas diceret: Oportet ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Quodque dictum erat confirmans, simulque & corrigens Euangelista Johannes, addidit: Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit, quia moriturus esset Jesus pro gente, & non solum pro gente, sed ut filios Dei qui dispersi erant in unum colligeret: gentes videlicet. *Et paulo post:* Pro sensibili Israël Jesus immolatus, & pro omni humano genere ad expiationem immunditiarum nostrarum obtulit.

Antiochus in Exomologesi. Verbum tuum nulla prorsus aspergine peccati decoloratum, quem pertuæ viscera misericordiæ misisti, suum ut plasma revocaret in viam, caro factus, nostri causâ passus est crucifigi, & abolevit quod adversum nos erat chirographum, peccatorum nostrorum factus propitiatio.

Sophronius Hierosolymitanus epist. ad Sergium Constantinopolitanum Patriarcham. Pro hominibus Christus mori dignatus est, & pro eorum redemptione suum divinum sanguinem fudit, & munus præ omni dignitate divini suam animam posuit.

Elias Cretensis ad orat. i. Nazianzeni. Christus dictus est redemptio, ut nos, peccato venditos, in libertatem asserens, & quia pro totius orbis expiatione tanquam redemptionis pretium seipsum dedit.

Nicephorus Constantinopolitanus epist. ad Leonem III. quæ extat apud Baronium tom. IX. annal. pag. 587. edit. Mor. II. Credo eum crucifixum esse, non in qua splendet cum patre substantia, etiam Dominum gloriæ crucifixum fuisse dicitur, in sermone retributionis, sed in terrena nostra natura, in qua terrestrem nostram massam suscepit, & maledictum pro nobis factus est, ut benedictionis, quæ ab eo est, socios nos efficeret, & malefactorum secundum carnem sustinuit mortem pati, ut mortis aculeum mortem sustinendo condemnaret in carne sua, & destrueret hunc, qui habebat mortis imperium, hoc est, diabolus.

Marcus Eremita lib. de his qui putant se operibus justificari cap. xx. Χειρὸς δὲ αὐτοῦ κατ' ὅτιαν ἐ δὲ αὐτοῦ κατ' οὐκνομίαν, ὅτι καὶ μὴ ὄντως ἐποίησε, καὶ τῇ αἰσθητικῇ ἰσχύϊ, ἀλλ' οὐκ ἰδίᾳ αἰσθητικῇ ἐξέτερον, ἐ τῷ πνεύματι καὶ τῇ χάριτι ἐδωκεν.

Theodorus Abucara Episcopus Carum disp. xv. cap. v. Deus justo iudicio suo à nobis omnia exigebat, quæ in lege scripta sunt: quæ, cum solvendo non essemus, ideo pro nobis Dominus noster illa persolvit: & maledictionem condemnationemque, cui obnoxii eramus assumpsit, ultroque in se recepit: quæ pati debueramus, illa ipse pertulit.

Idem ibidem. Jam mihi quinam sint hostes illi quinque ediffere, à quibus nos Christus liberavit. A. Mors, diabolus, legis maledictio, atque condemnatio, peccatum, & infernus. B. Quod ad mortem quidem attinet, eam Christi obedientia destructam esse dixisti: sic etiam quonam modo nos à diaboli servitute liberavit: eloquere jam qui nos à legis ma-

ledictione redemerit, factus pro nobis maledictio? *Et post pauca.* A. Justo suo iudicio Deus à nobis omnia illa exigebat, quæ in lege scripta sunt, quæ cum solvendo non essemus, ideo pro nobis Christus Dominus noster illa persolvit, & maledictionem, condemnationemque, cui obnoxii eramus, assumpsit, ultroque in se recepit, & quæ pati debueramus, illa ipse pertulit, flagellatus, sputis conspersus, percussus, colaphis cæsus, crucifixus, & pro nobis mortuus est.

Theophylactus in cap. i. ad Hebr. verba illa: Per seipsum faciens purificationem peccatorum nostrorum. Cum locutus esset de maiestate divinitatis Verbi, deinceps de cura ipsius, quam in homines per carnem gerit, disserit, quod multo majus est, quam quod omnia ferat. Duo autem hic ponit, tum quod mundavit nos à peccatis, tum quod per seipsum hoc fecerit. Nam per crucem & mortem, quam ipse sustinuit purgavit nos, non solum, quod mortuus sit pro peccato nostro, cum ipse omni peccato vacaret, quodque poenas luerit, quas ipse tamen nobis non debebat, ac solverit naturam quæ simpliciter ob Adami peccatum ac transgressionem condemnata erat, &c.

Ad cap. 9. Eam ob rem mortuus est Christus, ut nos mundaret, ac in testamento reliquit nobis condonationem noxæ, ac usum paternorum bonorum, Mediator factus Patris nostri. Pater enim noluit nobis dimittere hæreditatem, sed irascebatur ut filiis reijicientibus ipsum & abalienatis. Christus itaque Mediator factus reconciliavit nobis ipsum. Quomodo? Quod nos oportebat pati, (mori enim debuissimus) hoc ipse pro nobis sustinuit, nosque dignos testamento reddidit.

Anselmus de concept. Virginis & pecc. Orig. cap. XXI. Dicit aliquis, Si non habent singuli peccatum Adæ, quomodo asseris nullum salvari sine satisfactione peccati Adæ? Nam qualiter justus Deus exigit ab illis satisfactionem quod non habent? Ad quod dico, Deus non exigit ab ullo peccatore plus quam debet: sed quoniam nullus potest reddere quantum debet, solus Christus reddidit pro omnibus qui salvantur, plusquam debetur.

Bernardus epist. cxc. ad Innocentium. Homo qui debuit, homo qui solvit. Nam si unus, inquit, pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: ut videlicet satisfactio unius omnibus imputetur, sicut omnium peccata unus ille portavit, nec alter jam invenitur, qui forefecit, alter qui satisfecit: quia caput & corpus unus est Christus. Satisfecit ergo caput pro membris, Christus pro visceribus suis.

Arnoldus Carnotensis opusc. de septem verbis novissimis à Christo in cruce prolatis, Tract. I. Deseritur cum derelictis, & pro natura quam assumerat tributum solvit, & eventurus secum genus suum ultra hujus sæculi pelagus, piratis rapacibus navium carnem suæ protulit, inviscatisque dentibus eorum illudit voracibus, & tam se quam prædam suam abtraxit & evexit. Pro debitoribus debitorem se objecit, & quod ex se non debebat, ultro debere non abnuit, ideoque totius debiti summam ab eo qui pro omnibus se tradebat, exactor exegit.

Nicetas Choniates in annalibus, in Joanne Commeno. Τὸ ἑμμετέρας φύσεως πῶμα πικρὸν ἀνήμερον ὁ Χριστὸς ἐπὶ ταυρῆ πικρῆς διέτρε, καὶ μικροῦς πικρῆς σπυγὸν ὅλον εἰς ἑνὸν αἶμα.

Nicolaus de Cusa Cardinalis Excitationum lib. x. Propter nostram justificationem sic actum est per Christum, Nam nos peccatores in ipso infernales poenas, quas juste meremur, exsolvimus.

F I N I S.

